OPERA

PATRUM APOSTOLICORUM.

OPERA

PATRUM APOSTOLICORUM.

OPERA

PATRUM APOSTOLICORUM.

TEXTUM RECENSUIT,
ADNOTATIONIBUS CRITICIS, EXEGETICIS, HISTORICIS
ILLUSTRAVIT, VERSIONEM LATINAM, PROLEGOMENA,
INDICES ADDIDIT

FRANCISCUS XAVERIUS FUNK,
SS. THEOLOGIÆ IN UNIVERSITATE TUBINGENSI PROF. P.O.

EDITIO POST HEFELIANAM QUARTAM QUINTA.

TUBINGÆ,
IN LIBRARIA HENRICI LAUPP.
MDCCCLXXVIII.

PRÆFATIO.

Inde ab anno 1855, quo hic liber postremum editus est, pluribus codicibus inventis scientia patristica mirum in modum promota est. Iam anno sequente Hermae Pastor, qui hucusque nonnisi in versione veteri latina cognitus fuit, graece editus est, et brevi secutae sunt duae novae versiones, versio latina altera vel Palatina quae dicitur ac versio aethiopica. Codex Sinaiticus, quem anno 1859 Constantinus Tischendorf in lucem produxit, ad textum Pastoris emendandum plurimum contulit idemque exhibuit epistulam Barnabae integram, cuius initium usque ad illud tempus in versione veteri latina tantum legebatur. Anno 1875 a Philotheo Bryennio e codice Constantinopolitano adhuc incognito Clementis Romani epistulae et quidem integrae editae sunt, cum hucusque quatuordecim capita et dimidium prorsus deessent ne in versione quidem exstantia. Brevi post versio earundem epistularum syriaca inventa et a Ioanne B. Lightfoot anno 1877 ad textum recensendum adhibita est. Eodem denique anno Adolphus Hilgenfeld Barnabae epistulam pluribus locis e codice illo Constantinopolitano emendatis in vulgus emisit.

Quae cum ita sint, lector facile intelleget, hoc opus post longius tantum temporis spatium edi potuisse. Brevi enim postquam Dominus Reverendissimus ac Doctissimus Dr. Carolus Iosephus de Hefele, olim SS. Theologiae in Universitate Tubingensi Professor, de studiis patristicis promovendis ac de historia ecclesiastica illustranda egregie meritus, mihi mandare dignatus est, ut patrum apostolicorum opera denuo ederem, quo-

niam ipse anno 1869 ad Dioecesim Rottenburgensem vocatus et nova Historiae Conciliorum editione occupatus hoc munere fungi non potuit, codex ille Constantinopolitanus inventus est, ita ut commentarius in tres priores huius libri scripturas, quem iam perfeceram, retractandus mihi esset. Accedit, quod editio Pastoris Hermae nova et, ut exspectare nobis licuit, emendatior in lucem proditura erat. Spes nos non fefellit. Codice Lipsiensi iterum inspecto et versionibus veteribus magna cum diligentia adhibitis Oscarus de Gebhardt plures illius scripturae locos emendare potuit, ac libenter profiteor, locupletissimae Patrum apostolicorum editioni, quam ille una cum Adolpho Harnack et Theodoro Zahn paravit, in hoc libro elaborando me multum debere.

Nonnulli viri docti me rogaverunt, ut, cum lectores Patrum apostolicorum haud pauci etiam epistulas Pseudoignatianas habere vellent, has una cum epistulis s. Ignatii genuinis ederem, et consilium non spernendum esse videbatur. In hoc quidem volumen epistulas illas non recepi. Timui enim, ne pretium editionis adeo auctae multos deterreret, quominus librum emerent legerentque. Separatim autem Corpus Pseudoignatianum edam et Fragmenta Papiae nec non alia quaedam adiciam.

Scribebam Tubingae mense Augusto 1878.

ELENCHUS.

ELENCHUS.

PROLEGOMENA.

BARNABAE EPISTULA.

I.

Auctor huius epistulae nec suum nec lectorum nomen indicat. Clemens Alexandrinus autem, qui epistulam iterum iterumque laudat (cf. adnotationes ad 1, 5; 2, 2; 4, 11; 6, 5. 8. 10; 10; 11, 9; 16, 7. 8; 21, 5. 6. 9), eam Barnabae apostolo attribuit (cf. Strom. II c. 6, 31 p. 445 ed. Potter; II c. 7, 35 p. 447; II c. 15, 67 p. 464; II c. 18, 84 p. 472; II c. 20, 116 p. 489; V c. 8, 52 p. 677; V c. 10, 64 p. 683). Neque vero primus eius notitiam habuit. Coniciente Origene c. Cels. I c. 63 Celsus philosophus, quae de apostolis dixit, e *Barnabae epistula catholica* hausit, et mihi etiam Iustinus Dialog. c. 40. 91, Tertullianus adv. Marc. III c. 7; adv. Iud. c. 14, Irenaeus adv. haer. IV c. 17, 1; V c. 28, 3 (cf. Barn. 7, 4. 6. 8; 2, 10; 15, 4) Barnabam secuti esse videntur. Ignatium quoque et Hermam (cf. Barn. 1, 6; 19, 5. 11) epistulam nostram prae oculis habuisse suspicari licet, neque dubium est, auctorem libri, qui inscribitur *Duae viae* vel *Iudicium Petri* et ante Clementem Al. confectus est [1]), alteram eius partem tacite transscripsisse. Post Clementem epistulae meminerunt Origenes praeter locum citatum tribus aliis locis (cf. Barn. 18, 1) et Eusebius h. e. III c. 25, 4 (ed. Lämmer c. 26). Hieronymus catal. vel de viris illustr. c. 6 haec scribit: *Barnabas Cyprius, qui et Ioseph Levites, cum Paulo gentium apostolus ordinatus, unam*

1) Edidit Hilgenfeld: Novum Testamentum extra canonem receptum. 1866. IV 93–106.

ad aedificationem ecclesiae pertinentem epistulam composuit, quae inter apocryphas scripturas legitur, et alibi epistulam laudat (cf. 5, 9; 8, 2), per errorem eam semel (c. Pelag. III c. 2) Ignatio adscribens. Paulo ante pars prior (c. 1—17) a viro ignoto in linguam latinam translata et medio saeculo IV tota scriptura in codice bibliorum Sinaitico post S. Scripturas descripta est. Auctor *Constitutionum apostolorum* e c. 18—20 plurima tacite hausit.

II.

Apparet e testimoniis allatis, veteres epistulam Barnabae apostolo attribuisse, neque Eusebium l. c. eam τοῖς νόθοις accensentem aliter sensisse cognoveris locum diligenter considerans. Ex sequentibus enim et ex VI c. 14, 1 clare elucet, vocem νόθοι l. c. improprie usurpatam esse neque libros adulterinos, sed libros ἀντιλεγομένους sive dubios et a nonnullis repudiatos significare. Eusebius igitur non authentiam, sed auctoritatem epistulae addubitavit et fere idem dixit ac Hieronymus. Hic etiam in Ezech. 43, 19 epistulam scripturis apocryphis adnumerat et quae de ea iudicaverit, vix dubium est. In libro de nom. hebr. quidem eam post libros N. T. recenset. Sed erraveris putans, s. patrem eam Sacris Scripturis aequiparasse. Ex eo potius, quod post Apocalypsim, i. e. post finem canonis, ei locum assignavit, concludere licet, Hieronymum eam pro libro ecclesiastico tantum vel pro libro habuisse, qui praeter S. Scripturas in ecclesia praelegebatur. Pluris Clemens Al. epistulam aestimasse videtur. Teste Eusebio h. e. VI c. 14, 1 quidem in libris ὑποτυπώσεων omnium utriusque testamenti scripturarum compendiosam instituit enarrationem neque τὰς ἀντιλεγομένας praetermisit, scilicet Iudae epistulam ac reliquas catholicas epistulas, item epistulam Barnabae et revelationem quae dicitur Petri, et in hypotyp. lib. VI eodem h. e. II c. 1, 4 referente dixit: Dominum post resurrectionem Iacobo, Ioanni et Petro τὴν γνῶσιν impertiisse, illos eam ceteris apostolis, hos vero septuaginta discipulis tradidisse, quorum unus fuisset Barnabas. Clemens ergo epistulam inter vel proxime S. Scripturas posuit eumque secutus est Origenes in comment.

in ep. ad Rom. I, 24 (ed. Bened. IV 473) epistulam tacite laudans tanquam *scripturam*. Attamen non est silentio praetereundum, Clementem Paedag. II c. 10, 84 p. 221 sententiam, quam Barnabas 10, 7 de mutando hyaenae sexu proposuit, taxasse et Strom. II c. 15, 67. 68 p. 464 interpretationi Psalmi primi, quam ille exhibuit, aliam antetulisse. Reliqui omnes epistulae auctoritatem aliter censuisse videntur. Eusebium et Hieronymum sequuntur Anastasius Sinaita † 599 et auctor stichometriae, quam Nicephorus Constantinopolitanus † 828 edidit quamque recentiores saeculo sexto adscribunt [1]). Athanasius et alii veterum, qui libros sacros et ecclesiasticos enumerant, epistulae mentionem non faciunt. Ioannes Philoponus saec. VI ineunte solus excipiendus esse videtur, cum in veterrimo codice Vindobonensi (Codd. Gr. CCCII fol. 354 b) legamus, Philoponum quendam inter epistulas catholicas et Barnabae epistulam interpretatum esse [2]). Sed res haud magni momenti est. Simile quidquam fecit Hieronymus, cuius cum interpretatione ea, quam dedit Philoponus, fere ubique ad verbum concinnit.

III.

Veteres ad unum omnes epistulam authenticam habuerunt neque medio aevo quemquam aliter iudicasse constat. Etiam nonnulli recentiorum eam Barnabae s. Pauli comiti adscripserunt, scilicet Isaacus Voss [3]), Ludovicus Elias Dupin [4]), G. Cave [5]), Nicolaus Le Nourry [6]), A. Gallandi [7]), S. Grynaeus et V. Mösl [8]),

1) Cf. Credner, *Geschichte des neutestamentl. Kanon*. 1860. p. 241. 243.

2) Cf. Patrum apost. opp. ed. Lips. III (1875) fasc. I p. XXVIII.

3) Epist. genuinae s. Ignatii etc. 1646 p. 316. Paucis viris exceptis, qui nomen ita transformarunt, ut revera latinum evaderet, e. g. Faber = Le Fêvre, Salmasius = Saumaise, Junius = Young, nomina propria non latinizo.

4) *Nouvelle bibliothèque des auteurs ecclésiastiques* 1686. ed. II 1688 I 16—19.

5) Histor. liter. script. eccl. 1688.

6) Adparatus ad bibl. max. vet. Patrum 1703 I diss. 3.

7) Biblioth. veterum Patrum 1765. I Proleg. p. XXIX sqq.

8) *Die ächten Werke apost. Männer* 1772. 1774 p. 202 sqq.

G. Rosenmüller [1], I. E. Chr. Schmidt [2], I. C. L. Gieseler [3], E. Henke [4], I. Chr. Rördam [5], C. E. Franke [6], I. Alzog [7], nec non Daniel Schenkel [8] et C. Heydecke [9], qui magnam partem quidem authenticam esse contenderunt. Ceteri fere omnes eam Barnabae abiudicaverunt, et ego ad eorum sententiam accedo. Epistulam enim post Hierosolymam deletam exaratam esse ex 16, 4 intellegimus; Barnabam autem ante mortuum esse verisimillimum est [10]. Auctor dicit 9, 6, omnes Syros circumcisos fuisse; teste Ios. Flavio Antiq. VIII c. 10, 3 tum temporis nulli alii Syri in Palaestina circumcidebantur quam Iudaei, et rem ita se habere Barnabam multos annos Antiochiae in Syria commorantem haud fugere potuit. Auctor denique c. 15 Chiliasmum docet et de veteri testamento tam iniustum facit iudicium, ut comes s. Pauli vix putari possit. Dicit enim, foedus, quod Deus cum Iudaeis inire voluit, nunquam valuisse, quia ab his statim violatum esset (c. 14), et praecepta, quae dedit Dominus de sacrificiis et ieiuniis (c. 2), de circumcisione (c. 9), de cibis (c. 10) et de sabbato (c. 15) spiritualiter tantum, nunquam autem ad literam intellegenda fuisse.

IV.

Sin autem quaeras, quis epistulam a Barnaba non confectam et quando scripserit, respondeo, Christianum Alexandrinum saeculo primo exeunte eam exarasse. Alexandrinum prodit interpretatio Veteris Testamenti allegorica et creber epistulae usus apud Alexandrinos, finem saeculi primi caput quartum.

1) Historia interpretationis librorum sacrorum 1795 I 42 sqq.
2) *Handbuch der Kirchengeschichte* 1801 I 437 sq.
3) *Lehrbuch der Kirchengeschichte* 1824. ed. III 1831 I 122.
4) De epistolae quae B. tribuitur authentia 1827.
5) De authentia epistolae Barnabae 1828.
6) *Zeitschrift für d. g. lutherische Theologie* 1840 II 90 sqq.
7) *Patrologie* 1866 ed. III 1877 p. 30 sqq.
8) *Theolog. Studien u. Kritiken* 1837 p. 652—686.
9) Dissertatio qua Barnabae epistola interpolata demonstratur 1874.
10) Cf. Hefele, *Das Sendschreiben des Apostels Barnabas* 1840 p. 34 sqq. Braunsberger, *Der Apostel Barnabas* 1876 p. 129 sqq.

Laudat enim Barnabas hoc loco Danielem prophetantem, decem reges regnaturos vel decem cornua exortura et postea (ὄπισθεν) parvum regem vel cornu exsurrecturum ac tres ex illis simul (ὑφ' ἕν) humiliaturum esse, et prophetiam suo tempore impletam esse satis clare indicat. Sed quo imperante haec facta sunt?

Si numerum regum respicimus, quem Barnabas proposuit, verba illa de Domitiano intellegenda esse videntur. Parvus rex enim decem reges sequi dicitur, et undecimus imperator, si Augustus pro primo habetur, est Domitianus. Wieseler[1]) profecto statuit, epistulam illo imperante scriptam esse, contendens, illum etiam tres praedecessores deposuisse dici posse, primum quia Romae fuisset, cum Vitellius impugnaretur et adversario debellato Caesar consalutatus esset (Sueton. Domit. c. 1 cf. Dio Cass. LXV c. 17. 22); tum quia Titum fratrem veneno necasse putatus esset (Dio Cass. LXV c. 26 cf. Suet. Dom. c. 2); denique quia in nonnullis locis etiam parricida haberi potuisset, cum Vespasiano mortuo fama fuisset, Titum vel Hadrianum imperatorem illum morti tradidisse (Dio Cass. LXVI c. 17 cf. Suet. l. c. c. 13). Annuerunt quidem Riggenbach[2]) et Luthardt[3]). Sed obstant voces ὑφ' ἕν, quas cum Barnabas bis posuerit neque apud prophetam legerit, sed de suo adiecerit, non leviores putare licet. Rectius locum C. Weizsäcker[4]) et Ad. Hilgenfeld[5]) explicaverunt, et ille cornu parvum de Vespasiano interpretatus est, hic de Nerva. Imperatores enim illi, quorum alter ad imperium pervenit, postquam Galba, Otho et Vitellius menses duodeviginti tantum regnaverunt, alter secutus est Domitianum imperatorem duosque Caesares, T. Flavii Clementis filios, quos Domitianus referente Suetonio (Domit. c. 15) *etiam tum parvulos successores palam destinaverat*, facile tres reges simul deposuisse dici potuerunt. Obstat quidem interpretationi aliud. Cornu parvum narrante Barnaba non solum tres reges simul deposuit, sed etiam undecimus regum fuit.

1) *Jahrbücher für deutsche Theologie* 1870 p. 603—614.
2) *Der sog. Brief des Barnabas* 1873.
3) *Der johann. Ursprung des vierten Evangeliums* 1874 p. 75 sq.
4) *Zur Kritik des Barnabasbriefes* 1863.
5) *Barnabae epistula* 1877.

Vespasianus autem est nonus vel ad summum, si Iulium Caesarem pro primo habeamus, decimus, Nerva duodecimus vel, si Vespasianum et Domitianum Caesares numeramus, quartus decimus. Sed auctor fortasse minus accurate computavit, et sententiam, quam proposuit Weizsäcker, quamvis non sit certa, non prorsus reprobaverim [1]). Sive autem cornu parvum ad Vespasianum referimus sive non: id saltem e cap. 4 apparere videtur, epistulam non post finem saeculi primi scriptum esse. Utcunque enim *decem reges* interpretamur, saeculum primum, cum iam Domitianus post Augustum undecimus sit, vix transgredi licet.

Alii et recentiorum ut videtur pars maior epistulam ad initium saeculi secundi retulerunt. Hefele postquam demonstrasse sibi visus est, epistulam non ante saeculum secundum exaratam esse, praesertim e capite 16 collegit, Barnabam inter annos 107 et 120 [2]) vel non post annum 119 scripsisse; hoc enim anno Hierosolymam a Hadriano reaedificari coeptam esse, e cap. 16 autem apparere, urbem tempore auctoris adhuc dirutam fuisse [3]). Alii tempus etiam accuratius definire voluerunt. Verba Barnabae 16, 4 νῦν καὶ αὐτοὶ κτλ. de templo vero, non de templo spirituali intellegentes monuerunt, Hadrianum non solum Iudaeis indulgentem templum reaedificandum iussisse [4]), sed etiam (si quis iis, qui nuntium illum afferunt, fidem non habeat) templum revera restituisse, etiamsi restitutum non Deo Iudaeorum, sed Iovi Capitolino dedicasset, et epistulam imperio Hadriani ineunte vel annis 117—120 scriptam esse statuerunt, quibus imperatori cum Iudaeis amicitia intercessisset [5]). Sed interpretatio illa mihi non recta esse videtur et insuper (ex

1) Adstipulatus est ei Cunningham, *A dissertation on the Epistle of S. Barnabas* 1877. p. 36.

2) Patr. apost. opp. ed. IV p. XIII sq.

3) *Das Sendschreiben des Ap. B.* p. 141.

4) Cf. Volkmar, *Das Buch Judith* 1860 p. 131—134. Grätz, *Geschichte der Juden* IV 148 sqq. 510 sqq. Jost, *Geschichte des Judenthums* II 77 sqq.

5) Cf. Harnack, Patr. apost. opp. ed. Lips. III fasc. I p. XLII—XLIV, ubi nomina etiam aliorum invenies, qui hanc vel similem sententiam tenent.

parte quidem) lectione nititur, quam codex Sinaiticus solus exhibet; ceteri testes enim omnes particulam καί post αὐτοί et ante οἱ τῶν ἐχθρῶν ὑπηρέται omittunt. Etiamsi autem locus ille revera de templo vero, non de templo spirituali intellegendus esset, nequaquam sequeretur, epistulam imperio Hadriani ineunte et non alio tempore confectam esse. Ex quo enim tempore templum deletum est, Iudaei spei eius restituendi sese dederunt, ita ut auctor etiam ante Hadrianum dicere posset, Iudaeos (velut hostium ministros) illud reaedificaturos esse [1]).

V.

Constat epistula e duabus partibus. In parte priori ac longiori c. 1—17 lectores monentur, ne in errores iudaicos incurrant, in altera parte c. 18—21 de duabus viis lucis et tenebrarum agitur. Ordo autem sententiarum hic est.

Auctor postquam lectoribus gratulatus est de donis magnis, quae a Deo optimo acceperant, dicit, se iis scripsisse, ut cum fide perfectam haberent cognitionem, tum quia ipsos diligeret, tum quia mercedem inde exspectaret. Tres constitutiones Dominum dedisse et praeterita et praesentia et futura nota fecisse (c. 1). Iustificationes Domini igitur exquirendas esse. Per omnes prophetas Deum ostendisse, nec sacrificia nec ieiunium sese velle, sed cor contritum et misericordiam, ne tanquam proselyti Iudaeorum legi affligeremur (c. 2—3). De praesentibus igitur diligenter investigandum esse, quid nos salvare possit. Fugiant omnia opera iniquitatis. Dies malos esse et impleri, quae Daniel de parvo cornu prophetaverit. Neque Iudaeorum instar peccatum parvi ducant, quippe qui testamentum possideant; namque sicut illos ita ipsos quoque testamentum perdere et e regno Domini eici posse, cum multi quidem vocati sint, pauci vero electi (c. 4). Dominum prophetis praenuntiantibus, Iudaeis vero non intellegentibus, propterea passum esse, ut nos per sanguinem ipsius sanctificaremur, peccata Iudaeorum autem consummarentur. In Christum ergo, qui in carne apparuerit et habitaverit in nobis, credendum ac speran-

1) Cf. Ewald, *Geschichte des Volks Israel* VII 20. Cunningham, *The Epistle of S. Barnabas* p. 33.

dum esse. Eidem in omnibus gratias agendas esse ac laudes offerendas; non enim eum passum esse nisi propter nos, quibus omnia praemonstraverit (5—7, 2).

Quibus expositis Barnabas agit de singulis typis Christi, de caerimoniis festi expiatorii (7, 3—11), de vacca rubra (8) et de circumcisione servorum Abrahae (9, 7—9), nec non de typis baptismi (11) et crucis (12). Mandata, quae proposuit Deus de circumcisione et cibis, insuper spiritualiter interpretatur. Dominum non corporis, sed auris et cordis circumcisionem voluisse, Iudaeos autem ab angelo nequam deceptos carnem circumcidisse (9, 1—6). Neque Deum prohibuisse, quominus quibusdam animalibus vesceremur, sed praecepisse, ut vitia vitaremus, quorum typi illa animalia essent (10). Deinde exponit, iam in Veteri Testamento annuntiatum fuisse, foedus divinum Christianorum, non Iudaeorum esse (13). Accepisse quidem illos testamentum, sed eo non fuisse dignos atque nos per Christum eius participes factos esse (14). Denique quae de sabbato et templo scripta sint, Iudaeos male intellexisse explanat. Dominum de sabbato illo vero locutum esse, quod post sex annorum milia celebraturus esset, cum omnia consummata atque sol et luna mutati fuissent (15), et de corde nostro, in quo tanquam in templo habiturus esset (16). Parte prima finita (17) transit ad alteram (18) et describit viam lucis (19) et viam tenebrarum (20), lectores exhortans, ut in illa ambulent, quae ducat in regnum Domini, ut salventur in die iudicii (21).

VI.

Cum Barnabas id maxime ageret, ut prohiberet, ne lectores in legem iudaicam illaberentur, interpretes priores concluserunt, epistulam ad Christianos e Iudaeis scriptam fuisse. N. Lardner [1]) autem probare conatus est, lectores Christianos e Gentilibus fuisse, et recentiori tempore fere omnes ad hanc sententiam accedebant. Oblocuti sunt C. Weizsäcker [2]), R. A.

1) *Glaubwürdigkeit der evang. Geschichte. Aus dem Englischen etc.* (1750 sq.) II. I 5.

2) *Zur Kritik des Barnabasbriefes* 1863 p. 4—9.

Lipsius [1]) ac Güdemann [2]), et mihi quoque interpretes priores non plane errasse videntur. Ex eo, quod Barnabas sese et lectores saepius Iudaeis (ἡμεῖς — ἐκεῖνοι vel αὐτοί cf. 2, 9; 3, 1. 3. 6; 4, 2. 6. 14; 8, 7; 10, 12; 13, 1; 14, 4) opponit, non sequitur, eum fidelem e Gentilibus fuisse. Eodem modo fidelis e circumcisione loqui potuit, praesertim si de Iudaismo tam severe sentiebat quam Barnabas. Neque ex 13, 7 et 16, 7 alteram sententiam probari posse in commentario demonstrasse mihi videor. Accedit, quod Barnabas tam amplam rituum iudaicorum cognitionem habet, quam in viro gentili haud facile inveneris, ita ut vix erraveris statuens, auctorem et magnam sane lectorum partem ex Iudaeis oriundos fuisse. Ex 13, 7 id solum elucet, non omnes lectores Iudaeo-Christianos fuisse. Barnabas enim cum duce Paulo Rom. 4, 11 Abraham patrem gentium per praeputium credentium appellet, indicat, non tam Iudaeos quam Gentiles veros novi testamenti heredes futuros esse, neque dubium est, ecclesiam, ad quam literae datae sunt, e fidelibus e circumcisione et praeputio constitisse. Sin autem res ita se habet, nihil obstat, quin concludamus, illos id egisse, ut fratres e Gentilibus ad observandam legem Mosaicam perducerent dicentes, secus eos sälvos non fieri, et epistulam scriptam fuisse, ut illi refutarentur.

Ubi lectores fuerint (ad certos enim quosdam fideles artiori vinculo sibi iunctos Barnabam scripsisse ex 1, 2—4. 8; 4, 9; 21, 9 apparet), difficillimum dictu est. Volkmar [3]) et Lipsius [4]) Romae, Müller [3]) in Asia minori, Schenkel [5]) et Hilgenfeld [6]), Alexandriae vel in Aegypto eos vixisse suspicati sunt, et ego his assentior. Cum auctorem Alexandrinum esse fere omnes consentiant, a verisimilitudine non abhorret, lectores Alexandriae vel haud procul ab hac urbe fuisse.

1) *Bibel-Lexicon von Schenkel* 1869 I 363 sq.
2) *Religionsgeschichtliche Studien* 1876 p. 99—131.
3) Cf. Müller, *Erklärung des Barnabasbriefes* 1869 p. 13.
4) *Bibellexikon von Schenkel* I 364.
5) *Studien und Kritiken* 1837 p. 677 sq.
6) Barnabae epistula 1877 p. XXXIV.

VII.

Integritas epistulae non semel tantum in dubium vocabatur. Brevi postquam typis vulgata est, nonnulli quatuor ultima capita, quippe quae cum praecedentibus non artius cohaererent neque in versione latina exstarent, epistulae serius adiecta esse voluerunt. I. Clericus [1]) eam interpolatam esse contendit, et viam, quam ingressus est, ante quatuor decennia persecutus est Daniel Schenkel [2]). Ut litem de epistulae authentia exortam componeret, integritatem negavit statuens, capita 1—6 et 13—14 quidem a Barnaba originem traxisse, reliqua autem (7—12 et 15—21) a Therapeuta quodam adiecta esse. Hefele [3]) argumentis gravissimis eum refellit praecipue demonstrans, secundam epistulae partem iam ab antiquissimis illis scriptoribus, qui primi eius mentionem fecissent, laudatam esse et in omnibus codicibus graecis legi; diversum utriusque partis stylum ad diversam indolem revocandum esse; singula primae partis capita idem argumentum eundemque finem habere, nec non aliquot eorum, quae serius addita putarentur, iam a Clemente Al. allegata esse, et sententia diu in oblivione iacebat. Nuperrime vero C. Heydecke [4]) mutatam eam repetiit contendens, Barnabam quidem c. 1—4 et 13—21 eaque in hoc ordine: 1—3, 13—16 (exceptis versibus 8—9 c. 15 et v. 3—4 c. 16), 4 (exceptis vers. 6—9ª), 17—21 brevi post Hierosolymam deletam a. 70 vel 71 scripsisse, non ut errores impugnaret, sed ut Christianos e circumcisione de interitu populi ac templi Iudaeorum lugentes laetiores redderet docens, religionem iudaicam valuisse nonnisi usque ad Christum et ex voluntate Dei constitutum fuisse, ut tum temporis fide christiana abrogaretur; reliqua vero capita Ethnico-Christianum quendam Iudaeis offensum a. 119—122 interiecisse, ut demonstraret, instituta iudaica ne ullius unquam veritatis fuisse neque aliam vim habuisse, nisi quibus Christus eiusque regnum typice prae-

1) Historia eccles. 1716 p. 474.

2) *Studien und Kritiken* 1837 p. 652—686.

3) *Tüb. Theologische Quartalschrift* 1839 p. 60 sqq. *Sendschreiben d. Barnabas* p. 196 sqq.

4) Dissertatio qua Barnabae epistola interpolata demonstratur 1874.

monstrarentur [1]). Sed discrimen eiusmodi in epistula non exstat. In omnibus partibus idem argumentum invenitur. Etiam auctor genuinae quae dicitur partis sacrificia et sabbata et ieiunia iudaica satis clare tamquam errores oppugnat (cf. 2, 9; 3, 6) et c. 14 expressis verbis docet, Iudaeos iam tum temporis testamentum perdidisse, quo id a Deo accepissent. Vox καταργεῖν, qua Heydecke Barnabam usum esse putat, ut demonstraret, religiones iudaicas valuisse usque ad id tempus, quo a Christo *abrogatae* essent, etiam in ea parte (9, 4) legitur, cuius auctor id egisse dicitur, ut probaret, instituta iudaica nunquam vere valuisse et Iudaeos Domini mandata ad literam intellegentes semper errasse [2]). Quae cum ita sint, epistula, quam nunc legimus, integra existimanda est. Nec magis mihi placet sententia, quam his diebus Hilgenfeld [3]) proposuit dicens, librarium archetypi codicum nostrorum versus 1—6ᵃ c. 4 (δεῖ οὖν — συνιέναι οὖν ὀφείλετε) per neglegentiam ante versus 6ᵇ — 9ᵃ (ἔτι δὲ καὶ τοῦτο — περίψημα ὑμῶν) posuisse. Plane non esse, cur mutaremus, alio loco demonstrasse mihi videor [4]).

VIII.

Prelo epistulam nostram una cum Ignatii epistulis primus subiecit Iacobus Usher, archiepiscopus Armachanus, Oxonii 1643 [5]). Sed cum ingens incendium, quod non exiguam urbis partem vastavit, omnia illius editionis exemplaria absumpsisset, editio, quam Hugo Menard, monachus Congregationis s. Mauri, vel post eius mortem († 1644) Fr. Lucas Dachery, eiusdem Congregationis monachus, a. 1645 Parisiis instituit, prima est, quae ad nos pervenit [6]). Emendatiorem paravit a. 1646 Isaacus

1) Dissertatio p. 18. 22.

2) Cf. quae de hac re disputavit Lipsius in: *Jenaer Literaturzeitung* 1875 p. 491 sq.

3) Barnabae epistula 1877 p. XIX sq.

4) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1878 p. 156 sq.

5) Acceperat ab Isaaco Voss apographum epistulae exaratum ab Andrea Schott S. I. et a Claudio Salmasio apographum versionis latinae veteris, quam nuperrime Hugo Menard in codice Corbeiensi invenerat. Iam ante Iac. Sirmond S. I. epistulam cum Polycarpi epistula coniunctam in codice detexit, quam reliquerat Fr. Turrianus eiusdem societatis.

6) Η φερομενη του αγιου Βαρναβα Αποστολου επιστολη καθολικη. Sancti

Voss [1]), praeter illam editionem tres vel duos [2]) saltem codices adhibens, cum Menard uno tantum vel potius codicis cuiusdam apographo usus esset. Deinde epistulam ediderunt Ioach. Ioh. Mader 1655 [3]), I. B. Cotelier 1672 [4]), Ioh. Fell 1685 [5]), St. Le Moyne 1685 [6]), I. Clericus 1698 [7]), Rich. Russel 1746 [8]), Andreas Gallandi 1765 [9]), C. I. Hefele 1839 [10]), Fr. X. Reithmayr 1844 [11]), A. Grenfell 1844 [12]), Ed. de Muralto 1847 [13]), I. P. Migne 1857 [14]), Alb. Dressel 1857 [15]). Hic inprimis de textu emendando bene meritus est. Quinque enim codices contulit, scilicet Vaticanum 859 (saec. XI), Ottobonianum 348 (saec. XIV ineuntis), ms. Barberinum 7, Casanatensem G. V. 14 (saec. XV), Mediceum 21 Plut. VII (saec. XV) [16]). Sed in his codicibus omnibus epistula nonnisi mutilata exstat. Legitur enim Barnabas post Polycarpi epistulam ad Philippenses, et utraque epistula ita coniuncta est, ut Polycarpi verba καὶ δι'

Barnabae Apostoli (ut fertur) Epistola catholica. Ab antiquis olim Ecclesiae Patribus, sub eiusdem nomine laudata et usurpata. Hanc primum e tenebris eruit, Notisque et Observationibus illustravit R. P. domnus Hugo Menardus etc. Opus posthumum.

1) Epistolae genuinae S. Ignatii etc. Adhaec S. Barnabae epistola. Amstelodami 1646. Editio II Londini 1680.

2) Cf. Patrum apost. opp. ed. Lips. III 1875 I p. XVII.

3) Η φερομενη του αγιου Βαρναβα Αποστολου επιστολη καθολικη. S. Barnabae etc. epistola. Helmestadii.

4) SS. Patrum, qui temporibus apostolicis floruerunt, Barnabae etc. opera. Parisiis.

5) S. Barnabae Apostoli epistola Catholica etc. Oxoniae. Editor nomen suum titulo non adiecit.

6) Varia Sacra. Lugduni Batav. t. I. Denuo 1694.

7) Editio Coteleriana: SS. Patrum etc. Antwerpiae. Editio II Amstelaedami 1724.

8) Patrum apostolicorum Barnabae etc. opera genuina. Londini.

9) Biblioth. vet. Patrum. Venetiis t. I.

10) Patrum apostolicorum opera. Tubingae. Denuo 1842. 1847. 1855.

11) Patrum apost. S. Clementis etc. epistolae. Monachii.

12) *The Epistles of Barnaby* etc. Londini.

13) Codex Novi Testam. deuterocanonicus sive Patres apost. Turici t. I.

14) Patrologia graeca. Parisiis t. II.

15) Patrum apost. opera. Lipsiae.

16) Descriptionem codicum exhibet in editione sua p. LVI sqq.

ἡμᾶς ὑπό (9, 2) Barnabae verbis τὸν λαὸν τὸν καινόν (5, 7) excipiantur. Cum utraque epistula etiam in veteri versione latina legatur, facile quidem perspici poterat, in archetypo codicum illorum folium excidisse et librarios neglegentes epistulas quasi unam conscripsisse. Sed cum usque ad nostros dies non contigisset, ut initium textus graeci detegeretur, editores istius partis nonnisi versionem veterem latinam exhibere poterant, quae in codice olim Corbeiensi, tum Parisiensi, nunc Petropolitano legitur et nuperrime emendatissima publicata est ab Oscaro de Gebhardt et Adolpho Hilgenfeld [1]).

Anno 1859 demum Constantinus de Tischendorf in monasterio s. Catharinae sito in monte Sinai textum graecum integrum invenit in codice, qui *praeter multos V. T. libros Novum Testamentum continet totum, nulla lacuna deformatum, auctum vero etiam epistula Barnabae ac priore pastoris parte* [2]), et a. 1862 editione codicis illius celeberrimi publici iuris fecit [3]). Novam editionem instituit a. 1863 [4]), et eodem anno Alb. Dressel textum graecum totum vulgavit [5]). Sequebantur G. Volkmar 1864 [6]), Ad. Hilgenfeld 1866 [7]), I. G. Müller 1869 [8]), O. de Gebhardt 1875 [9]), G. H. Rendall 1877 [10]).

Anno 1875 Philotheus Bryennius, Metropolita tum Serensis, nunc Nicomediensis, Clementis Rom. epistulas publicavit

1) Patrum apost. opp. ed. Lips. III. 1875. Barn. epistula 1877.
2) Cf. Tischendorf, Novum Testam. Graece. Lipsiae 1873 p. XVI.
3) Bibliorum codex Sinaiticus Petropolitanus. Petropoli.
4) Novum Testamentum Sinaiticum. Lipsiae.
5) Patr. apost. opera ed. II. Lipsiae.
6) Monumentum vetustatis christianae ineditum. Turici (c. 1—5).
7) Novum Test. extra canonem receptum. Lipsiae.
8) *Erklärung des Barnabasbriefes.* Lipsiae.
9) Patrum apost. opera. Textum ad fidem codicum et graecorum et atinorum adhibitis praestantissimis editionibus recensuerunt, commentario exegetico et historico illustraverunt, apparatu critico, versione latina passim correcta, Prolegomenis, Indicibus instruxerunt Oscar de Gebhardt, Adolfus Harnack, Theodorus Zahn. Editio post Dresselianam alteram tertia. Lipsiae. Allego hanc editionem locupletissimam sub titulo: Patr. apost. opp. ed. Lips. III.
10) Editio, in qua repetitur textus editionis Lipsiensis tertiae, adiuncta est dissertationi iam laudatae, quam fecit Cunningham (cf. p. VI).

e codice Constantinopolitano a. 1056 conscripto, qui etiam Barnabae epistulam continet. Habebat in animo, hanc quoque typis evulgare. Sed orientalibus turbis, ut videtur, impeditus, ut propositum ad effectum perduceret, a. 1876 accuratam codicis collationem misit Adolpho Hilgenfeld, qui ea in epistula denuo edenda usus est [1]). Codex (signavi C) cum plures locos nova luce illustret, praecipue 1, 6; 4, 6; 5, 8; 12, 11; 15, 6; 19, 7, haud exigui pretii est. Hilgenfeld eum ceteris omnibus praetulit et ego eum maximi aestimo. Sed cum mendis haud paucis neque ipse careat, cumque codex Sinaiticus (signavi S), qui iudicio Constantini de Tischendorf, viri in rebus palaeographicis versatissimi, medio saeculo IV scriptus est [2]), non solum septem saeculis aetate ei praestet, sed etiam exceptis nonnullis locis corruptis textum optimum exhibeat, hic maxime respiciendus ac praesertim eius scriptura, ubicunque fieri potest, retinendus esse videtur. Itaque cum codice S ν ἐφελκυστικόν etiam ante literas consonantes posui, ubi in codice C deest, et scripsi οὕτως, non οὕτω. Ceterum codices alter ab altero non nimis discrepant. Saepe consentiunt, a codicibus acephalis (quos signavi G) et a versione latina (L) divergentes, et ubi concinnunt, meliorem textum tradere quam testes illi putandi sunt. Quinque codices illi acephali enim, quorum supra mentio facta est, una cum duobus aliis, qui noti quidem sunt, sed nondum collati, scilicet Parisiensi et Neapolitano [3]), cum eiusdem familiae sint, unum tantum testem efficiunt, et versio latina, cum inter-

1) Barnabae epistula. Integram graece iterum edidit, veterem interpretationem latinam, commentarium criticum et adnotationes addidit A. H. Editio altera emendata et valde aucta. Lipsiae 1877. Postquam epistula Barnabae iam typis expressa fuit, Hilgenfeld nonnullos editionis suae locos correxit. Itaque p. 31 not. 3 ante πεινάσῃ G insere τρώγῃ C — p. 36 not. 6 dele τὰ φύλλα C? — p. 49 not. 5 post ἔμελλεν S adde C — p. 53 not. 5 pro ἀνελεῖς G, C? lege ἀνελεῖς G C — p. 54 not. 8 ante εἶναι insere καὶ .. (sc. καὶ .. εἶναι om G). Codice C usus est etiam Gebhardt in editione Patrum apostolicorum minori (1877) et in editione altera fasciculi I, cuius pars prior his diebus vulgatur.

2) Hilgenfeld eum saeculo sexto adscribit. Cf. *Zeitschrift f. wissenschaftl. Theologie* 1864 p. 211 sqq.

3) Descriptionem exhibet Hilgenfeld l. c. p. XV. XVII.

pres saepe omiserit, quae non intellexit, in textu restituendo, si paucos locos exceperis, parvi pretii est.

Cum textus nunc ex pluribus et diversis codicibus hauriendus sit, lectiones variantes notandae erant. Sed ne fines huius editionis nimis transgrederer, lectiones codicum acephalorum non indicavi, nisi omnes vel maior pars inter se consentiunt ac quasi unam (G) efficiunt, nec lectionum versionis latinae mentionem feci, nisi cum codicibus graecis concinnunt vel ad textum emendandum aliquid conferunt. Ubi codex S correctus est, quid sit librarii, quid correctorum, non notavi, si error facile cognosci potuit nec discrimen maioris momenti fuit; sin autem, signavi primam manum, quae scriptoris ipsius est, S*, alteram vel manum correctoris, qui saeculo fere septimo ineunte ad codicem accessisse videtur, signavi S** [1]). Praeterea et in hac epistula et in reliquis Patrum apostolicorum operibus lectiones leviores omisi neque retuli de ν ἐφελκυστικῷ nec de scripturae vitiis ortis ex itacismo vel neglegentia vel aliis similibus causis neque paucis locis exceptis de verborum varia positione. Ubi codex aliquis idem verbum ac reliqui habet, aliam autem verbi formam, e. g. ἀκροβυστίαν pro ἀκροβυστίᾳ, φάγῃ pro καταφάγῃ, plerumque hanc solam formam in commentario exscripsi.

Iam dixi, quibus literis codices signaverim. Alia sigla, quibus in toto libro usus sum, haec sunt: a. = ante; c. = cum; p. = post; s. = sine; add = addit vel addunt; praem = praemittit vel praemittunt; om = omittit etc.; con = coniecit etc.; em = emendavi vel emendavit etc.; coll = collato; pr = primum; sec = secundum; h. l. = hoc loco; ad h. l. = ad hunc locum; cf. = conferas, conferatur etc.; Winer = Winer, *Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms* ed. VII 1867; H. = Hefele; Cot. = Cotelier. Ubi patrem vel scriptorem ecclesiasticum ad textum emendandum adhibui, nomen ita abbreviavi, ut facile cognosci possit, e. g. Clem = Clemens Alex., Dam = Ioannes Damascenus, Theod = Theodoretus. Scriptores, qui locum aliquem laudant, in initio singulorum versuum nominantur, et ubi

1) Cf. Tischendorf, Novum Testamentum Sinaiticum p. XXIV, ubi iste corrector insignitus est C^c, in commentario C.

non aliter notatum est, totus versus allegatur. E. g. Barn. 4, 11 scripsi: Clem. Al. Strom. II c. 7, 35 p. 447, i. e. Clemens Alexandrinus l. c. versum totum laudavit; 2, 2—3: Clem. Al. Strom. II c. 6, 31 p. 445, i. e. Clemens hos duos versus allegavit; 1, 5: Clem. Al. Strom. II c. 6, 31 p. 445 (ἀφ' οὗ κτλ.) et 5, 9: Orig. c. Celsum I c. 63 etc. (— ἀνομωτέρους), i. e. ille versus citatur inde a verbis ἀφ' οὗ, hic usque ad vocem ἀνομωτέρους. Designatio versuum desumpta est ex editione Patrum apostolicorum Lipsiensi tertia.

Versio latina, quam textui graeco addo, tum mea est (1—5, 6), tum Coteleriana, ab Hefele, Gebhardt atque a me passim correcta. In linguam germanicam epistulam transtulerunt C. I. Hefele [1]) et Chr. I. Riggenbach [2]), in linguam anglicam G. H. Rendall [3]). Alii eam una cum reliquis patrum apostolicorum operibus vel saltem nonullis ex iis verterunt, et quidem inter Germanos Godof. Arnold a. 1695 [4]), I. H. Reitz (?) a. 1710 [5]), I. O. Gluesing a. 1723 [6]), S. Grynaeus a. 1772 [7]), R. Unterkircher a. 1817 [8]), F. X. Karker a. 1847 [9]), H. Scholz a. 1865 [10]), I. Chr. Mayer a. 1869 [11]); inter Anglos Gul. Wake a. 1693 [12]), C. H. Hole a. 1872 [13]); inter Gallos Grassius a. 1717 [14]); inter Italos I. B. Gallicciolli a. 1797 [15]).

1) *Das Sendschreiben des Apostels Barnabas.* Tub. 1840.

2) *Der sog. Brief des Barnabas.* Basileae 1873.

3) Apud Cunningham: *A dissertation* etc. p. 87—117.

4) *Clementis und Barnabae verdeutschte Sendschreiben.* Francof. et Lips.

5) Novi Testamenti Apocrypha. Schifbecae prope Hamburgum.

6) *Der apostolischen Männer Briefe und Schriften.* Hamburgi.

7) *Die ächten Werke apost. Männer.* Basileae. Denuo editae Augustae Vind. a P. Vitale Mösl a. 1774.

8) *Die echten Schriften der apost. Väter.* Oeniponti.

9) *Die Schriften der apost. Väter.* Vratislav.

10) *Die Schriften der apost. Väter.* Gütersl.

11) *Die Schriften der apost. Väter. Bibliothek der Kirchenväter* ed. Reithmayr. Campiduni t. I.

12) Liber mihi non praesto est nec titulus notus. Cf. Walch, Biblioth. patrist. 1770 p. 242. Jacobson, Patr. apost. 1838 I p. LXII. Versio saepius edita continet omnia patrum apostolicorum opera.

13) *The Apostolic Fathers.* Londini.

14) *Ouvrages de S. Pères qui ont vécu du tems des Apôtres* etc. Parisiis.

15) *Lettera Universale di S. Barnaba Apostolo.* Venetiis. Annis se-

Virorum, qui de epistula explicanda meriti sunt, maior pars iam commemorata est. Editores enim plerique et in commentario textum interpretati sunt et in Prolegomenis de epistulae authentia, integritate, origine, auctore, lectoribus etc. disputaverunt. Alios laudavi, ubi de authentia etc. tractavi. De epistulae doctrina inprimis disputaverunt Hefele [1]), Franke [2]), Hilgenfeld [3]), Kayser [4]), Donaldson [5]), Cunningham [6]). Viros fere omnes, qui inde ab anno 1822 de Barnaba et de reliquis patribus apostolicis egerunt, enumeravit Harnack in editione Patrum apostolicorum Lipsiensi tertia.

EPISTULAE CLEMENTIS ROMANI.

I.

Quis primam Clementis epistulam scripserit, ex ea ipsa non apparet. Missa est enim ab ecclesia Romanorum ad ecclesiam Corinthiorum. Sed Clementem eam exarasse vix dubium est, cum veteres ad unum omnes de hac re consentiant. Iam Dionysius Corinthius epistulae auctorem Clementem vocat (Eus. h. e. IV c. 23, 13 ed. L. c. 31). Clemens Alexandrinus et Origenes epistulam laudant tanquam ab illo confectam (cf. adnotationes ad 1, 2; 9, 2; 14, 5; 17; 20, 8; 21, 2; 36, 2; 38, 2; 40, 1; 41, 4; 48, 1. 4. 6; 49, 4; 53, 3; 55, 1. 4). Irenaeus adv. haer. III c. 3, 3 scribit, epistulam exortam esse Clemente episcopatum ecclesiae Romanae gerente, et simile quidquam Hegesippus (Eus. h. e. IV c. 22, 1 ed. L. c. 30) dixisse

quentibus idem edidit versionem epistularum Clementinarum et Ignatianarum, a. 1796 versionem Pastoris Hermae. Cf. ad hanc sectionem edit. Patr. apost. Lips. III, e qua titulos nonnullorum librorum, qui mihi non praesto erant, desumpsi.

1) *Das Sendschreiben des Ap. Barnabas* p. 242—262.

2) *Zeitschrift für luther. Theologie* 1840. Fasc. II.

3) *Die apostolischen Väter* 1853 p. 37—46.

4) *Ueber den sog. Barnabasbrief* 1866 p. 85—147.

5) *The Apostolical Fathers. A critical account of their genuine writings and of their doctrines* 1874 p. 288—312.

6) *A dissertation on the Ep. of S. Barnabas* p. 105—117.

videtur. Eusebius h. e. III c. 38, 1 ed. L. c. 39 et Hieronymus catal. c. 15 tradunt, Clementem eam ex persona Romanae ecclesiae ad ecclesiam Corinthiorum scripsisse.

Quae de Clementis nostri ortu et vita cognita habemus, perpauca sunt. Origenes in Ioann. t. VI c. 36 (ed. Bened. IV 153) quidem dicit, eum eundem fuisse cum illo, quem Paulus Phil. 4, 3 laudibus effert, et Eusebius h. e. III c. 15, Epiphanius h. 27 c. 6, Hieronymus cat. c. 15 et alii veterum assentiuntur. Sed id coniecisse tantum videtur, et adhuc magis a veri similitudine abhorret, quod tradunt Homiliae et Recognitiones Clementinae, eum Romanum et e gente senatoria ac stirpe Caesarum oriundum fuisse. Etiam recentiores nonnulli [1]) eum eundem fuisse putant cum T. Flavio Clemente consule et Domitiani patruele. Sed obstat, quod de morte utriusque Clementis traditum habemus (Flavius Clemens enim martyrium subiit [2]);

1) E. g. Hilgenfeld, Clementis Rom. epistulae 1876 p. XXXII sq. Harnack, Patr. apost. ed. Lips. III. I p. LXXXVII sqq. verisimile putat, Clementem nostrum a Flavio Clemente consule discernendum non esse.

2) Cf. Dio LXVII c. 14: Κἀν τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς καὶ τὸν Φλαούιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα καὶ γυναῖκα καὶ αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φλαουίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα, κατέσφαξεν ὁ Δομιτιανός. Ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι εἰς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν, καὶ οἱ μὲν ἀπέθανον, οἱ δὲ τῶν γοῦν οὐσιῶν ἐστερήθησαν· ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον ἐς Πανδατερίαν. Zahn, *Der Hirte des Hermas* 1868 p. 44—60, in dubium vocavit, num Flav. Clemens Christianus et martyr fuisset. Dionem Cassium solum referre, eum ob fidem interfectum esse; Eusebium autem, quamquam et in historia ecclesiastica III c. 18 et in Chronico (ed. Schöne II 160) de martyrio Domitillae neptis ageret, eum inter martyres non recensere, Suetonium (Domit. c. 16) evidenter indicare, eum non ob fidem interemtum esse. Wieseler, *Jahrbücher für deutsche Theologie* 1877 p. 399, verbis Dionis fidem quidem habuit, sed diverso modo ea interpretatus est. Putavit enim, τὴν ἀθεότητα (τὸ μὴ σέβεσθαι τοὺς θεούς) Flavii Clementis sine dubio nihil aliud esse quam *maiestatis* crimen, crimen laesae maiestatis Dei Domitiani. Assentiri non possum. Mihi non solum Dio Clementem Christianum fuisse, sed nec Suetonius contrarium clare dixisse videtur. Accedit, quod etiam auctor Homiliarum Clementinarum testis professionis christianae Fl. Clementis est. Quomodocunque enim de eius figmentis iudicamus, id saltem ex iis apparet, eum Clementem Christianum habuisse.

Clemens episcopus autem sua morte defunctus esse videtur), et silentium scriptorum fide dignorum, qui certe narrassent, Domitiani patruelem, cuius filios imperator iam successores destinaverat, ecclesiae Romanae praefuisse, si res ita se habuisset. Tillemont [1]) ex 4, 8, ubi Abraham *noster pater* appellatus est (cf. 31, 2), collegit, Clementem e stirpe iudaica editum fuisse, et nuperrime Lightfoot [2]) totam epistulam, dicendi modum et argumenta, respiciens, idem contendit addens, eum libertum vel filium liberti et de domo Flavii Clementis consulis fuisse. Sed res non liquet. Christianus e Gentilibus quoque patriarchas patres vocare (cf. Theophil. ad Autol. III c. 24. 25. 28. Iust. Dial. c. 134) et, si libros Veteris Testamenti per multos annos legerat, eodem modo quo Clemens scribere potuit, et id solum constat, Clementem ecclesiae Romanae episcopum et discipulum apostolorum fuisse. Hoc testatur Irenaeus III c. 3, 3 dicens, eum cum apostolis vixisse ac cum ipsis conversatum esse; illud unanimes tradunt veteres, quamquam de ordine episcopatus dissentiunt.

Teste Hieronymo plerique Latinorum priscis iam temporibus Clementem Petro successisse affirmarunt. Scribit enim cat. c. 15: *Clemens quartus post Petrum Romae episcopus, siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum apostolum putent fuisse Clementem*, et Tertullianus de praescr. c. 32 addit, eum a Petro ipso fuisse ordinatum. Hieronymus ipse, qui l. c. Clementem Lino et Anacleto postposuit, postea sententiam mutasse ceterisque Latinis accessisse videtur, in Ies. 52, 13 (ed. Vallarsi IV 612) dicens, Clementem, virum apostolicum, post Petrum Romanam ecclesiam rexisse. Adv. Iovin. II c. 12 Clementem successorem apostoli Petri appellat. Sed sententia non est plane certa. Illo enim modo Hieronymus loqui potuit, etiamsi Clementem apostolo non statim successisse putavit. Augustinus ep. 53 ad Generos. n. 2, Optatus Milevitanus de

1) *Mémoires pour servir à l'histoire eccl. St. Clement* art. I.

2) *St. Clement of Rome. Appendix* 1877 p. 263 sqq. Etiam Rénan: *Journal des Savants 1877 Janvier* p. 13 sq., putat, Clementem e gente Iudaeorum oriundum fuisse.

schism. Donat. II c. 3, Constitutiones apost. VII c. 46 et Catalogus pontificum Romanorum a Bollandistis in Propylaeo mensis Maii evulgatus primum Petri successorem Linum, secundum Clementem fuisse tradunt. Irenaeus denique Clementi quartum vel, si Petrus apostolus non numeratur, tertium inter episcopos Romanos locum assignat adv. haer. III c. 3, 3 (graece apud Eus. h. e. V c. 6) scribens: θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν. Τούτου τοῦ Λίνου Παῦλος ἐν ταῖς πρὸς Τιμόθεον ἐπιστολαῖς μέμνηται. Διαδέχεται δὲ αὐτὸν Ἀνέγκλητος· μετὰ τοῦτον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακὼς τοὺς μακαρίους ἀποστόλους καὶ συμβεβληκὼς αὐτοῖς, καὶ ἔτι ἔναυλον τὸ κήρυγμα τῶν ἀποστόλων καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων κτλ., eumque secuti sunt Eusebius h. e. III c. 13. 15. 34 et Hieronymus cat. c. 15.

Sententias illas discrepantes ut componerent, alii alia coniecerunt. Epiphanius (h. 27 c. 6) I Clem. 54, 2 male interpretatus suspicatus est, Clementem a Petro quidem ordinatum fuisse, pacis causa autem Lino cessisse et, cum huic successisset Cletus (ut scribit pro *Anencletus* vel *Anacletus*), pontificatum resumpsisse. Rufinus in praefatione in Clem. Recognitiones [1]) scripsit, Linum et Cletum fuisse quidem ante Clementem episcopos in urbe Roma, sed superstite Petro, videlicet ut illi episcopatus curam gererent, ipse vero apostolatus impleret officium, atque hoc modo utrumque verum videri, ut et illi ante Clementem numerarentur episcopi, et Clemens tamen post obitum Petri docendi suscepisset sedem. Scriptores medii aevi alii aliam sententiam repetierunt. Beda Venerabilis e. g. scribit, Petrum fundata Romae ecclesia Christi Clementem sibi adiutorem evangelizandi, simul et successorem consecrasse perhiberi (Hist. eccles. II c. 4). Haymo Eusebium sequitur idemque refert, eos, qui de cathedra Romanae ecclesiae perscrutati sint, dicere, Linum et Cletum non sedisse ut pontifices, sed ut summi pontificis coadiutores, quibus beatus Petrus tradiderit rerum ecclesiasticarum dispositionem, cum ipse orationi et praedicationi va-

1) Cotelier, Patr. apost. ed. Clericus 1724 I 492.

caverit (Hist. sacr. III c. 12). Recentiori tempore plerique theologi iure catalogum Romanorum pontificum ab Irenaeo traditum verum agnoverunt. Cf. Baron. a. 69, 41 sq. Clemens igitur tertius post Petrum episcopus putandus est. Mortuus est autem teste Eusebio h. e. III c. 34, cum novem annos praedicationem verbi divini procurasset, anno Traiani imperatoris tertio i. e. a. 101 p. Chr. Acta martyrii, quae exstant [1]), haud dubie suppositicia sunt. Rufinus [2]) quidem et Zosimus [3]) eum martyrem appellant. Sed Eusebius et Hieronymus ll. cc. mortem commemorant nullam martyrii mentionem facientes, et Irenaeus l. c. inter episcopos Romanos a Lino usque ad Eleutherum Telesphorum solum martyrem putare videtur.

II.

De tempore, quo epistula confecta est, multum disputabatur. Omnes quidem consentiunt et ex epistula ipsa patet, eam tempore persecutionis vel brevi post scriptam esse. Sed quaeritur, quae sit illa persecutio. Si paucos illos exceperis, qui nuperrime argumentis invalidis epistulam Traiani vel Hadriani temporibus vindicavere, duae sententiae expositae sunt. Hugo Grotius [4]), David Blondel [5]), I. E. Grabe [6]), H. Wotton [7]), G. A. Orsi [8]), A. Gallandi [9]), M. I. Wocher [10]), I. M. Mack [11]), D. Schenkel [12]), G. Uhlhorn [13]), C. I. Hefele [14]), C. Wiese-

1) Cotelier, Patr. apost. ed. Clericus 1724 I 808 sqq. Symeon Metaphr. ad 24. Nov., Surius ad 23. Nov.

2) Hieron. Apol. adv. lib. Ruf. II c. 17 ed. Vallars. II 507.

3) Baron. a. 417, 20. Mansi Acta Conc. IV 350. Cf. Lipsius, *Chronologie der römischen Bischöfe* 1869 p. 154 not. 2.

4) Epist. ad. Gallos 154 apud Cotelier l. c. I 133 sq.

5) Ibidem p. 135.

6) Spicilegium SS. Patrum ed. II 1700 I 254 sqq.

7) S. Clementis Rom. epistolae. 1718 p. CCIII sqq.

8) *Istoria ecclesiastica* 1747 I 291 sq.

9) Biblioth. vet. Patr. 1765 I Prolegom. p. XIX sq.

10) *Die Briefe der apost. Väter Clemens und Polycarpus* 1830 p. 10 sqq.

11) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1838 p. 416 sqq.

12) De ecclesia Corinth. primaeva 1838 p. 105 sqq.

13) *Zeitschrift für histor. Theologie* 1851 p. 322. Aliter ibid. 1866 p. 33.

14) Patr. apost. opera ed. IV p. XXXII sqq.

ler [1]), et nonnulli alii epistulam brevi post Neronis persecutionem c. a. 68 exortam esse statuerunt, ex 6, 4 et c. 40—41 colligentes, Hierosolymam tum temporis nondum deletam fuisse et cultum iudaicum in templo Hierosolymitano adhuc viguisse. Sed argumenta non satis firma sunt. De cultu iudaico similiter loquuntur alii scriptores saeculi secundi vel primi exeuntis (cf. adnotationem ad 41, 2), et quis probare potest, Clementem scribentem: ζῆλος καὶ ἔρις πόλεις μεγάλας κατέστρεψεν, Hierosolymam deletam non ante oculos habuisse? Nonne ex eo, quod de hac re non in c. 4, ubi exempla veteris testamenti protulit, sed in c. 6 loquitur, ubi de martyribus christianis tractat, concludere licet, eversionem Hierosolymae ei occasionem dedisse, ut hunc versum adderet?

Econtra plures epistulae loci finem saeculi produnt. Subitae enim illae ac sibi invicem succedentes calamitates, quarum 1, 1 mentio fit, potius ad Domitiani quam ad Neronis persecutionem quadrant (cf. Tacit. Agric. c. 44. Suet. Domit. c. 11. 12. 15. Dio Cass. LXVII c. 14) et ab auctore satis clare discernuntur a persecutione cruentissima, quae c. 5—6 commemoratur. Neque a veri similitudine abhorret, Clementem, si brevi post mortem beatissimorum apostolorum scribens Neronis persecutione impeditus fuisset, quominus ad Corinthiorum dissidia prius animum adverteret, de celeberrimo illo martyrio epistula ineunte, non progrediente dicturum fuisse. Deinde ex c. 42—44 apparet, apostolos iam ante plures annos, non nonnullos tantum decessisse. Auctor non solum prodit, omnes fere apostolos inter mortuos esse, sed etiam 44, 3 dicit, haud paucos presbyteros, quos apostoli ipsi constituerant, iam defunctos fuisse. Ibidem presbyteri a Corinthiis deiecti μεμαρτυρημένοι πολλοῖς χρόνοις appellantur; 47, 6 ecclesia Corinthiorum ἀρχαία vocatur. Tum viri 63, 3 commemorati, videlicet fideles et casti, qui a iuventute usque ad senectutem inculpate vixerunt, a. 68 vel 69 Romae non fuerunt. Accedit denique, quod Hegesippus (Eus. h. e. III c. 16) testatur, Clementis tempore epistulam Corinthum missam esse, et Eusebius (h. e. III c. 15)

1) *Untersuchungen über den Hebräerbrief* 1861 p. 3 sq. *Jahrbücher für deutsche Theologie* 1877 p. 383—406.

tradit, inde ab anno Domitiani duodecimo Clementem ecclesiae Romanae praefuisse.

Quae cum ita sint, iure plerique viri docti, qui in investiganda scripturae origine versati sunt, epistulam imperio Domitiani exeunte vel imperio Nervae ineunte scriptam esse contenderunt, i. e. a. 93—97, e. g. I. B. Cotelier [1]), Remigius Ceillier [2]), G. Lumper [3]), F. Windischman [4]), I. A. Möhler [5]), I. Fessler [6]), Ad. Hilgenfeld [7]), Gundert [8]), Lipsius [9]), I. B. Lightfoot [10]), Donaldson [11]), Ph. Bryennius [12]), Ad. Harnack [13]), A. Brüll [14]). Num vero epistula Domitiano an Nerva imperium tenente scripta sit, difficillimum est diiudicatu, et alii aliud statuere. Mihi Domitiano exstincto confecta esse videtur. Epistulae exordium potius de persecutione finita quam de aliquo temporis momento intellegendum est, quo imperator ille in fideles saevire desiit, et preces, quae sub finem epistulae ad Deum mittuntur, principem Christianis benevolum produnt.

Sententiam illam, epistulam brevi post Neronis persecutionem exaratam esse, Wieseler [15]) adhuc nuperrime defendit contendens, locos, qui originem seriorem proderent, eam revera non probare; vocem ἀρχαῖος legi etiam Act. 15, 7 (cf. Phil. 4, 15), ubi de spatio temporis minori ageretur; 44, 3 et 63, 3 etiam ante Hierosolymam deletam scribi potuisse; persecutionem, post quam epistula brevi confecta est, non posse non esse per-

1) Patr. apost. ed. Clericus 1724 I 143 sq.
2) *Histoire générale des auteurs sacrés et eccl.* 1729 I 600 sq.
3) Historia theologico-critica etc. 1783 I 17.
4) Vindiciae Petrinae 1836 p. 54 sq.
5) *Patrologie* 1840 p. 57 sqq. Opus posthumum.
6) Institutiones Patrologiae 1850 I 160 sq.
7) *Die apostolischen Väter* 1853 p. 74 sqq.
8) *Zeitschrift für die g. lutherische Theologie* 1853 p. 642 sqq.
9) De Clementis Rom. epist. ad Cor. priore disquisitio 1855 p. 136 sqq.
10) *St. Clement of Rome* 1869 p. 4 sq.
11) *The Apost. Fathers* 1874 p. 130 sq.
12) Κλήμεντος ἐπιστολαί 1875 σελ. πς' κτλ.
13) Patr. apost. ed. Lips. III. I p. LXXXI sqq.
14) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1875 p. 252 sqq. Alios huius sententiae propugnatores, sed non omnes nominat Harnack l. c. p. LXXXVI.
15) *Jahrbücher für deutsche Theologie* 1877 p. 383—394.

secutionem Neronianam; quae enim 1, 1 dicta essent, magis ad illam quadrare quam ad Domitianam et auctorem, si post hanc scripsisset, certe aliquot martyres nominaturum fuisse, qui tunc temporis passi essent. Optime sane de hac re disputavit. Nihilominus autem ad eius sententiam accedere non possum. Nequaquam enim plura de persecutione Domitiani dicenda vel aliquot illius temporis martyres nominandi erant. Perpauca etiam de persecutione Neronis longe maiori dicta et ex *multitudine ingenti* (Tac. Annal. XV c. 44), qui ab illo imperatore morti tradebatur, Petrus et Paulus tantum nominatim commemorati sunt. Persecutio autem Domitiana paucissimis tantum verbis attacta est, quia teste Tertulliano (Apolog. c. 5) Domitianus nonnisi *portio Neronis de crudelitate* fuit, fortasse etiam, quia imperator adhuc inter vivos erat. Reliqua autem, quae Wieseler protulit, minoris momenti sunt. Concedo, locos supra laudatos non stricte probare, epistulam decennio saeculi primi decimo exortam esse. Id autem certe ex iis apparet, Clementem verisimilius hoc tempore quam ante Hierosolymae excidium scripsisse.

III.

Occasio scribendi haec fuit. Ecclesia Corinthiorum, quae tempore praeterlapso virtutibus egregiis excelluerat ac pace profunda erat fruita, cum iuvenes aliquot tumore inflati et honoris cupidi (cf. 1, 1; 3, 3; 21, 5; 47, 6) in presbyteros insurrexissent eosque deiecissent, in discrimen haud exiguum vocatum est. Forsan etiam controversia de resurrectione mortuorum (I Cor. 15, 12 sqq.) denuo exorta est. Omnia perturbari coepta sunt et Gentiles quoque nomini christiano opprobria intulerunt (47, 7). Itaque ecclesia Romana, cum de dissidiis certior facta esset, obligata esse sibi videbatur, ut fratres ad pacem et concordiam revocaret, et epistulam hanc luculentissimam Corinthiis misit.

Constat epistula e prooemio et epilogo ac duabus partibus. In illo (c. 1—3) auctor exponit, quam bonus ecclesiae Corinthiorum status quondam fuerit, quam tristis nunc sit. Olim Corinthios omnibus virtutibus ornatos fuisse (1—2); postquam

autem impletum fuerit, quod scriptum sit Deut. 32, 15, omnia perturbari et unumquemque praeceptis Dei contemptis secundum concupiscentias suas incedere (3). Invidiam fontem malorum illorum declarans Clemens transit ad primam partem (4—36). Demonstrat, ex invidia et zelo apud veteres (4) ac recentiores (5—6) maxima mala exorta esse, et adhortatur ad paenitentiam (7--8), ad oboedientiam et fidem erga Deum (9—12) et ad humilitatem (13), admonitiones dictis sacris et exemplis biblicis comprobans. Corinthii magis Deo oboediant quam seditionis auctoribus (14) et adhaereant iis, qui pacem colant, nec vero colere simulent (15). Christum esse cum humilibus, non cum superbis, et exemplum nobis proposuisse Abraham et alios patres (17—18). Quos sequantur ac Deum diligant, qui sit Deus pacis (19). Naturam universam in pace et concordia omnia perficere et Deum hanc harmoniam instituentem clementissimum erga nos se praebere (20). Caveant, ne eius beneficia in condemnationem ipsis cedant. Faciant voluntatem eius, qui omnia videat et cogitationes quoque scrutetur (21). Eadem postulare fidem christianam, cum Christus per spiritum sanctum nos exhortetur, ut faciamus bonum ac quaeramus pacem (22). Deum benignum esse erga eos, qui ipsum timeant et simplici corde ad ipsum accedant. Itaque ne dubitent. Fore ut verba eius impleantur (23). Vario modo eum resurrectionem futuram ostendere (24—25) et per spiritum sanctum eam praedixisse (26). Credant igitur Deo sperentque in eum, qui non mentiatur, sed exsequatur id, quod decreverit (27). Metuant eum, quem nemo effugere possit (28); accedant ad eum in sanctitate cordis (29) faciantque, quae ei placeant, ut benedictionem eius consequantur (30), sicut Arabam et alii (31). Dona Dei non mereri nec iustificari nos per opera nostra, sed per fidem (32). Nihilominus bona opera nobis peragenda esse. Deum enim et ipsum opera perfecisse et per prophetam declarasse, se opera nostra remuneraturum esse. Magna revera et mirabilia eum promisisse exspectantibus ipsum (33—35) et daturum esse per Iesum Christum filium suum, infirmitatis nostrae patronum et auxiliatorem (36).

In altera parte (37—61) Clemens propius ad rem accedit et postquam ostendit, in exercitu alios imperare, alios oboedire

et imperata exsequi, in corpore quoque alia membra aliis ministrare et omnia capiti (37), Corinthios admonet, ut suum quisque locum obtineat (38—39) et omnes ordinem in ecclesia institutum servent (40). Singulis non omnia licere. Sacrificia Hierosolymae tantum offerri (41), et apostolos constituisse episcopos et diaconos, ut ecclesiae praeessent (42). Deum miraculo ostendisse, qui ipsi essent sacerdotes (43), et apostolos providisse, ne ordo ecclesiae tolleretur (44). Qui legitime ecclesiae praefecti sint et gregi Christi inculpate deservierint, eos episcopatu non deiciendos, et qui illos persecuti sint removerintque, eos non iustos esse, sed improbos (45). Illis igitur, non his adhaerendum esse et seditionem terminandam, quae peior sit priori, quae Pauli tempore fuerit (46—47). Corinthii ad caritatem redeant, quae omnia possit (48—50). Dissidentes peccatum suum confiteantur (51—52) et sicut Moses et alii potius damnum patiantur quam pacem ecclesiae perturbent (53—55); ceteri pro iis orent, ut divinae voluntati cedant (56) et seditionis auctores presbyteris se subiciant (57). Quod consilium si accipiant, fore ut salvi fiant (58); sin autem non pareant, ipsos quidem in discrimen magnum incursuros, consiliantes vero a peccato innocentes futuros esse assidue supplicantes, ut Deus numerum electorum conservet, fideles salvet, omnes gentes ad veritatis cognitionem adducat (59—60), principibus terrae pacem largiatur ac concordiam (61).

In epilogo (62—65) Corinthii iterum admonentur, ut dictis oboediant redeantque ad pacem et unitatem (62—64), et denique rogantur, ut viros ad se missos brevi remittant, ut fratres Romani de pace restituta cum ipsis gaudeant (65).

IV.

Epistula a veteribus maximi aestimata est. Scriptoribus, qui eius mentionem fecerunt vel notitiam habuerunt, iam allatis hi addendi sunt. Ut Usher [1]) primus vidit, Gallandi [2]), Hefele [3]),

1) In Polycarpianam epist. Ignatii syllogen annotationes 1644 p. 1.
2) Bibl. vet. Patr. I Proleg. p. XIII sq.
3) Patr. apost. ed. IV p. XXIV sq.

Zahn [1]), Harnack [2]) probaverunt, iam Polycarpus epistulam manu versavit nec pauca ex ea paene verbotenus in suam ad Philippenses epistulam transtulit. Exscribimus haec:

Polycarpi epistula.	Clementis epistula.
Inscr. Πολύκαρπος ... τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ παροικούσῃ Φιλίππους· ἔλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη παρὰ θεοῦ παντοκράτορος καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χρ. τοῦ σωτῆρος ἡμῶν πληθυνθείη.	Inscr. Ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ... τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ τῇ παροικούσῃ Κόρινθον ... χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ παντοκράτορος θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χρ. πληθυνθείη.
1, 2: Ἡ βεβαία τῆς πίστεως ὑμῶν ῥίζα, ἐξ ἀρχαίων καταγγελλομένη χρόνων, μέχρι νῦν διαμένει.	1, 2: Τίς ... βεβαίαν ὑμῶν πίστιν οὐκ ἐδοκίμασεν; 47, 6: Τὴν βεβαιοτάτην καὶ ἀρχαίαν Κορινθίων ἐκκλησίαν.
2, 1: Διὸ .. δουλεύσατε τῷ θεῷ ἐν φόβῳ καὶ ἀληθείᾳ ἀπολιπόντες τὴν κενὴν ματαιολογίαν καὶ τὴν τῶν πολλῶν πλάνην.	9, 1: Διὸ ὑπακούσωμεν τῇ μεγαλοπρεπεῖ καὶ ἐνδόξῳ βουλήσει αὐτοῦ ... ἀπολιπόντες τὴν ματαιοπονίαν κτλ.
2, 3: Μνημονεύοντες δὲ ὧν εἶπεν ὁ κύριος διδάσκων· Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε· ἀφίετε, καὶ ἀφεθήσεται ὑμῖν· ἐλεεῖτε, ἵνα ἐλεηθῆτε· ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν.	13, 1. 2: Μάλιστα μεμνημένοι τῶν λόγων τοῦ κυρίου Ἰ., οὓς ἐλάλησεν διδάσκων .... Ἐλεᾶτε, ἵνα ἐλεηθῆτε· ἀφίετε, ἵνα ἀφεθῇ ὑμῖν ... ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἐν αὐτῷ μετρηθήσεται ὑμῖν.
4, 2: Ἔπειτα καὶ τὰς γυναῖκας ὑμῶν ἐν τῇ δοθείσῃ αὐταῖς πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγνείᾳ, στεργούσας τοὺς ἑαυτῶν ἄνδρας ἐν πάσῃ ἀληθείᾳ καὶ ἀγαπώσας πάντας ἐξ ἴσου ἐν πάσῃ ἐγκρατείᾳ, καὶ τὰ τέκνα παιδεύειν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου τοῦ θεοῦ.	1, 3: Γυναιξίν τε ἐν ἀμώμῳ καὶ σεμνῇ καὶ ἁγνῇ συνειδήσει πάντα ἐπιτελεῖν παρηγγέλλετε, στεργούσας καθηκόντως τοὺς ἄνδρας ἑαυτῶν ... πάνυ σωφρονούσας. 21, 6, 7: Τοὺς νέους παιδεύσωμεν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου τοῦ θεοῦ, τὰς γυναῖκας ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν διορθωσώμεθα, τὸ ἀξιαγάπητον τῆς ἁγνείας ἦθος ἐνδειξάσθωσαν.

1) *Jgnatius von Antiochien* 1873 p. 617 sq.
2) Patr. apost. ed. Lips. III fasc. I p. LVII sqq.

Polycarpi epistula.	Clementis epistula.
4, 3: Γινωσκούσας ... ὅτι πάντα μωμοσκοπεῖται καὶ λέληθεν αὐτὸν οὐδὲν οὔτε λογισμῶν οὔτε ἐννοιῶν οὔτε τι τῶν κρυπτῶν τῆς καρδίας.	21, 3: Ἴδωμεν, πῶς ἐγγύς ἐστιν καὶ ὅτι οὐδὲν λέληθεν αὐτὸν τῶν ἐννοιῶν ἡμῶν οὐδὲ τῶν διαλογισμῶν ὧν ποιούμεθα.
7, 2: Διὸ ἀπολιπόντες τὴν ματαιότητα τῶν πολλῶν ... ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον ἐπιστρέψωμεν ... προσκαρτεροῦντες νηστείαις, δέησεσιν αἰτούμενοι τὸν παντεπόπτην θεόν.	7, 2: Διὸ ἀπολίπωμεν τὰς κενὰς καὶ ματαίας φροντίδας καὶ ἔλθωμεν ἐπὶ τὸν εὐκλεῆ καὶ σεμνὸν τῆς παραδόσεως ἡμῶν κανόνα (cf. 19, 2). 55, 6: Διὰ γὰρ τῆς νηστείας καὶ τῆς ταπεινώσεως αὐτῆς ἠξίωσεν (sc. ἡ Ἐσθήρ) τὸν παντεπόπτην δεσπότην.
8, 2: Μιμηταὶ οὖν γενώμεθα τῆς ὑπομονῆς ... τοῦτον γὰρ ἡμῖν τὸν ὑπογραμμὸν ἔθηκε δι' ἑαυτοῦ. Cf. 10, 1.	5, 7: Ὑπομονῆς γενόμενος μέγιστος ὑπογραμμός. Cf. 16, 17; 33, 8.
9, 2: Οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, ἀλλ' ἐν πίστει ... εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ τῷ κυρίῳ.	6, 2: Ἐπὶ τὸν τῆς πίστεως βέβαιον δρόμον κατήντησαν. 5, 4: Ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης.

Cf. insuper Polyc. 3, 2 et Clem. 40, 1; 45, 2; 47, 1. 2; 53, 1; 62, 3; P. 3, 3 et Cl. 49, 5; P. 9, 1 et Cl. 5, 1. 3; P. 10, 2. 3 et Cl. 38, 1; 46, 8; 47, 7; P. 11, 3 et Cl. 47, 2; P. 12, 1 et Cl. 53, 1; P. 12, 2 et Cl. 62, 2; P. 12, 3 et Cl. 59, 4; 60, 3. 4; 61, 1. 2; P. 14 et Cl. 63, 3.

Irenaeus epistulam scripturam luculentissimam vocat eiusque argumentum exhibet. Scribit enim adv. haer. III c. 3, 3 (Eus. h. e. V c. 6): Ἐπὶ τούτου οὖν τοῦ Κλήμεντος στάσεως οὐκ ὀλίγης τοῖς ἐν Κορίνθῳ γενομένης ἀδελφοῖς ἐπέστειλεν ἡ ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησία ἱκανωτάτην γραφὴν τοῖς Κορινθίοις, εἰς εἰρήνην συμβιβάζουσα αὐτοὺς καὶ ἀνανεοῦσα τὴν πίστιν αὐτῶν καὶ ἣν νεωστὶ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων παράδοσιν εἰλήφει, *annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem caeli et terrae, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum et advocaverit Abraham, qui edu-*

xerit populum de terra Aegypti, qui locutus sit Moysi, qui legem disposuerit et prophetas miserit, qui ignem praeparaverit diabolo et angelis eius. Hunc patrem Domini nostri Iesu Christi ab ecclesiis annuntiari, ex ipsa scriptura, qui velint, discere possunt et apostolicam ecclesiae traditionem intellegere; cum sit vetustior epistula his, qui nunc falso docent et alterum Deum super demiurgum et factorem horum omnium, quae sunt, commentiuntur [1]). Eusebius h. e. III c. 16. 38 quoque epistulam magnis laudibus effert eamque ab omnibus receptam esse testatur. Cyrillus Hierosol. ex ea allegat c. 25, Basilius M. 58, 2, Hieronymus 16, 2; 20, 8; 49, 2. Epiphanius citat 54, 2 et forsan respicit c. 24—25. Ambrosius quoque phoenicis fabulam (c. 25) narrans Clementem secutus esse videtur. Saeculo sexto exeunte vel septimo ineunte Leontius et Ioannes laudant 33, 2—6, paulo post Maximus Confessor 48, 6, octavo saeculo Ioannes Damascenus 33, 2—6, undecimo Nicon monachus Raithensis 14, 1; 15, 1. 2; 46, 2. 4; duodecimo Antonius auctor Melissae 48, 6 (cf. adnotationes ad hos locos). Photius, quamquam aliquot loci (20, 8; 25; 36, 1) ei minus placuerunt, iudicavit, epistulam esse ἁπλοῦν κατὰ τὴν φράσιν καὶ σαφῆ καὶ ἐγγὺς τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ καὶ ἀπεριέργου χαρακτῆρος (Bibl. cod. 126), et Syri eam tanti aestimarunt, ut eam una cum altera quae dicitur Clementis epistula in linguam suam transferrent. In occidentali ecclesia autem inde a saeculo V usque ad saeculum XVII epistula incognita fuit.

Veteres epistulam etiam dignam habuerunt, quae publice in ecclesia praelegeretur, et Corinthi, cum Dionysius (Eus. h. e. IV c. 23, 13 ed. L. c. 31) de prisca consuetudine loquatur, id inde ab initio factum esse videtur. Aliae ecclesiae Corinthios imitatae sunt. Teste Eusebio h. e. III c. 16, 2 in plerisque ecclesiis, teste Hieronymo cat. c. 15 in nonnullis locis epistula publice legebatur, et verisimile est, Clementem Al. Strom. IV c. 17, 107 p. 609 consuetudinem illam respicientem Clementem

1) Facile intellegis, in iis, quae latine tantum exstant, Irenaeum epistulam magis interpretatum esse quam ea, quae continet, paucis verbis retulisse. Demonstrare enim voluit, actiones singulas, quas Gnostici demiurgo vindicant, in epistula de Deo uno praedicari.

nostrum apostolum appellasse. Qui mos effecit, ut epistula cum sacris libris in uno volumine colligeretur. In codice Alexandrino, qui Constantino de Tischendorf [1]) saeculo quinto scriptus esse videtur, duae Clementis epistulae libris Novi Testamenti subiunctae sunt, et ex eo, quod post Apocalypsin legebantur, concludere licet, eas non inter libros canonicos habitos fuisse. Eusebius h. e. VI c. 13, 6 insuper libris ἀντιλεγομένοις eas adnumerat et in enumerandis libris canonicis (III c. 3. 24. 25) eas omittit, auctor stichometriae a Nicephoro Constantinopolitano editae, qui inter libros ἀντιλεγομένους et apocryphos discrimen facit, eas inter hos recenset [2]). Synodus Laodicensis can. 60, Athanasius, Cosmas Indianopleustes et Anastasius Sinaita [3]) sacros libros enumerantes eas silentio praetereunt [4]).

Sed postquam epistulae in uno volumine una cum sacris libris colligi coeperunt, fieri potuit, ut ab hominibus neglegentibus illae his adnumerarentur. In canone 85 apostolorum revera Clementis epistulae duae inter (non post) libros canonicos recensentur. Quaeritur quidem, num verba Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο iam ab auctore canonis scripta an ab alio inserta sint. Forma enim suspicionem movet et saeculis proximis, quamquam canon a synodo Trullana a. 692 receptus est, neque in codicibus neque a scriptoribus graecis epistulae nostrae libris canonicis aequiparantur [5]). Saeculo nono eas in ecclesia graeca iam praelegi desiisse elucet e verbis Photii Bibl. cod. 113 dicentis, priorem apud multos dignam *existimatam fuisse*, quae etiam publice legeretur, alteram quae diceretur ab iisdem spuriam

1) Vetus Testamentum Graece iuxta LXX interpretes ed. IV. I p. LXV. Hilgenfeld eum aeque ac Sinaiticum saeculo sexto assignat. Cf. *Zeitschrift für wissenschaftl. Theologie* 1864 p. 211 sqq.

2) Credner, *Geschichte des neutestam. Kanon* 1860 p. 244.

3) Credner l. c. p. 224. 237. 241.

4) Cf. Lightfoot, *St. Clement of Rome* p. 11. 273. *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1877 p. 491 sq.

5) Joannes Damascenus de fide orthod. IV c. 17 excipiendus esse videtur. In cod. Regio 2428 enim inter libros canonicos post κανόνες τῶν ἁγίων ἀποστόλων etiam ἐπιστολαὶ δύο διὰ Κλήμεντος commemorantur. Sed verba illa, cum in reliquis codicibus non exstent, haud dubie interpolata sunt.

haberi. Sed etiamsi verba illa interpolata existimanda sunt, brevi ea canoni adiecta esse testes sunt codices syriaci saeculi septimi et octavi [1]), in quibus iam leguntur. Inter Graecos Alexius Aristenus [2]) c. a. 1160 canonem repetens Clementis epistularum disertis verbis mentionem facit. In codice syriaco nuperrime detecto, in monasterio Edesseno a. 1170 conscripto, epistulae non post Apocalypsin vel in fine voluminis, sed post epistulas catholicas exhibentur eodemque modo atque illae destinantur, ut in ecclesia praelegantur. In monasterio illo igitur eadem auctoritas iis attributa est ac libris canonicis. Sed an in aliis monasteriis vel ecclesiis et quamdiu, nescimus.

V.

Epistula vix typis publicata erat, cum integritas in dubium vocaretur. Hieronymus Bignon, advocatus regius Parisinus, iam a. 1633 scripsit Hugoni Grotio, occurrere sibi videri in ea quaedam a stylo apostolico aliena, praesertim frequentiora epitheta, fabulam avis phoenicis et vocem λαικός (40, 5), adquievit autem sententiae viri illius doctissimi obiectiones refutantis [3]). Non multo post cum Eduardus Bernardus Anglicanus suspicatus esset, epistulam auctam fuisse ab impostore, qui lacinias Clementis Alexandrini Romano adsuisset, Clericus quidem, quae obiecerat ille, digna esse putavit, quae diligentius a viris eruditis expenderentur [4]), Wotton vero iure dixit, eadem ratione actum esse de authentia et fide scriptorum omnium a Clemente Al. usquam laudatorum, quippe qui in citandis auctoribus maxima libertate usus esset [5]). Sagacius quidem rem aggressus est saeculo praeterito Laurentius Mosheim [6]) contendens, capita 11—12, 22—27, 40—45 et 55, quippe quae cum argumento epistulae non concinnerent, a posteriore intrusa

1) Cf. Lightfoot, *St. Clement. Appendix* p. 275 not. 2.
2) Cf. Credner, *Geschichte des neutestamentl. Kanon* p. 252.
3) Cf. Cotelier, Patr. apost. ed. Clericus 1724 I 133 sq.
4) Ibidem, Praef. n. III.
5) In notis ad c. 9 p. 40 sq.
6) Institutiones historiae christianae maiores 1739 p. 214 sq.

esse. Sed erravit vir doctus et bene respondit Hefele [1]): capita illa tum omnia cum praecedentibus optime cohaerere, tum nonnulla iam ab Origene (c. 55) et Cyrillo Hierosolymitano (c. 25) allegari; styli et orationis diversitatem nullibi inveniri nec verisimile esse, epistulam, quae publice in ecclesia praelecta fuisset, ab homino improbo foedatam esse. Nostris quoque temporibus nonnulli epistulam interpolatam esse voluerunt, e. g. A. Neander [2]). A. Schwegler [3]) et F. Ch. Baur [4]) non solum integritatem, sed etiam authentiam impugnaverunt contendentes, epistulam saeculo secundo procedente demum confectam esse. Sed ille sententiam suam vix probare conatus est. Contra hos epistulam strenue defenderunt Chr. C. I. Bunsen [5]) et A. Ritschl [6]), et hodie vix unus est, qui iis assentiatur. Contendit quidem Hilgenfeld [7]), Clementem epistulam misisse tantum Corinthiis, nec vero scripsisse, quippe quae plura contineret, quae imperatoris patruelem dixisse valde dubium esset. Sed non negavit, epistulam a presbytero vel episcopo Romanae ecclesiae imperio Domitiani exeunte exaratam esse, et opinio illa ab altera iam supra refutata pendet, Clementem Romanum eundem esse ac Titum Flavium Clementem.

VI.

Typis epistula primum vulgata est Oxonii a. 1633 a Patricio Iunio [8]), regis Anglorum bibliothecario, quinto anno postquam ex Oriente in Occidentem remeavit. Legitur enim ad calcem codicis illius Veteris et Novi Testamenti celeberrimi,

1) Patr. apost. ed. IV p. XXX sq.

2) *Allgemeine Geschichte der christl. Religion* ed. III 1856 I 362.

3) *Das nachapostolische Zeitalter* 1846 II 125—133.

4) *Die ignatianischen Briefe und ihr neuester Kritiker* 1848 p. 125 sq.

5) *Ignatius von Antiochien und seine Zeit* 1847 p. 189 sqq.

6) *Die Entstehung der altkatholischen Kirche* 1850 p. 282—287. In ed. II 1857 auctor hunc locum omisit.

7) Clementis Rom. epistulae 1876 p. XXXVI sqq.

8) Κλημεντος προς Κορινθιους επιστολη πρωτη. Clementis ad Corinthios epistola prior. Ex laceris reliquiis vetustissimi exemplaris Bibliothecae Regiae eruit, lacunas explevit, latine vertit, et notis brevioribus illustravit Patricius Iunius etc. ed. II 1637.

qui a Cyrillo Lucari patriarcha primum Alexandrino, tam Constantinopolitano a. 1628 Carolo I Anglorum regi dono datus est et inde ab anno 1753 in Museo Britannico asservatur. Quae editio cum una cum iis, quas ad ipsam exegerunt I. I. Mader 1654 [1]), I. Fell 1669 [2]), Ph. Labbé et Gabr. Cossart 1671 [3]), Cotelier et Clericus 1672. 1698 [4]), Paulus Colomiès 1687 [5]), Thomas Ittig 1699 [6]), vitiis laboraret haud paucis, Henricus Wotton codice iterum inspecto a. 1718 Cantabrigiae instituit novam et emendatiorem [7]), et tum huius tum priorum editionum textum repetierunt P. Coustant 1721 [8]), I. L. Frey 1742 [9]), R. Russel 1746, A. Gallandi 1765, C. T. G. Schönemann 1796 [10]), Cl. Fr. Hornemann 1828 [11]). Decenniis quatuor modo praeterlapsis de textu e codice emendando optime meriti sunt Gul. Iacobson [12]), Const. Tischendorf et I. B. Lightfoot [13]), et eodem tempore praeter illos epistulam ediderunt C. I. Hefele 1839, Fr. X. Reithmayr 1844, A. Grenfell 1844, Ed. de Muralto 1847, Alb. Dressel et I. P. Migne 1857 [14]), Ad.

1) Clementis ad Corinthios epist. prior. Helmestadii.

2) S. Patris et Martyris Clementis ad Cor. epistola. Oxoniae. ed. II 1677.

3) Sacrosancta Concilia ad Regiam editionem exacta. Parisiis I 116 sqq.

4) Titulus ubi non exscribitur, iam supra p. XII in editionibus Barnabae epistulae recensendis exhibitus est.

5) S. Clementis epistolae duae ad Cor. etc. ed. P. Colomesius. Londini. Ed. II 1695.

6) Bibliotheca Patrum Apostolicorum Graeco-Latina. Lipsiae.

7) S. Clementis Rom. ad Corinthios epist. duae, expressae ad fidem mst. cod. Alexandrini collati cum editione Iunii a Millio et Grabio, illustratae notis Iunii et Cotelerii necnon Ioh. Boisii olim Canonici Eliensis non antehac editis etc.

8) Epistolae Romanorum Pontificum. Parisiis t. I.

9) Epistolae S. Patrum Apost. Clementis etc. Basileae.

10) Epistolae Rom. Pontif. ed. Coustantii repetita. Gottingae.

11) Scripta genuina Graec. Patr. Apost. Havniae.

12) S. Clementis Romani, S. Ignatii, S. Polycarpi, Patr. Apost. quae supersunt. Oxonii 1838. Denuo 1840. 1847. 1863.

13) *S. Clement of Rome. The two Epistles to the Corinthians. London and Cambridge* 1869.

14) Patrol. graeca t. I.

Hilgenfeld 1866, I. C. M. Laurent 1870 [1]), Gebhardt et Harnack 1875. Tischendorf, cum editio codicis photographica, quam a. 1856 fecerat F. Madden, minus prospere processisset, eiusmodi editionem paravit, qua singula, quae in codice supersunt, quam accuratissime repraesentarentur, et primum a. 1867 in *Appendice codicum celeberrimorum Sinaitici Vaticani Alexandrini,* deinde a. 1873 separatim publicavit [2]).

Tischendorf et Lightfoot codicem Alexandrinum tanta cum diligentia pervestigaverunt, ut aliis vix quidquam relinqueretur. Sed codex ipse valde corruptus est. Folium enim decimum, quod finem capitis 57 et sex capita sequentia continet, excidit, et reliqua folia, quae conservata sunt, tineis obesa vel alio modo corrupta sunt, ita ut plures loci legi nequeant. Itaque textus epistulae quamdiu e codice uno Alexandrino hauriendus erat, nonnisi imperfectus edi poterat. Lacuna magna, quae toto folio deperdito exstiterat, nullo modo expleri poterat. In parvis lacunis ingenio editorum quidem restituta sunt, quae auctor ipse scripsisse videbatur. Sed haud raro alii alia coniecerunt, et nonnunquam omnes errasse nunc temporis constat. Nuperrime enim Philotheus Bryennius, Metropolita Serensis, nunc Nicomediensis, Constantinopoli in bibliotheca monasterii patriarchalis Hierosolymitani codicem a. 1056 a Leone notario conscriptum invenit, in quo, quae adhuc defecerunt, leguntur, et a. 1875 Clementis epistulas integras typis vulgavit [3]). Quae editio ab omnibus, qui antiquitati christianae operam navant, maximo cum gaudio excepta est, et Gebhardt-Harnack [4]) ac

1) Clementis Rom. ad Corinthios epistula. Lipsiae.

2) Clementis Rom. epistulae. Ad ipsius codicis Alexandrini fidem ac modum repetitis curis edidit etc. Lipsiae.

3) Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν *Κλήμεντος* ἐπισκόπου Ῥώμης αἱ δύο πρὸς Κορινθίους ἐπιστολαὶ ἐκ χειρογράφου τῆς ἐν Φαναρίῳ Κωνσταντινοπόλεως Βιβλιοθήκης τοῦ Παναγίου Τάφου νῦν πρῶτον ἐκδιδόμεναι πλήρεις μετὰ προλεγομένων καὶ σημειώσεων ὑπὸ *Φιλοθέου Βρυεννίου* μητροπολίτου Σερρῶν. Ἐν Κωνσταντινοπόλει 1875.

4) Clementis Rom. ad Corinthios quae dicuntur epistulae. Textum ad fidem codicum et Alexandrini et Constantinopolitani nuper inventi recensuerunt et illustraverunt etc. Patr. apost. opera. Fasc. I part. I ed. II. Lipsiae.

Hilgenfeld [1]) iam a. 1876 novas editiones instituerunt totum epistularum textum exhibentes. Eodem fere tempore in bibliotheca, quam Iulius Mohl † 1876 reliquit, codex syriacus inventus est, qui totum Novum Testamentum Apocalypsi excepta et inter epistulas Iudae et Pauli ad Romanos Clementis epistulas duas continet. Nunc in bibliotheca Universitatis Cantabrigiensis, quae eum sibi comparavit, asservatur. Professor Bensly brevi eum edet; lectiones epistularum nostrarum variantes I. B. Lightfoot [2]) iam a. 1877 publici iuris fecit. Codex a. 1170 a monacho Edesseno scriptus, cum interpres archetypi verba satis diligenter reddiderit, ad textum epistularum restituendum haud parum confert et controversiam diiudicat, quae post editionem Bryennii de codicibus graecis exorta est, num Alexandrinus Constantinopolitano an hic illi praeferendus sit. Versio syriaca clare ostendit, textum magis genuinum in codice Alexandrino exstare, et propterea hunc maxime secutus sum paucis locis exceptis, in quibus eum corruptum esse e ceteris codicibus apparet. Signavi eum A, Constantinopolitanum C, versionem syriacam S. Ubi S ab AC discrepat vel editores ante Bryennium falsa coniectaverunt, lectiones non notavi, nisi maioris momenti fuerint.

Alia sigla, quibus in hac parte usus sum, sunt: edd a. Br = editores ante Bryennium; edd pler = editores plerique; Lightf. = Lightfoot.

Versionem latinam, quam una cum textu graeco exhibeo, fecerunt Cotelier (1—57, 6 et 64—65) et Gebhardt (57, 7—63). Hefele et Gebhardt partem iam pridem cognitam emendaverunt; partem nuperrime detectam ego passim castigavi et correxi. Viri, qui epistulas Clementinas una cum reliquis patrum apostolicorum operibus in linguas recentiores transtulerunt, iam supra memorati sunt. Separatim aut cum nonnullis tantum aliis operibus eas verterunt Germanus quidam anonymus [3]), M. I. Wo-

1) Clementis Rom. epistulae etc. Lipsiae.

2) *St. Clement of Rome. An appendix containing the newly recovered portions. With introductions, notes and translations.* Londini.

3) *Sämmtliche Werke der Kirchenväter.* Campiduni 1830. Continet tomus primus patrum apostolicorum opera omnia praeter epistulam Barnabae et Pastorem Hermae.

cher [1]), I. B. Lightfoot [2]), Abr. Ruchat [3]), Felix [4]), Genoude [5]).

De doctrina S. Clementis disputarunt inprimis Lumper [6]), Möhler [7]), Hilgenfeld [8]), Lipsius [9]), Donaldson [10]).

VI.

De altera quae dicitur Clementis epistula plura iam supra dicta sunt. Inde a saeculo quinto enim eius plerumque una cum priore a veteribus mentio fit eique, cum utraque a Clemente Romano scripta putaretur, eadem atque illi auctoritas attribuitur. Quae autem praeterea de ea cognita habemus, haec sunt. Cum Dionysius Corinthius (Eus. h. e. IV c. 23, 13 ed. L. c. 31) Clementis epistulam, de qua adhuc disputavimus, προτέραν appellet non respectu secundae eiusdem auctoris epistulae, sed respectu epistulae Soteris Romani pontificis, quae pariter in ecclesia Corinthiorum publice legebatur, Eusebius primus eius meminit. Monet enim h. e. III c. 38, 4 ed. L. c. 39, alteram quoque Clementis epistulam circumferri, sed non perinde ac priorem notam esse, quoniam nec veteres ea usi fuerint. Hieronymus cat. c. 15 ultro refert, eam a veteribus reprobari. Epiphanium quoque epistulae testimonium praebere, quippe qui h. 27 c. 6; h. 30 c. 15 de pluribus Clementis epistulis verba faciat, probari nequit. Cum enim verba, quae h. 30 c. 15 laudantur, e Pseudoclementis epistulis ad virgines (cf. adnotat. ad I Clem. c. 17) desumpta sint, conicere

1) *Die Briefe der apostolischen Väter Clemens und Polycarpus.* Tubingae 1830.

2) *St. Clement of Rome. Appendix* 1877 p. 345—390.

3) *Lettres et Monumens de trois Pères Apostoliques St. Clément, St. Ignace, St. Polycarpe.* Lugd. Batav. 1738.

4) *Chefs-d'oeuvre des Pères de l'église etc.* Parisiis 1837.

5) *Les Pères de l'église traduits en français etc.* Parisiis 1837. — Nonnullas alias versiones enumerant Iacobson, Patr. apost. t. I, et Gebhardt in editione Patr. apost. Lipsiensi III.

6) Historia theologico-critica I 56—92.

7) *Patrologie* p. 61—65.

8) *Die apostolischen Väter* p. 85—92.

9) De Clementis Rom. epist. ad Cor. priore disquisitio 1856. p. 16—107.

10) *The Apostolical Fathers* p. 153—190.

licet, eum has respicientem de pluribus Clementis epistulis locutum esse. Photius Bibl. cod. 113 Eusebii vel potius Hieronymi iudicium repetit. Postquam enim retulit, Clementem epistulam praeclaram ad Corinthios scripsisse, quae a multis digna haberetur, quae publice legeretur, pergit: ἡ δὲ λεγομένη δευτέρα πρὸς τοὺς αὐτοὺς ὡς νόθος ἀποδοκιμάζεται. Quibus ex verbis sequi videtur, eum dubitasse, num scriptura a Clemente confecta aut revera epistula esset. Sed non liquet. Cod. 126 enim non de altera quae dicitur, sed simpliciter de altera Clementis epistula loquitur, neque a verisimilitudine abhorret, eum aeque ac Hieronymum Eusebii verba minus recte interpretatum esse. Nullus sane veterum scripturam Clementi disertis verbis abiudicavit.

In codice Alexandrino epistula nostra Clementis epistulae priori adiuncta est. Sed cum, quae voces θῆλυ τοῦτο 12, 5 sequuntur, in codice illo deficiant, usque ad novissimos dies duae tantum epistulae partes cognitae fuerunt. Tertia demum in codice Constantinopolitano et in versione syriaca inventa est. Ex quo autem tempore totam scripturam habemus, patet, recte iudicasse Godofredum Vendelinum, Henricum Dodwell [1]) et I. E. Grabe [2]), qui primi viderunt, eam non epistulam, sed homiliam esse. Epistulae enim formam non habet ipsaque inscriptione cum voto iuncta in frontispicio caret, qualis tamen in omnibus apostolorum ac virorum apostolicorum literis ad particulares ecclesias datis inque ipsa prima Clementis epistula plane exstat [3]). Accedit, id quod nunc cognoscimus, quod scriptura revera in ecclesia aliqua tanquam homilia praelecta fuit. Cf. 15, 2; 17, 3; 19, 1.

De t e m p o r e, quo scriptura confecta esset, alii alia statuere. Plerique eorum, qui eam epistulam esse putaverunt, eam Clementi Romano vindicaverunt, M. I. Wocher [4]) vero Dionysio Corinthio, Ad. Hilgenfeld [5]) Soteri Romano. H. Hagemann [6])

1) Dissertat. in Irenaeum 1689 I § 29.
2) Spicilegium SS. Patrum ed. II Saec. I p. 268.
3) Grabe, Spicilegium l. c.
4) *Die Briefe der apost. Väter* etc. 1830 p. 204.
5) Ed. I in Nov. Test. extra can. rec. II p. XXXIX.
6) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1861 p. 509—531.

respiciens Hieron. adv. Iovin. I c. 12 et Epiph. h. 30 c. 15, ubi Clementi ἐπιστολαὶ ἐγκύκλιοι adscribuntur, contendit, eam tanquam epistulam encyclicam Clementi Romano suppositam et librum esse, quem Hermas Vis. II c. 4, 3 Clementi mittere iubetur. Sed cum viri isti omnes de charactere scripturae sese fallerent, fieri non potuit, quin etiam in constituendo tempore alii magis alii minus errarent. Grabe [1]) suspicatus est, eam post Origenem, cui eam nondum notam fuisse coniectare liceret, et aliquamdiu ante Eusebium vel saeculo tertio medio in lucem prodiisse. A. Ritschl [2]) e c. 9 collegit, eam temporibus Gnosticorum exaratam esse. Ad. Hilgenfeld [3]) eam tempori M. Aurelii imperatoris (161—180) adscripsit. Nostro adhuc tempore Bryennius [4]) Clementem Romanum homiliae auctorem esse contendit, sed non probavit [5]), et si eum exceperis, ad unum omnes nunc sibi persuasum habere videntur, eam post aetatem Clementis Rom. exortam esse. Hilgenfeld nuperrime [6]) suspicatus est, Clementem Alexandrinum iuvenem (M. Aurelio imperante) Corinthi versantem orationem sacram habuisse', quae primo Κλήμεντος πρὸς Κορινθίους inscripta, postea autem Clementis Rom. epistulae tanquam altera epistula addita esset. Lightfoot [7]) scripturam ad annos 120—140 retulit. Harnack [8]) demonstrare conatus est, homiliam intra annos 130 et 160 vel potius 135 et 140 Romae exortam esse. Sed tam accurate tempus definiri nequit. Vix quidem dubium est, quin auctor saeculo secundo vixerit. Impugnantur enim (c. 9), qui non solum hanc carnem nostram resurrecturam esse negaverunt, sed etiam contendisse videntur, opera carnis non magni momenti esse, cum caro ipsa periret, neque erraverimus statuentes, illos Gnosticos fuisse. Praeterea auctorem potius ante quam post

1) Spicilegium p. 269.
2) *Die Entstehung der altkathol. Kirche* ed. II p. 286.
3) *Die apostolischen Väter* p. 115 sqq.
4) Πρὸς Κορινθίους ἐπιστολαί. Prolegom. c. 24.
5) Cf. *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1876 p. 296 sqq.
6) Clementis Rom. epistulae ed. II 1876 p. XLIX.
7) *St. Clement of Rome. Appendix* p. 310 sqq.
8) Clementis Rom. etc. epistulae ed. II p. LXX sqq. *Zeitschrift für Kirchengeschichte* I (1877) 264-283. 329—365.

medium saeculum vixisse coniecerim, quoniam quae c. 14 de ecclesia spirituali leguntur, postquam Gnostici errores suos per totum orbem disperserunt, haud facile dici poterant. Considerantibus autem, rationes ecclesiarum singularum maxime varias fuisse et auctorem homiliae non ecclesiam universam aut plures ecclesias, sed unam tantum respexisse, nobis cavendum est, ne nimium e scriptura concludamus.

Ubi homilia habita sit, e 7, 1. 3 elucet. Ibi enim orator ad ludos Isthmicos alludit et cum voci καταπλεῖν non addat εἰς τὸν Ἰσθμόν vel εἰς Κόρινθον, concludamus oportet, eum Corinthi sermonem fecisse. Accedit, quod, si oratio in hac urbe habita fuit, facile intellegimus, quomodo opus auctoris incerti Clementi Romano vindicatum sit. Historia homiliae ostendit, eam dignam existimatam fuisse, quae saepius in ecclesia praelegeretur. Statuere autem licet, eam hanc ob causam in uno volumine Clementis epistulae subiunctam et denique eidem auctori attributam fuisse. Initio forsan inscripta fuit πρὸς Κορινθίους; deinde autem librarius ex inscriptione praecedente addidit Κλήμεντος β' [1]).

O r d o s e n t e n t i a r u m hic est. Magna, non humilia sentiamus de Christo. Ipse enim nos de tenebris ad lucem vocavit et pereuntes salvavit (c. 1). Verba Iesaiae 54, 1 in nobis impleta sunt (2). Confiteamur igitur Dominum mandatis ipsius obsequentes (3), bona opera facientes (4), hunc mundum contemnentes (5), qui est inimicus futuro. Sin autem, non intrabimus in regnum Dei (6). Contendamus igitur, ut coronam aeternam consequamur (7). Paenitentiam agamus, dum tempus est, et carnem castam servemus (8). Ne dicamus, carnem non resurrecturam esse. Non dubium est, fore ut in hac carne iudicemur. Diligamus ergo nos invicem et Domino demus laudem (9). Praeponamus gaudia aeterna voluptatibus saeculi (10). Ne dubitemus, sed fidem habeamus promissis Dei, et mercedem reportabimus (11). Regnum Dei cottidie exspectemus, quoniam adventum Domini ignoramus (12). Iam igitur paenitentiam

1) Cf. Lightfoot l. c. p. 305 sqq. Zahn in: *Göttinger G. Anzeigen* 1876 p. 1430 sq.

agamus (13), ut voluntatem Dei facientes simus ex ecclesia spirituali et accipiamus bona vitae aeternae (14). Quod si facimus, non paenitebit nos. Magnus fructus nobis erit (15). Convertamur ad Deum, qui vocavit nos, ut in die iudicii Iesu misericordiam consequamur (16). Neque solum nunc, sed etiam domum dimissi attendamus mandatis Domini, ut ad vitam perveniamus. Dominus enim secundum sua cuique opera retribuet (17). Simus ergo ex iustis, non ex improbis (18). Ne aegre feramus, neque si a presbyteris commonefimus neque si iniustos divites et iustos angustatos videmus. Praeceptis Domini oboedientes et miserias huius temporis patienter tolerantes beati erimus. Deus autem non cito dat mercedem, ne lucrum, sed pietatem sectemur (19—20).

Homilia fere semper una cum Clementis ad Corinthios epistula tanquam altera epistula edita et versa est. Cf. ergo, quae de editionibus et versionibus supra c. 5 dicta sunt.

VII.

Circumferuntur denique (Homilias Clementinas et reliqua opera mere ficticia silentio praetereo) sub nomine Clementis duae epistulae ad virgines. Exstant in codice syriaco, qui a. 1470 conscriptus est a monacho et presbytero Kuphar quique nunc asservatur in Bibliotheca seminarii Remonstrantium Amstelodamensis. Codex continet etiam libros Novi Testamenti praeter Evangelia et Apocalypsin et iuxta notam librarii Pauli epistulis adiunctam olim Evangelia quoque continuit. Libri autem singuli leguntur in hoc ordine: 1) Actus apostolorum, 2) Epistula Iacobi, 3) Epistula I Petri, 4) Ep. I Ioannis, 5) Epistulae Pauli, 6) (praemissa hac nota: *Pauli epistulis adiungimus illas apostolorum epistulas, quae non inveniuntur in omnibus codicibus)* Ep. II Petri, 7) Epist. II et III Ioannis, 8) Ep. Iudae, 9) (spatio nullo interiecto) Epistulae Clementis duae ad virgines, quarum prior inscripta est: *Epistula prior beati Clementis discipuli Petri apostoli,* altera: *Epistula posterior eiusdem Clementis* [1]).

1) Cf. Beelen, S. Clementis Rom. epistolae binae de virginitate p. IX sqq.

Primus epistulas edidit syriace et latine I. I. Wetstein a. 1752 [1]). Interpretationem latinam repetierunt Mansi [2]) et Premagny [3]), textum syriacum Gallandi [4]) et Migne [5]). In sermonem germanicum epistulas transtulit P. Zingerle [6]), in sermonem gallicum Premagny et Villecourt [7]). Editiones illae syriacae cum vitiis laborarent haud exiguis, codice iterum inspecto paravit novam et emendatiorem a. 1856 I. Th. Beelen idemque versionem latinam novam et fidelem instituit [8]).

Editores et interpretes praeter Mansi et Premagny epistulas genuinas habuerunt iisque adstipulati sunt praesertim Möhler [9]), Permaneder [10]), Champagny [11]), Brück [12]). Plures, e. g. Mansi, Lumper [13]), Hefele [14]), Alzog [15]), rem in dubio reliquerunt. Plerique, inter quos inprimis Lardner [16]), Venema [17]), Herbst [18]),

1) Duae epistolae S. Clementis Rom. discipuli Petri apostoli, quas e codice manuscripto N. T. syriaci nunc primum erutas, cum versione latina apposita, edidit etc. Lugd. Batav.

2) S. S. Concil. Collect. (1757) I 143—160.

3) Cf. Beelen l. c. p. XLII.

4) Bibl. vet. Patr. t. I.

5) Patrol. graec. t. I 679—451. Adiecta est interpretatio latina Villecurtiana.

6) *Die zwei Briefe des h. Clemens von Rom an die Jungfrauen.* Viennae 1827.

7) *Les deux épitres aux Vierges de saint Clement Romain, disciple de saint Pierre, traduites en Latin et en Français par Mgr. Clement Villecourt, Evèque de la Rochelle et de Saintes, précédées d'une dissertation, qui en établit l'authenticité.* Parisiis 1853.

8) S. Clementis Rom. epistolae binae de virginitate, syriace etc. Lovanii.

9) *Patrologie* p. 67—69.

10) Patrologia specialis 1842 p. 26.

11) *Les Antonins* 1863 I 198 sqq.

12) *Lehrbuch der Kirchengeschichte* ed. II 1877 p. 74.

13) Historia theol. critica I p. 40 sqq.

14) *Kirchenlexikon von Wetzer und Welte* II 586.

15) *Patrologie* ed. III 1876 p. 23 sq.

16) *A dissertation upon the two epistles adscribed to Clement of Rome, lately published by Mr. Wetstein* etc. Londini 1753.

17) Epistola ad P. Wesseling, qua duas Clementis epistolas a Wetstenio nuper publicatas Epiphanio et Hieronymo notas fuisse, in dubium

memorandi sunt, epistulas Clementi R. abiudicarunt et ego ad horum sententiam accedo. Haud quidem nego, Epiphanium et Hieronymum epistulas cognitas habuisse. Verba enim cum illius (h. 30 c. 15): αὐτὸς Κλήμης αὐτοὺς κατὰ πάντα ἐλέγχει ἀφ' ὧν ἔγραψεν ἐπιστολῶν ἐγκυκλίων τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων, ὅτι ἄλλον ἔχει χαρακτῆρα ἡ ἑαυτοῦ πίστις καὶ ὁ λόγος παρὰ τὰ ὑπὸ τούτων εἰς ὄνομα αὐτοῦ ἐν ταῖς Περιόδοις νενοθευμένα· αὐτὸς γὰρ παρθενίαν διδάσκει, καὶ αὐτοὶ οὐ δέχονται· αὐτὸς γὰρ ἐγκωμιάζει Ἠλίαν καὶ Δαβὶδ καὶ Σαμψὼν καὶ πάντας τοὺς προφήτας, οὓς οὗτοι βδελύττονται, tum huius (c. Iovin. I c. 12): *ad hos (eunuchos) et Clemens, successor apostoli Petri, cuius Paulus meminit, scripsit epistulas omnemque paene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit*, procul dubio ad epistulas nostras referenda sunt. Eadem autem authentiae non minus obsunt quam favent. Si enim Epiphanius refert, epistulas in ecclesiis praelectas fuisse, Eusebius vero et Hieronymus in libro de viris illustribus, quem ante librum contra Iovinianum scripsit et in quo id egit, ut omnes scriptores christianos eorumque opera enumeraret, eas silentio praetereunt, sequitur, in paucissimis tantum ecclesiis eas auctoritatem illam consecutas esse, cum non sit verisimile, patrem historiae ecclesiasticae et auctorem Catalogi scriptorum ecclesiasticorum simul adeo neglegenter de Clemente egisse, ut ambo has literas sane egregias omitterent. Eusebius igitur, qui inter veteres amplissimam de literis christianis notitiam habuit, eas prorsus non cognovit, Hieronymus eo demum tempore, quo contra Iovinianum scripsit. Epistulis autem non solum testimonia luculenta externa desunt, sed etiam argumenta interna eas vix genuinas esse produnt. Auctor earum, ut iam Lardner vidit, longe plures Novi Testamenti libros allegat quam Clemens et multos S. Scripturae locos tacite operi suo inserit, cum hic, si orationem illam praestantissimam c. 59—61 omittis, fere semper indicat, ubi aliquid e S. Scriptura desumpsit. Accedit, quod rationem

vocatur etc. 1754. Secutae sunt duae aliae epistulae eodem anno. Wetstein singulis epistulis respondit. Cf. Beelen l. c. p. XCI.

18) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1829 p. 539—552. Auctor nomen suum non indicavit.

vitae, qua viri caelibes cum virginibus cohabitabant, non solum cognitam habuit, sed etiam impugnavit (cf. ep. I c. 10; II passim). Patet ergo, eam iam degenerasse et fructus illos malos produxisse, de quibus alii scriptores ecclesiastici tertio demum saeculo narrant. Quae cum ita sint, epistulae hoc saeculo vel saeculo II exeunte confectae esse videntur. Auctorem eas Clementi Romano supposuisse vix contenderim, cum nomen s. patris in inscriptionibus tantum, neque vero in epistulis ipsis legatur. Conicere saltem licet, eas simili modo quo alteram quae dicitur ad Corinthios epistulam illi adscriptam fuisse.

S. IGNATII EPISTULAE.

I.

Ignatius vel Theophorus, ut graeco nomine vocabatur, saeculo primo exeunte et secundo ineunte ecclesiae Antiochenae praefuit [1]) et Traiano imperatore condemnatus est, ut Romae bestiis obiceretur. Origenes in Luc. hom. VI (ed. Bened. III 938), Eusebius h. e. III c. 22, Hieronymus cat. c. 16 inter episcopos Antiochenos locum secundum vel, si Petrus numeratur, tertium locum ei assignant. Theodoretus Dial. I ed. Migne IV 82 quidem narrat, eum de Petri ipsius dextera gratiam pontificatus suscepisse, et Chrysostomus hom. in s. Ignat. mart. c. 4 (ed. Bened. II 597) dicit, eum Petro successisse, cum hic esset Antiochia discessurus. Constitutiones apostolorum VII c. 46 contendunt, Ignatium a Paulo, Evodium (teste Eusebio h. e. III c. 22 primum Antiochenorum episcopum) a Petro ordinatum esse, et Baronius ann. 45, 14; 71, 11 ac Natalis Alexander [2]) coniecerunt, primo propter Christianorum contentionem utrumque simul ecclesiae Antiochenae praefuisse, alterum fidelibus e Gentilibus, alterum fidelibus e Iudaeis; postquam autem dissensionis paries sublatus et utraque pars unum in coetum adunata esset, Ignatium Evodio cessisse et post eius

1) Eusebius in Chronico (ed. Schöne II 158. 162) eum inter annos Abrahae 2085 et 2123 et Vespasiani annum IX et Traiani ann. IX posuit.
2) Historia ecclesiast. 1686. Saec. I diss. 13 concl. 1.

mortem tandem iterum sedisse [1]). Sed praeferenda sunt, quae Eusebius tradidit.

Ad bestias Ignatium damnatum esse iam Irenaeus adv. haer. V c. 28, 4 narrat. Romae autem eum martyrium subiisse non solum ex eius epistula ad Romanos (cf. Eph. 1, 2; 21, 2) elucet, sed etiam Origenes hom. VI in Luc. (ed. Bened. III 938), Eusebius h. e. III c. 36, 3 et omnes posteriores dicunt, Polycarpus saltem prodit rogans Philippenses (13, 2) quorum civitas Smyrnaeo non versus Antiochiam, sed versus Romam sita erat, ut sibi significent, si quid de eo compertum habuerint. Solus Ioannes Malalas, qui post Iustinianum I et ante Ioannem Damascenum vixit, tempore terrae motus, quo Antiochia die 13. Dec. a. 115 p. Chr. vexata est, in hac urbe eum mortuum esse narrat (Chronogr. lib. XI ed. Bonn. p. 276), atque Volkmar [2]) et Dierauer [3]) ei fidem habuerunt. Haud dubie autem erravit. Antiochenus quidem est, sed minime semper testis locuples, et fide multo dignior est Chrysostomus Antiochenus, qui coram universo populo Antiocheno enuntiavit, Ignatium Romae passum esse (l. c. c. 4 sq. ed. Bened. II 598 sqq.).

Quod ad pueritiam adolescentiamque attinet, Symeon Metaphrastes et Menaea graeca apud Bollandum (Act. SS. 1. Febr. I 28) Ignatium parvulum illum fuisse volunt, quem Dominus apostolis de primatu litigantibus ad imitationem proposuit dicens: *Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum* (Matth. 18, 4). Sed narratio veteribus ignota e nomine Θεοφόρου (i. e. a Deo gestato) ortum habuisse videtur [4]). Martyrium Colbertinum (1, 1; 3, 1) narrat,

1) Aliam coniecturam proposuit Martialis Mastraeus, Ignatii epistolae 1608. Notae p. 9. Putat enim, Evodium Petro vivente obiisse, tuncque Ignatium ab apostolo antea ordinatum, qui Evodio succederet, arcessitum fuisse.

2) *Handbuch der Einleitung in die Apokryphen* I 49 sqq. 121 sqq. Cf. Zahn, *Ignatius von Ant.* p. 66 sqq.

3) *Beiträge zu einer kritischen Geschichte Traians.* Cf. Büdinger, *Untersuchungen zur röm. Kaisergeschichte* 1868 I 171.

4) Alia fabula medio aevo ex hoc nomine orta est. Vincentius Bellov. (Spec. hist. X c. 57 ed. Bened. IV 388) narrat: Huius cor cum minutatim divisum esset, nomen Domini Iesu Christi, literis aureis in-

eum una cum Polycarpo discipulum s. Ioannis fuisse, ac similiter Hieronymus (Chron. ann. Traiani XI) Papiae et Polycarpo, apostoli auditoribus, eum adiungit. Uterque autem testis errasse videtur. Ignatius enim ipse ad Polyc. 1, 1 indicat, se Polycarpum non prius vidisse quam eo tempore, quo Romam ductus est, et testes antiquiores, praesertim Eusebius, omnium eruditissimus, de discipulatu illo silent. Hieronymus ipse sententiam mutasse videtur. In Catalogo c. 16 enim Polycarpum solum Ioannis auditorem vocat, et forsan in Chronico l. c. nomen Ignatii per neglegentiam tantum inseruit, verba Eusebii h. e. III c. 36, 1. 2 male interpretatus [1]).

Quamquam autem Ignatium s. Ioannis discipulum fuisse non constat, tamen verisimile est, puerum vel adolescentem eum Petrum aut Paulum vidisse, qui aliquamdiu Antiochiae commorati sunt. Gregorius M. quidem, qui ep. V, 39 eum discipulum Petri nominat, fide non satis dignus est. Quinque enim saeculis ab Ignatio remotus est ac praeterea Petri discipulum eum nonnisi ex ea causa vocasse videtur, quod apostolus ille cathedram Antiochenam aeque ac Romanam constituerat. Sed ex eo, quod secundus Antiochenorum episcopus fuit, eum apostolos vidisse collegerim. Ubi enim fieri potuit, ecclesiae saeculo primo discipulos apostolorum episcopos elegisse videntur, et accedit, quod Chrysostomus hom. in s. Ign. c. 1 (ed. Bened. II 593) disertis verbis dicit, Ignatium cum apostolis strenue versatum esse et fluenta hausisse spiritualia. Ne opponas, Eusebium de hoc discipulatu nihil dixisse. Namque pater historiae ecclesiasticae nec alios viros apostolorum discipulos vocat, quos apostolos vidisse certum est.

Martyrium Colbertinum porro dicit, Ignatium a Traiano, cum adversus Armeniam et Parthos expeditionem parans Antiochiae commoratus fuerit, anno imperii nono (a 26 Ian. 106 usque ad 26 Ian. 107) ad bestias condemnatum et Sura ac Senecione iterum consulibus die 20 Dec. martyrio coronatum esse (2, 1; 7, 1), nec pauci viri haec verba ad annum 107 referentes,

scriptum (ut legitur), in singulis partibus inventum est. Dixerat enim, se habere Christum in corde.

1) Cf. Zahn, *Ignatius von Antiochien* 1873 p. 46 sqq.

quo Sura III et Senecio II consules fuerunt, s. martyrem illo anno mortuum esse statuerunt, e. g. Iacobus Usher [1]), Sebastianus Tillemont [2]), Th. Ruinart [3]), Remigius Ceillier [4]), Eduardus Corsinus et A. Gallandi [5]), G. Lumper [6]), C. Hefele [7]), Ios. Nirschl [8]), C. Wieseler [9]). Bollandistae [10]) martyrium anno 108 illigant; Baronius an. 109, 5 anno 109; H. Noris [11]) et Vallarsi [12]) anno 112; I. Pearson [13]), Gul. Lloyd [14]), I. E. Grabe [15]), Pagi [16]), Ios. Eckhel [17]), H. Franke [18]), Dierauer [19]) et alii annis 114—116, Kraus [20]) anno 104. Quaeritur maxime, num Traianus unam tantum an plures expeditiones in Orientem susceperit, et alii hoc, alii illud statuunt. Controversia autem exoriri potuit, quoniam perpauca sunt, quae de Traiano tradita habemus.

Mea quidem sententia errant, qui de duplici vel etiam, ut I. Nirschl, de triplici Traiani in Orientem expeditione loquuntur, nec mihi demonstrari posse videtur, imperatorem ante annum

1) Nota 39 in Ignatii Acta.

2) *Mémoires etc. S. Ignace* art. 9 nota 10. *Histoire des empereurs. Trajan* art. 19.

3) Acta sincera ed. Galura I 16.

4) *Histoire générale* I c. 11.

5) Biblioth. vet. Patr. I Proleg. p. LXI sq.

6) Historia theologico-critica I 250 sqq.

7) Patr. apost. ed. IV p. XL sqq.

8) *Das Todesjahr des Ignatius v. A. u. d. drei orientalischen Feldzüge des Kaisers Traian* 1869.

9) *Die Christenverfolgungen der Cäsaren* 1878 p. 125 sq.

10) Acta SS. Febr. I 19.

11) Epistola consularis. Opp. 1729 II 933.

12) Opp. Hieronymi VIII 795. Nota in Chron. Euseb.

13) De anno quo S. Ignatius a Traiano Antiochiae ab bestias erat condemnatus. Dissertatio posthuma, quam Smith, Russel et Iacobson in suas editiones receperunt.

14) Cf. Pagi, Critica ad ann. 107, 4—6.

15) Spicilegium II 22 sq.

16) Critica ad ann. 107.

17) Doctrina numorum veterum 1796 II. VI 450 sqq.

18) *Zur Geschichte Traians* 1837 p. 253 sqq.

19) Cf. Büdinger, *Untersuchungen zur röm. Kaisergeschichte* I 153 sqq.

20) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1873 p. 115—134.

113 in Asiam profectum esse. Sed praeterea quaestio est, num Acta passionis recte dicant, Traianum episcopum condemnasse, et ego nego. Primo enim episcopus, ut mox videbimus, pluribus annis ante mortuus est, quam imperator Antiochiam pervenit. Deinde Ignatius ipse et testes gravissimi, Eusebius, Chrysostomus et alii iudicium imperiale ne verbo quidem commemorant. In epistula ad Romanos s. martyr potius prodit, sese non ab imperatore damnatum esse, fratres Romanos rogans, ne martyrio ipsum eripiant. Si enim imperator sententiam tulit, Christiani vix eum a morte liberare potuerunt; sin autem proconsul iudicium fecit, ad imperatorem appellare potuerunt sperantes, mitius eum iudicaturum esse [1]). Acta denique cum haud dubie suppositicia sint, ubi alii testes iis non patrocinantur, nullius fere auctoritatis sunt.

Itaque tempus martyrii ex aliis documentis explorandum et inprimis Eusebius consulendus est. In historia ecclesiastica III c. 36 quidem id tantum invenimus, Ignatium Traiani tempore mortuum esse, neque in Chronico tempus mortis accuratius definitur. Cum autem Eusebius in hoc libro martyrium cum Christianorum persecutione a Traiano instituta coniungat, cuius initium ad annum imperii decimum refert, et de passione Ignatii paulo post dicat, cumque reliqui veterum, qui anni mortis mentionem faciunt, similia tradant, statuere licet, s. episcopum c. annum 107 decessisse. Hieronymus enim cat. c. 16 habet annum Traiani undecimum (textus latinus) vel decimum (interpres graecus), Chronicon paschale annum 105 p. Chr. (ed. Bonn. I 471), Martyrium Colbertinum, quod quinto saltem saeculo confectum est, annum Traiani nonum (2, 1) vel decimum (7, 1) [2]).

De itinere Martyrium Colbertinum (3, 1) dicit, Ignatium

1) Cf. Uhlhorn in: *Zeitschrift für die historische Theologie* 1851 p. 264 sqq. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 248 sqq.

2) Cf. Uhlhorn l. c. p. 260. Nuperrime Harnack (*Die Zeit des Ignatius* etc. 1878) probare conatus est, Ignatium imperio Hadriani exeunte vel Antonino Pio imperatore passum esse, sed argumenta valida non protulit. Cf. Lipsius, *Jenaer Literaturzeitung* 1878 p. 20 sq. Hilgenfeld, *Zeitschrift für wiss. Theologie* 1878 p. 409—413.

Seleucia Smyrnam navi vectum esse. Epistulae autem produnt, terra eum in urbem illam pervenisse, et id tantum respectu Rom. 5, 1 concedendum est, Seleucia in Ciliciam aut Pamphyliam eum forsan navigasse. Rom. 9, 3 enim Ignatius ecclesiarum meminit, quae in nomine Iesu Christi eum receperunt et in singulas urbes eum praecesserunt. Eph. 9, 1 haereticorum mentionem facit, qui Epheso venientes ipsi occurrerunt. Philadelphiam eum transiisse, e pluribus epistulae ad Philad. locis elucet. De episcopo enim c. 1 eo modo loquitur, ut statuamus oporteat, ipsum eum vidisse cum eoque versatum esse. Deinde dicit, sese nullam apud Philadelphenses divisionem invenisse (3, 1) et voce magna eos admonuisse, ut episcopo et presbyterio oboedirent (7, 1) [1]). Philadelphiae quoque cum haereticis convenisse videtur, qui Eph. 9, 1 commemorantur. Ephesum autem et Magnesiam et Tralles non venit. Ecclesiae enim illae ei non ipsae, sed per eos tantum cognitae sunt, quos eum salutaturae Smyrnam miserunt. Qua in urbe aliquamdiu commoratus epistulas ad Ephesios, Magnesios, Trallianos, Romanos conscripsit. Cum Troadem pergeret, ubi epistulas ad Philadelphenses, Smyrnaeos, Polycarpum exaravit, Burrhus, diaconus Ephesiorum eum comitatus est (Eph. 2, 1. Philad. 11, 2. Smyrn. 12, 1), et cum in urbem pervenisset, advenerunt Rheus Agathopus Syrus et Philo diaconus Cilix. Non enim ab initio hi viri eum comitati, sed secuti sunt idque, ut videtur, ut eum de fine persecutionis certiorem facerent. Troade enim comperit, ecclesiam Antiochenam pacem obtinuisse et ecclesias propinquas iam clericos ad eam misisse, ut de pace restituta ei gratularentur (Philad. 10). Qua in urbe Neapolim profecturus navem conscendit (Polyc. 8, 1) et Philippis viam Egnatiam ingressus est (cf. Polyc. ad Philipp. 9, 1). De reliquo itinere nihil certi traditum habemus. Conicere autem licet, Macedonia et Illyria graeca peragrata Epidamni aut Apolloniae eum in navem ascendisse et Brundusio Romam iterum pedibus perexisse. Acta, quae c. 5 referunt, navi Adriatico transnavi-

1) Ignatium Philadelphiam permeasse etiam Nirschl (*Die Briefe des h. Ignatius* p. 144 n. 7) agnoscit, quamquam Martyrium genuinum putat.

gato eum mare Tyrrhenum ingressum esse et in Portu Romano in terram exiisse; Puteolis eum e navi descendere voluisse, ut in eadem via qua Paulus apostolus Romam veniret, sed vento vehementi in altum repulsum esse, vix fide digna sunt [1]).

Ignatium testibus epistulis non mari, sed terra Smyrnam pervenisse, iam Eusebius vidit. Scribit enim h. e. III c. 36, 4 ed. L. c. 37: καὶ δὴ τὴν δι' Ἀσίας ἀνακομιδὴν μετ' ἐπιμελεστάτης φρουρῶν φυλακῆς [2]) ποιούμενος τὰς κατὰ πόλιν αἷς ἐπεδήμει παροικίας ταῖς διὰ λόγων ὁμιλίαις τε καὶ προτροπαῖς ἐπιρρωννύς, ἐν πρώτοις μάλιστα προφυλάττεσθαι τὰς αἱρέσεις ἄρτι τότε πρῶτον ἐπιπολαζούσας παρῄνει, προὔτρεπέ τε ἀπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως, ἣν ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγράφως ἤδη μαρτυρόμενος διατυποῦσθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο.

II.

Ignatium Smyrnae et Troade commorantem septem epistulas scripsisse iam Eusebius tradit idemque duos (Rom. 5. Smyrn. 3, 1. 2) vel tres (cf. Eph. 19, 1) epistularum locos transscribens prodit, breviorem quae dicitur recensionem se manu versasse. Scribit enim h. e. III c. 36, 5 sqq.: οὕτω δῆτα ἐν Σμύρνῃ γενόμενος, ἔνθα ὁ Πολύκαρπος ἦν, μίαν μὲν τῇ κατὰ τὴν Ἔφεσον ἐπιστολὴν ἐκκλησίᾳ γράφει, ποιμένος αὐτῆς μνημονεύων Ὀνησίμου, ἑτέραν δὲ τῇ ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ, ἔνθα πάλιν ἐπισκόπου Δάμα μνήμην πεποίηται, καὶ τῇ ἐν Τράλλεσι δὲ ἄλλην, ἧς ἄρχοντα τότε ὄντα Πολύβιον ἱστορεῖ. Πρὸς ταύταις καὶ τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ γράφει, ᾗ καὶ παράκλησιν προτείνει, ὡς μὴ παραιτησάμενοι τοῦ μαρτυρίου τῆς ποθουμένης αὐτὸν ἀποστερήσαιεν ἐλπίδος. Ἐξ ὧν καὶ βραχύτατα εἰς ἐπίδειξιν τῶν εἰρημένων παραθέσθαι ἄξιον. Γράφει δὴ οὖν κατὰ λέξιν· sequitur Rom. 5. Καὶ ταῦτα μὲν ἀπὸ τῆς δηλωθείσης πόλεως ταῖς καταλεχθείσαις ἐκκλησίαις διετυπώσατο. Ἤδη δὲ ἐπέκεινα τῆς Σμύρνης ἀπὸ Τρωάδος τοῖς τε ἐν Φιλαδελφείᾳ αὖθις διὰ γραφῆς ὁμιλεῖ καὶ τῇ Σμυρναίων ἐκκλησίᾳ, ἰδίως τε τῷ ταύτης προηγουμένῳ

1) Optime de itinere s. Ignatii disputavit Th. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 250—295.

2) Ignatius Rom. 5, 1 ipse dicit, se ad decem leopardos i. e. milites alligatum esse.

Πολυκάρπῳ, ὃν οἷα δὴ ἀποστολικὸν ἄνδρα εὖ μάλα γνωρίζων, τὴν κατ' Ἀντιόχειαν αὐτῷ ποίμνην οἷα γνήσιος καὶ ἀγαθὸς ποιμὴν παρατίθεται, τὴν περὶ αὐτῆς φροντίδα διὰ σπουδῆς ἔχειν αὐτὸν ἀξιῶν. Ὁ δ' αὐτὸς Σμυρναίοις γράφων οὐκ οἶδ' ὁπόθεν ῥητοῖς συγκέχρηται, τοιαῦτά τινα περὶ τοῦ Χριστοῦ διεξιών· sequitur Smyrn. 3, 1. 2. Neque vero primus epistularum notitiam habuit. Epistulas ad Ephesios et Romanos iam Origenes et Irenaeus laudant (cf. adnotationes ad Eph. 19, 1. Rom. 4, 1; 7, 2). Testis autem antiquissimus et locupletissimus est Polycarpus, Smyrnaeorum episcopus, quocum Ignatius, cum Smyrnae commoraretur, versatus est cuique Troade literas dedit, et si verum est, quod dixit, dubitari nequit, quin Ignatius iter Romam faciens plures epistulas scripserit. Ex epistula (13, 2) enim, quam brevi postquam Ignatius Philippos pervenit Philippensibus scripsit, elucet, eum illis rogantibus Ignatii epistulas misisse.

Testibus veterrimis etiam Lucianus Samosatensis adnumerandus est, quippe qui in dialogo de morte Peregrini nonnulla scripserit, quae ex Ignatii epistulis desumpta esse videntur. Peregrinus enim in vincula conicitur (c. 12) idque, ut auctor alio loco (c. 14) prodit, Antiochiae, ac nihilominus etiam ecclesiae Asiae minoris captivo subsidia misisse dicuntur (c. 13). Nonne haec ex epistulis nostris hausta sunt, in quibus legimus, ecclesias Asiae episcopo Antiocheno captivo beneficia tribuisse? Si porro legimus, Christianos Peregrinum e vinculis liberare studuisse ac custodes corrupisse, ut cum captivo versari possent (c. 12), epistula ad Romanos in memoriam revocatur. Accedunt denique duo loci, ubi verba ipsa verisimile reddunt, Ignatii epistulas Lucianum haud fugisse, et hi quidem:

Lucianus.	Ignatius.
c. 4: Τὸν ἐν Συρίᾳ δεθέντα.	Eph. 1, 2: Δεδεμένος ἀπὸ Συρίας.
c. 41: Φασὶ δὲ πάσαις σχεδὸν ταῖς ἐνδόξοις πόλεσιν ἐπιστολὰς διαπέμψαι αὐτόν, διαθήκας τινὰς καὶ παραινέσεις καὶ νόμους· καί τινας ἐπὶ τούτῳ πρεσβευτὰς τῶν ἑταίρων ἐχειρο-	Polyc. 8, 1: Ἐπεὶ πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις οὐκ ἠδυνήθην γράψαι ... γράψεις ταῖς ἔμπροσθεν ἐκκλησίαις ... εἰς τὸ καὶ αὐτοὺς τὸ αὐτὸ ποιῆσαι, οἱ μὲν δυνάμενοι πεζοὺς πέμψαι, οἱ

Lucianus.	Ignatius.
τόνησε νεκραγγέλους καὶ νερτεροδρόμους προσαγορεύσας.	δὲ ἐπιστολὰς διὰ τῶν ὑπό σου πεμπομένων. Polyc. 7, 2: Πρέπει... χειροτονῆσαί τινα, ὃν ἀγαπητὸν λίαν ἔχετε καὶ ἄοκνον, ὃς δυνήσεται θεοδρόμος καλεῖσθαι. Cf. Smyrn. 11, 2. Philad. 10, 1.

Vocem νερτεροδρόμος voci θεοδρόμος substitutam fuisse non miraberis, si ingenium auctoris respicis. Animadvertas quoque, e voce διαθήκας et e sequentibus patere, referente Luciano Peregrinum epistulas aeque ac Ignatium brevi ante mortem scripsisse [1]). G. Uhlhorn [2]) quidem huius testimonii vim negavit, cum auctor dialogi de morte Peregrini minus Christianos quam Cynicos derisisset, et concedendum est, Lucianum non id egisse, ut satiram de Ignatii morte scriberet. Inde autem non sequitur, eum historiam Peregrini narrantem ex Ignatii epistulas nonnulla non deprompsisse.

Proxime post Eusebium epistulas legerunt auctor Didascaliae apostolorum [3]), Athanasius (cf. adnotationem ad Eph. 7, 2), Basilius Magnus (Eph. 19, 1), Ephraemus Syrus (Rom. 2, 2. Polyc. 3, 1. 2), Ioannes Monachus (Rom. 2, 1. 2; 3, 2; 5, 3), Ioannes Chrysostomus (Rom. 5, 2). Hieronymus quoque aliquot locos laudat (Eph. 19, 1. Rom. 4, 1; 5. Smyrn. 3, 1. 2), sed eos ex libris scriptorum aliorum, non ex epistulis ipsis hausisse videtur. Saeculis sequentibus plures locos allegarunt Theodoretus Cyrensis, Timotheus Aelurus, Severus Antiochenus, Antiochus Monachus, auctor florilegii (saec. VII), quod legitur in codice Rupefucaldino, Ioannes Damascenus, Antonius auctor Melissae, Syri incerti, quorum fragmenta quae exstant syriace et anglice edidit Gul. Cureton [4]), latine Th. Zahn [5]). Paucos locos

1) Cf. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 517—528.

2) *Zeitschrift für hist. Theologie* 1851 p. 280 not. 66.

3) Cf. Zahn, Ignatii et Polyc. epp. p. 336 sq. Patr. apost. opp. ed. Lipsiensis III fasc. II.

4) Corpus Ignatianum 1849 p. 197 sqq. 232 sqq.

5) l. c. p. 373 sqq.

citaverunt Gelasius Romanus (Eph. 7, 2; 20, 2), Pseudo-Dionysius Areopagita (Rom. 7, 2), Gildas Sapiens (Rom. 5), Anastasius Sinaita (Rom. 6, 3), Maximus Confessor (Smyrn. 11, 3), Andreas Cretensis (Eph. 19, 1), Theodorus Studites (Rom. 7, 2. Smyrn. 4, 1), Gregorius Barhebraeus (Rom. 4, 1). Collegerunt testimonia Iacobus Usher [1]), Cotelier [2]), Gallandi [3]), Cureton [4]), Zahn [5]).

Ex verbis Polycarpi ad Phil. 13, 2 iam Baronius a. 109, 18. 19 conclusit, Smyrnaeorum episcopum Ignatii epistulas in unum collegisse, et posteriores ei assensi sunt. Errasse autem videtur de numero epistularum, et I. Usher [6]) recte contendit, syllogen Polycarpianam non ex septem, sed ex sex epistulis constitisse. Nec vero minus hic erravit dicens, epistulam ad Polycarpum in collectione defuisse, quippe quae esset suppositicia. Ad Hieronymum cat. c. 16 quidem provocare potuit, qui locum ex ep. ad Smyrn. desumptum epistulae ad Polyc. vindicavit. Sed Hieronymum ipsum errasse vix dubium est nec est, cur Eusebio diffidamus atque authentiam illius epistulae addubitemus. Epistula, quae Polycarpum effugit, potius, ut Zahn [7]) vidit, epistula ad Romanos est. Polycarpus enim Philippensibus (13, 2) scribens, sese Ignatii literas, quas ipse ab eo acceperit, et alias, quantascunque apud se habeat, illis transmisisse, indicare videtur, se non plane omnes epistulas nactum esse, et conicere licet, epistulam ad Romanos, quae reliquis in Asia manentibus in Occidentem missa est, eum effugisse. Sin autem illa verba aliter intellegenda fuerint, nec alia indicia desunt, quae syllogen Polycarpianam epistulam ad Romanos non amplexam esse probent. Cum falsarius, qui saeculo quarto exeunte epistulas interpolavit iisque quinque alias adiunxit,

1) Polycarpi et Ignatii epistolae 1644 p. 1—6.
2) Patr. apost. ed. Clericus 1724 II p. 1—4.
3) Bibliotheca vet. Patr. I p. 245—256.
4) l. c. p. 158 - 189.
5) l. c. p. 327—381.
6) Diss. c. 2. l. c. p. VI—XI. Patr. ap. ed. Clericus 1724. II Append. p. 201 sq.
7) *Ignatius v. A.* p. 115 sq. 161 sqq. Epistulae p. VII sq.

epistulae ad Romanos eam tantum partem, quae apud Eusebium legitur, imitatus sit, quamquam antiquiorum epistularum sententias ubique repetere solebat, concludendum est, eum epistulam ipsam, in collectione Polycarpiana non exstantem, non habuisse. Accedit, quod inter epistulas longioris recensionis soli epistulae ad Ephesios Ἀμήν subscriptum est, et in codice Vaticano epistula ad Romanos, reliquis omnibus eodem fere modo subscriptis, epigraphen singularem habet. Statuere licet, epistulam ad Ephesios initio in fine totius collectionis fuisse, epistulam ad Romanos seriori tempore adiectam esse. Neque praetermittendum est, in versione armeniaca epistulam ad Romanos inter epistulas genuinas locum ultimum obtinere et in ea collectione, cuius versionem latinam I. Usher, textum graecum I. Voss invenit, deesse vel potius in Martyrio Colbertino collectioni adiecto legi.

III.

Eusebius septem tantum epistularum notitiam habuit. Brevi [1]) autem aliae quinque sub Ignatii nomine vulgatae sunt, scilicet 1) ad Mariam Castabalitam, 2) ad Tarsenses, 3) ad Antiochenos, 4) ad Heronem diaconum Antiochenum, 5) ad Philippenses, iisque epistula Mariae ad Ignatium praemissa est. Epistulae genuinae praeterea, epistula ad Romanos excepta, interpolatae et omnes in hoc ordine dispositae sunt: 1) Mariae ep. ad Ignatium, 2) Ignatii ep. ad Mariam, 3) ad Trallianos, 4) ad Magnesios, 5) ad Tarsenses, 6) ad Philippenses, 7) ad Philadelphenses, 8) ad Smyrnaeos, 9) ad Polycarpum, 10) ad Antiochenos, 11) ad Heronem, 12) ad Ephesios, 13) ad Romanos. Posteriori tempore, ut iam dixi, sed ante saec. VII, quo versio latina eam continens confecta esse videtur [2]) epistula ad Romanos collectioni adiuncta est.

1) Iam Vedelius in Apologia pro Ignatio c. 3 (praemissa suae Ignatii editioni 1623) coniecit, interpolatorem saeculo quarto vixisse. Zahn (*Ignatius v. A.* p. 120 sqq. Editio p. VI) eum ad annos 360—380 retulit, Usher (Dissert. c. 6) et alii ad saeculum sextum, quia Stephanus Gobarus (apud Phot. Biblioth. cod. 232) primus locum interpolatum respexit.

2) Cf. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 86—88.

Praeter illas epistulas denique aliae Ignatii titulo circumferuntur, scilicet duae ad Ioannem apostolum, una ad Mariam beatam virginem, et hae epistulae una cum epistula Mariae ad Ignatium primae typis editae sunt a. 1495 [1]). Plures eas iam Bernardo Claravallensi notas fuisse putarunt, e. g. Sixtus Senensis [2]), Bellarminus [3]), Martialis Mastraeus [4]). Sed verba s. Bernardi (serm. VII in Ps. 90 c. 4): *Magnus ille Ignatius... Mariam quandam in pluribus quas ad eam scripsit epistulis Christiferam consalutat,* ad Ignatii epistulam ad Mariam Castabalitam referenda sunt, neque ex eo, quod plures ad Mariam epistulas memorat, abbatem Claravallensem illas epistulas cognitas habuisse concludendum est. Cum enim disertis verbis de Maria quadam loquatur, de numero epistularum errasse putandus est. Primus potius epistularum testis Dionysius Carthusianus esse videtur. Referente enim Sixto Senensi [5]) in commentariis, quos edidit in librum Dionysii Areopagitae de divinis nominibus, ita scribit: *Sanctus Ignatius in una epistularum suarum ad sacratissimam virginem fervide rogat eandem, ut pro consolatione et confortatione sui et plurium neophytorum dignetur venire ad se,* neque dubium est, eum epistulam legisse, ex qua etiam verba nonnulla allegavit. Cum epistulae veteribus plane ignota sint nec nisi latine exstent nec Graecismum redoleant, paene omnes consentiunt, eas medio aevo a Latino conscriptas esse. Contendit quidem Menas, episcopus urbis Armeniae maioris Bagrevand, se exemplar graecum idque, ut Katergi Mechitarista addit [6]), typis editum vidisse, quod praeter sex Ignatii epistulas illas tres contineret. Sed quamdiu non alii testes originis epistularum graecae produci possunt, eius verbis vix fidem habeam.

1) Appendix ad librum: Vita et processus s. Thome cantuarensis martyris super libertate ecclesiastica. Parisius 1495.

2) Bibliotheca sancta 1566 lib. II s. v. Maria p. 141.

3) De scriptoribus ecclesiasticis ed. Colon. 1657 p. 42.

4) S. Mart. Ignatii epistolae. Parisiis 1608. Notae p. 15.

5) Biblioth. sancta l. c.

6) *Zeitschrift für katholische Theologie*, ed. Scheiner und Häusler 1852. IV 316.

Tribus annis post editionem illarum epistularum Faber Stapulensis versionem epistularum undecim (scilicet earum, quas recensio longior amplectitur, epistulis Ignatii et Mariae Castabalitae mutuis exceptis) latinam publicavit [1]). Symphorianus Champerius in editione, quam a. 1536 paravit [2]), praeter epistulam ad Mariam Castabalitam Ignatii epistulas ad Ioannem mutuasque eiusdem et beatae Mariae virginis epistulas adiecit eumque secuti alii quoque has una cum illis ediderunt. Habuerunt eas genuinas idemque tum temporis omnes Catholici sensisse videntur, e. g. Marcus Michael, presbyter Cortonensis, in libro de viris illustribus [3]). Brevi autem sententia mutata est. Anno 1557 Valentinus Hartung, Frid sive Paceus appellatus [4]), et a. 1560 Andreas Gesner [5]) textum recensionis longioris graecum (Mariae epistula ad Ignatium sola excepta, quam a. 1646 I. Voss adiecit) publicaverunt, indeque ab eo tempore pars epistularum graece et latine, pars latine tantum legebatur. Itaque quaestio orta est, num epistulae latinae aeque ac graecae genuinae putandae essent, et aliquamdiu Catholici affirmarunt, e. g. Sixtus Senensis [6]), Petrus Canisius [7]), saeculo XVII ineunte etiam Petrus Halloix [8]). Sed viri sagaciores eas s. Ignatio

1) Dionysii Celestis hierarchia ... Ignacii undecim epistole. Polycarpi epistola una. Parisiis 1498. Recusa Argentinae 1502; Parisiis 1515 etc.

2) Dionysii Carthusiani super omnes S. Dionysii Areopagitae libros commentaria. Coloniae 1536 fol. 357 sqq.

3) Cf. Champerius l. c. fol. 358.

4) Beati inter sanctos Christi defunctos hieromartyris Ignatii etc. opuscula, quae quidem exstant, omnia, idque certe in originali, qua ab ipso primum perscripta sunt, lingua graeca. Dillingae 1557.

5) Ignatii beatissimi martyris et archiepiscopi Antiocheni epistolae duodecim. Ioanne Brunnero Tigurino interprete. Inest in collectione varia, cui titulus est: Theologorum aliquot veterum orthodoxorum libri.

6) Bibliotheca sancta 1566 p. 141.

7) De Maria virgine I c. 13 ed. Ingolstad. 1677 p. 96 sq.

8) Illustr. eccles. orient. scriptorum vitae et documenta (Duaci 1633) I 467. Notandum est autem, auctorem de authentia epistularum latinarum paululum iam dubitasse. Dicit enim: *nec ita certae sunt (epistulae), ut indubitatam fidem apud omnes mereantur, nec ita incertae, ut omnem perdant.... Libera interim (donec aliquid alterutram in partem certius afferatur) facultas uniuscuiusque sit de his quodcumque voluerit opinandi.*

abiudicaverunt. Iam Baronius ann. 48, 25; 109, 34 eas non amplius defendere conatus est. Bellarminus in libro de scriptoribus ecclesiasticis eas reprobat, cum neque in codicibus graecis habeantur neque gravitatem eloquii s. Ignatii omnino redoleant. Ioannes Maria Brasichellenis, pontificii palatii magister [1]), et Martialis Mastraeus [2]) ex simili ratione eas in commentationum apocrypharum ordinem redigunt. Nostris diebus Constantinus Skworzow solus eas ab Ignatio scriptas esse opinatus est [3]).

Alia quaestio erat, quid de epistulis graecis sentiendum esset, et de his magna controversia facta est. Catholici, e. g. Valentinus Hartung, Baronius a. 109, 19, Bellarminus l. c., eas omnes s. Ignatio vindicaverunt. Baronius a. 109, 20 etiam contendit, incorruptas et integras eas ad nostram aetatem servatas esse. Martialis Mastraeus [4]) autem concessit, eas ab haereticis et a Graeculis posterioribus alicubi interpolatas ac depravatas fuisse. Protestantes vero alii epistulas omnes, alii eas saltem, quarum Eusebius et Hieronymus non faciunt mentionem, spurias esse contenderunt aut suspicati sunt. Ex illorum numero sunt I. Calvinus [5]) et Centuriatores Magdeburgenses [6]), ex horum numero Abr. Scultetus [7]) et Nic. Vedelius [8]). Hic inprimis non solum contra Mastraeum et Baronium probavit, Ignatium non duodecim epistulas exarasse neque eas, quae a nobis legerentur, incorruptas esse, sed etiam authentiam epistularum ab Eusebio et Hieronymo memoratarum bene defendit et eas ipsas multis locis interpolatas esse demonstravit.

Vedelii vestigia pressit Iac. Usher ac probare conatus est, quae epistulis a falsario inserta essent. Cum enim videret,

1) Index librorum expurgandorum 1607. Cf. Usher, Dissert. c. 5 p. XXIX.

2) Notae ad epistolas s. Ignatii p. 15.

3) *Patrologische Untersuchungen* 1875 p. 55—97. Idem ceteras Ignatii epistulas Ignatio cuidam Theophoro c. ann. 160 adscripsit.

4) Notae p. 21.

5) Institutio christ. religionis I c. 13, 29.

6) Centur. II c. 10 ed. Norimb. II 177 sq.

7) Medullae theologiae patrum syntagma 1609.

8) Apologia pro Ignatio c. 3. 4 (praemissa Ign. epistularum editioni. Genevae 1623).

locum a Theodoreto ex epistula ad Smyrnaeos (7, 1) depromptum in vulgatis nostris tum graecis tum latinis Ignatii exemplaribus non legi, laudari autem a Roberto Lincolniensi episcopo c. ann. 1250 et a duobus aliis Anglis, circumspicere coepit, num forte adhuc in Anglia reperiri possent Ignatii exemplaria aliqua, ex quibus ille nostrorum codicum defectus suppleri posset. Neque spes eum prorsus fefellit. Libros enim manuscriptos duos nactus est, alterum in publica Collegii Gunwelli et Caii apud Cantabrigienses, alterum in privata D. Richardi Montacutii, Norwicensis nuper episcopi, bibliotheca repositum, qui Ignatianarum epistularum interpretationem continebant a vulgata latina diversissimam. Cum animadvertisset, locum illum a Theodoreto laudatum in hac versione verbotenus translatum esse, reliqua testimonia a patribus antiquioribus ex Ignatio citata conferre coepit eaque et cum suo interprete consentire et a vulgatis tum graecis tum latinis Ignatii codicibus ut plurimum dissidere deprehendit [1]). Itaque cum dubium non esset, quin versionem invenisset, quae ad textum genuinum proxime accederet, et versionem utcunque alias barbaram atque inconditam typis publicavit et epistularum iam vulgatarum editionem paravit, in qua, quae ab interpolatore profecta esse videbantur, minio signata sunt [2]).

Usher contendere non est ausus, ex versione quam invenerat sola Ignatium integritati suae restitui posse. Sed speravit, alterius exemplaris subsidium accessurum esse, vel graeci, cuius ex bibliotheca Florentina obtinendi spes ipsi nuper erat iniecta non exigua, vel saltem syriaci, quod Romae reperiri adhuc posse putabat [3]), neque se fefellit. Iam a. 1646 Isaacus Voss *epistulas genuinas s. Ignatii martyris* e codice Florentino edidit. Epistulae in codice graeco eundem ordinem obtinent quem in codicibus latinis, quos Usher in lucem produxit. Primo enim leguntur epistulae genuinae seu non interpolatae 1) ad Smyrnaeos, 2) ad Polycarpum, 3) ad Ephesios, 4) ad Magnesios,

1) Dissert. c. 3 p. XV sq.

2) Polycarpi et Ignatii epistolae. Oxoniae 1644. Praefixa est dissertatio de Ignatio saepius laudata.

3) Dissert. c. 4 p. XXVI.

5) ad Philadelphenses, 6) ad Trallianos; tum sequuntur epistulae ficticiae excepta epistula ad Philippenses, scilicet 7) Mariae Cast. ad Ignatium, 8) Ignatii ad Mariam, 9) ad Tarsenses, 10) ad Antiochenos, 11) ad Heronem; denique finem facit 12) epistula ad Romanos vel potius Martyrium s. Ignatii, cui haec epistula inserta est. Codex Florentinus quidem in ep. ad Tarsenses c. 7 deficit. Neque vero dubium est, quin integer easdem epistulas in eodemque ordine dispositas continuerit ac versio illa latina. Epistulam ad Romanos, quae sola inter epistulas genuinas in codice deest, Voss talem edidit, qualis in collectione Pseudoignatiana legitur. Recensionem praestantiorem Martyrio inclusam Th. Ruinart e codice Colbertino a. 1689 edidit [1]) eumque secuti posteriores hanc iure et recensioni Pseudoignatianae et ei praetulerunt, quam Symeon Metaphrastes suis Ignatii Actis inseruit [2]).

Is. Voss persuasum sibi habuit, epistulas breviores, quas edidit, Ignatii epistulas genuinas, epistulas longiores alias suppositicias, alias interpolatas esse, idemque sensere fere omnes posteriores, qui non omnes epistulas, qui sub Ignatii nomine circumferuntur, ficticias putaverunt, e. g. inter Catholicos Dionysius Petavius [3]), I. B. Cotelier [4]), E. Dupin [5]). Proximo tempore I. Morin [6]) solus contendisse videtur, antiquam epistularum editionem seu recensionem longiorem, quamvis ipsa non omnis mendae pura esset, genuinum textum nobis exhibere. Nec vero defuerunt, qui recensionem breviorem aeque ac longiorem Ignatio abiudicarent, quamquam concessere, illam ante hanc conscriptam esse, eamque sententiam inprimis Claudius Salmasius [7]), David Blondel [8]) et I. Dallaeus [9]) tuiti sunt.

1) Acta primorum martyrum sincera.

2) Cf. Zahn, Ignatii et Pol. epp. p. XVII sq.

3) De theolog. dogmatibus lib. V de eccles. hierarch. c. 8, 1. ed. Venet. 1745 IV 158.

4) Patr. ap. ed. Clericus 1724 II p. 9 sq.

5) *Nouvelle bibliothèque des auteurs eccl.* 1686 ed. II 1688 I p. 122 sqq.

6) De sacris eccles. ordinationibus 1655. P. III Exerc. 3 c. 3 n. 11.

7) Apparatus ad libros de primatu papae 1645 p. 56 sqq.

8) Apologia pro sententia Hieron. de episc. et presb. 1646. Praefatio.

9) De scriptis, quae sub Dionysii Areop. et Ignatii Ant. nominibus circumferuntur. Genevae 1666.

Dallaeus non solum contra septem epistulas, de quarum authentia tum temporis agebatur, sed etiam contra recensionem longiorem et epistulas latinas pugnavit et sexaginta sex argumenta contra Ignatium protulit. Concessit quidem, episcopum Antiochenum epistulas scripsisse et recensionem breviorem Eusebio notam fuisse, negavit autem, eam ante finem saeculi tertii exortam esse. Argumenta, quae produxit, I. Pearson egregie diluit [1]). Controversia vero Ignatiana remansit. Recensionem quidem breviorem longiori praehabendam esse paene ad unum omnes affirmarunt. Contrarias partes paucissimi tenuerunt, sive totam recensionem longiorem, exceptis tantum mutuis Ignatii et Mariae Cast. epistulis, authenticam habuerunt [2]), sive recensionem septem epistularum longiorem non plane quidem integram ac genuinam, breviori tamen longe praeferendam esse putarunt [3]), sive neutri recensioni laudem sinceritatis praebentes statuerunt, utramque ex immutatione genuini cuiusdam exemplaris ortam esse [4]). Sed adhuc quaerebatur, num epistulae brevioris recensionis genuinae essent, et alii, Catholici omnes et Protestantes plerique, affirmarunt, alii, Protestantes non pauci, negaverunt. Ex horum numero proximis temporibus sunt Samuel Basnage [5]) et Casimirus Oudin [6]), ex illorum nu-

1) Vindiciae Ignatianae. Cantabrigiae 1672. Repetierunt tractatum Clericus in Patr. ap. opp. t. II, Migne, Patr. gr. t. V, Eduardus Churton: Vindiciae epistolarum S. Ignatii, auctore Ioanne Pearson, Episcopo Cestriensi. Editio nova annotationibus et praefatione ad hodiernum controversiae statum accommodata. Oxonii 1852. In prooemio Pearson agit de ortu, progressu et hodierno statu controversiae.

2) Ita Gul. Whiston, *A dissertation upon the Epistles of Ignatius*, in *Primitive Christianity reviv'd.* Vol. I. Londini 1711. Cui respondit I. Clericus in dissertatione de epistulis Ignatianis altera.

3) Ita Fr. C. Meier in: *Theolog. Studien und Kritiken* 1836 p. 340—382, quem refutaverunt Rich. Rothe, *Die Anfänge der christl. Kirche* 1837 p. 739 sqq.; Arndt in: *Stud. u. Kritiken* 1839 p. 136—186; Düsterdieck, De Ignatianarum epistolarum authentia p. 20—28.

4) Ita E. Chr. Schmidt in: *Magazin für Religionsphilosophie* ed. Henke III 91 sqq. 1795, et G. C. Netz in: *Theol. Stud. und Kritiken* 1835 p. 881—906. Schmidt postea (*Kirchengeschichte* I 209 sq.) de sententia decessit.

5) Annales politico-eccles. 1706 ann. 107, 13—23.

mero Nic. Le Nourry [1], Remigius Ceillier [2], Thomas Maria Mamachi [3]. Saeculo XIX authentiam epistularum praesertim Ferd. Christ. Baur impugnavit statuitque, eas saeculo secundo medio Romae a falsario quodam in favorem episcopatus ideae confectas esse [4], eique accesserunt Alb. Schwegler [5], Ad. Hilgenfeld [6] nec pauci alii. Defenderunt epistulas e. g. R. Rothe [7], I. Ed. Huther [8], Fr. Düsterdieck [9], G. Uhlhorn [10], Th. Zahn [11], C. Wieseler [12]. Ad. Harnack [13] nuperrime epistulas Ignatio quidem adscribere, sed ad tempus Hadriani vel Antonini Pii referre voluit.

Nova quaestio nostris diebus orta est. Anno 1839 H. Tattam in monasterio Nitriae syriaco codicem antiquissimum (saec. VI) detexit, qui versionem epistulae ad Polycarpum syriacam et nonnullos aliarum epistularum locos a pluribus scriptoribus laudatos continet. Anno 1842 multos alios monasterii illius codices pro Museo Britannico emit, inter quos versio syriaca trium epistularum ad Ephesios, ad Romanos et ad Polycarpum (saec. VII. vel VIII) una cum pluribus Ignatianarum epistularum fragmentis reperta est [14]. Versio non modo a longiori, sed etiam a breviori recensione discrepat; multi versus

6) Commentarius de scriptoribus eccles. Dissert. de vita et epist. s. Ignatii c. 5—13.

1) Apparatus ad Biblioth. max. patrum I 78 sqq.

2) *Histoire générale des auteurs eccl.* I 623 sqq.

3) Origines et antiqu. christ. ed. II. IV 319 sqq.

4) *Die sogenannten Pastoralbriefe des Apostels Paulus* 1835 p. 87. *Tüb. Zeitschrift für Theologie* 1836 III 197 sqq.; 1838 III 148–185.

5) *Das nachapostolische Zeitalter* 1846 II 159—179.

6) *Die apostolischen Väter* 1853 p. 215 sqq.

7) *Die Anfänge der christl. Kirche* p. 715—739.

8) *Zeitschrift f. histor. Theologie* 1841 IV p. 1—73.

9) De Ign. epist. authentia 1843 p. 42—91.

10) *Zeitschrift f. hist. Theologie* 1851 p. 247–341.

11) *Ignatius von Antiochien* 1873 p. 491—541.

12) *Die Christenverfolgungen der Cäsaren bis zum dritten Jahrhundert.* 1878 p. 116 sqq.

13) *Die Zeit des Ignatius und die Chronologie der antiochenischen Bischöfe.* 1878. Cf. supra p. XLVII not. 2.

14) Cf. Cureton, Corpus Ignatianum. Introductio p. XXVI sqq.

et etiam plura capita desunt, ut suo loco adnotavimus, et Gul. Cureton, qui eam a. 1845 una cum versione anglica in vulgus edidit [1]), eam textui Ignatiano genuino quam accuratissime respondere et omnia, quae in nostro textu graeco plura inveniuntur, saeculo quarto addita esse contendit et introducta, ut doctrina catholica de trinitate et hierarchia ecclesiastica per testem antiquissimum comprobaretur ac confirmaretur. Rud. Chr. Wordsworth [2]) quidem confestim oblocutus est dicens, versionem epitomen esse ab haeretico quodam Eutychiano in favorem erroris sui confectam. Cureton autem sententiam suam defendit [3]), et postquam tertium codicem (saec. VI vel VII) nactus est, qui aeque ac secundus tres tantum et easdem Ignatii epistulas et in eadem forma exhibet, novam et amplissimam editionem paravit a. 1849 [4]). Iam a. 1847 Chr. Car. I. Bunsen, tunc temporis regis Borussiae orator apud Anglos, cum textum denuo recensuerat [5]) tum disputationem vulgaverat [6]) eo consilio, ut illi sententiae inter Germanos asseclas conduceret, et A. Ritschl [7]), Weiss [8]), R. Lipsius [9]), Fr. Böhringer [10]) assensi sunt. Plerique vero Germanorum contradixerunt. C. I. Hefele iam in tertia huius operis editione a. 1847 contendit, versionem syriacam nonnisi epitomen Ignatianarum epistularum esse, a monacho syriaco in proprios usus pios confectam, idque ex eo conclusit, quod iidem codices, quos Tattam detexit, et alia plura

1) *The ancient Syriac version of the Epistles of St. Ignatius to St. Polycarp etc.* Londini.

2) *The English Review* 1845. Mensis Iulius.

3) Vindiciae Ignatianae. *Of the genuine writings of St. Ignatius* etc. 1846.

4) Corpus Ignatianum.

5) *Die drei ächten und die vier unächten Briefe des Ignatius von Antiochien.* Hamburgi.

6) *Ignatius v. A. und seine Zeit. Sieben Sendschreiben an Dr. A. Neander.*

7) *Entstehung der altkathol. Kirche* 1850 p. 118 sqq. 577 sqq. ed. II 1857 p. 403 sq.

8) Reuter, *Repertorium* 1852. III 169—197.

9) *Zeitschrift für histor. Theologie* 1856 p. 3—160. *Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes* 1859.

10) *Kirchengeschichte in Biographieen* ed. II 1873 I. I 16.

excerpta ex epistulis Ignatianis nec non alios libros asceticos continent, quodque nexus sententiarum in versione minus artus docet, monachum illum non tam interpretis quam epitomatoris partes egisse. Eandem vel similem sententiam propugnaverunt H. Denzinger [1]) et G. Uhlhorn [2]), nec non Baur [3]) et Hilgenfeld [4]), quamquam hi epistulas omnes Ignatio adscriptas spurias habuerunt. I. H. Petermann [5]) et Ad. Merx [6]) praeterea probaverunt, versionem syriacam ab initio tredecim vel septem epistulas easque non decurtatas complexam et eas, quas Cureton edidit, ex antiqua illa versione excerptas esse, eorumque vestigia nuperrime pressit Th. Zahn [7]) nova argumenta proferens ac praesertim demonstrans, Syros non duas epistularum Ignatianarum versiones, ut Merx statuit, sed unam tantum habuisse. Novissimis diebus Ignatium syriacum nemo defendit. Plures potius, qui quondam a parte Gulielmi Cureton steterant, sententiam aut dereliquerunt [8]) aut derelinquere coeperunt [9]) et Zahn [10]) recte dixisse videtur, recensionem illam brevissimam quasi insomnium suave tandem evanuisse. Itaque nunc id solum agitur, num epistulae ab Eusebio memoratae genuinae sint an non.

IV.

Postquam historiam controversiae Ignatianae paucis adumbravimus, restat, ut argumenta praecipua consideremus, quae Ignatii adversarii contra epistularum authentiam protulerunt.

Dicunt primum, quae de iudicio et morte Ignatii narrentur,

1) *Ueber die Aechtheit des bisherigen Textes der Ignat. Briefe.* Wirceburgi 1849.

2) *Zeitschrift f. hist. Theol.* 1851 p. 3-65.

3) *Die Ignat. Briefe und ihr neuester Kritiker. Eine Streitschrift gegen Herrn Bunsen.* Tubingae 1848.

4) *Die apostolischen Väter* 1853 p. 274—279.

5) S. Ignatii epistolae 1849 p. VI sqq.

6) Meletemata Ignatiana.

7) *Ignatius v. Ant.* p. 167-241.

8) Ita Lipsius, *Ueber den Ursprung des Christennamens* 1873 p. 7.

9) Ita Lightfoot. Cf. Zahn, Ign. epistulae p. VI.

10) Ign. epistulae p. V.

ea ad Traiani imperium plane non referenda nec verisimile esse, imperatorem, qui Plinio scripserit, Christianos quidem puniendos esse, si deferantur et arguantur, conquirendos non esse, episcopum Antiochenorum condemnasse, ut bestiis obiceretur idque Romae, postquam in itinere innumeros cruciatus sustinuisset. Ad bestias quidem Christianos Marco Aurelio imperatore damnatos, Romam vero, ubi mortem paterentur, neque tunc temporis missos esse neque Traiano imperante, cum Symeon Hierosolymitanus in sua urbe martyrium subierit [1]). Sed epistulae, ut iam vidimus, non tantum non dicunt, Traianum ipsum Ignatium iudicasse vel ecclesiae universae persecutionem intulisse, sed potius produnt, proconsulem sententiam tulisse et in Syria tantum fideles inquietatos esse. Ecclesiae Asiae enim pace tam profunda fruebantur, ut Ignatius, quamquam ob fidem damnatus erat, cum iis earumque antistibus versari posset. Christianos Lugdunenses imperatore M. Aurelio Romam non missos esse concedendum est. Damnatos vero profecto saeculo secundo ex provinciis in urbem missos esse testis est L. 31 Dig. 48, 19 de poenis. Severus et Antoninus quidem illa lege iusserunt, ad bestias damnatos, nisi eius roboris vel artificii essent, ut digne populo Romano exhiberi possent, aut inconsulto principe Romam non transduci. Nequaquam autem eos Romam mitti prorsus vetuerunt et abusum prohibentes produnt, favore populi Romani antea nonnullos in urbem transductos esse, qui nec robore nec artificio excelluerunt. Non est igitur, cur dubitemus, Ignatium Romae cum bestiis pugnasse [2]).

Deinde opponunt, ea plane absurda esse, quae de Ignatii itinere narrantur: episcopum, quamquam captivus fuerit, amicos suscepisse cum iisque libere collocutum esse et absentibus epistulas scripsisse [3]), eumque in tanto circuitu per Smyrnam, Troadem, Neapolim, Philippos, Epidamnum Romam ductum esse [4]).

1) Baur, *Ueber den Ursprung des Episcopates in der christl. Kirche,* in *Tüb. Zeitschr. für Theologie* 1838 III p. 149–154.

2) Cf. Uhlhorn in: *Zeitschrift für hist. Theologie* 1851 p. 264–266.

3) Baur l. c. p. 154–156.

4) Centur. Magdeburg. II c. 10 de Ignatio ed. Norimberg. II 177. Basnage, Annales polit. eccles. ad ann. 105 c. 10.

At Lucianus, qui saeculo secundo vixit, ut iam vidimus, aut illam narrationem fide tam dignam habuit, ut dialogum de morte Peregrini scribens nonnulla ex ea hauriret, aut, si eum Ignatii epistulas legisse dubitaveris, paene eadem tradidit. Praeterea nonne Paulus quoque apostolus in vinculis Christum praedicavit (Act. 28, 16. 30. 31)? Nonne Christiani saepissime aditum ad martyres et incarceratos argento a militibus emerunt? [1]) Nonne martyres in vinculis literas et scripserunt et acceperunt? [2]) Quo iure ergo narrationem illam in dubium vocamus? [3]) Quod autem ad iter attinet, quod Ignatius fecit, eum multo rectiori ac breviori via Romam navigare potuisse haud infitior. Sed quid nos impedit, quin credamus, eum Asiam minorem et via Egnatia, vulgari Romanorum via militari [4]), Macedoniam peragrasse? Si occasio recto itinere in Italiam navigandi defuit, cur eum aliam viam ingressum esse statuere non liceat? Cumque capitis damnatus esset, nonne fieri potuit, ut pedibus ire cogeretur, ut cruciatus augerentur? Concedendum quidem est, ab omni verisimilitudine abhorrere, quod Martyrium refert, eum Epidamno non Brundusium, sed Italia circumnavigata in portum Romanum profectum esse. Sed epistulae, de quibus solis agitur, de illo circuitu nihil referunt, et mihi s. martyr Brundusio in via Appia Romam ductus esse videtur [5]).

Tum occurrunt, in epistulis occasionem scribendi praetermitti nec vel divinare licere, quare potissimum ad hanc vel illam ecclesiam literas voluerit mittere, praesertim ad ecclesias Ephesiorum, Magnesiorum et Trallianorum, quorum cum legatis Smyrnae collocutus sit [6]). Sed aliud est, ad ecclesiam ipsam, aliud, ad eam per alium verba facere, maxime si quis ab ea magna beneficia acceperit. Profecto ecclesiis illis primum pro

1) Cf. Act. Perpet. et Felicitatis c. 3. 5. 16. Cypr. ep. 5 c. 2; 15 c. 1 ed. Hartel.

2) Cf. Cypr. ep. 10; 15; 17 c. 3. Eus. h. e. V c. 3, 4; VI c. 11, 5.

3) Cf. Uhlhorn l. c. p. 272. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 276 sqq.

4) Cf. Tafel, de via militari Romanorum Egnatia, qua Illyricum, Macedonia et Thracia iungebantur. Dissertationes duae. 1837 et 1841.

5) Cf. Uhlhorn l. c. p. 270 sq. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 250 sqq.

6) Centur. Magdeburg. l. c. Baur l. c. p. 155 not. *Streitschrift* p. 61.

caritatis officiis, quae in ipsum contulerunt, gratias agit et deinde occasione data easdem monet, ut haereticos caveant, qui tunc temporis Asiam peragrabant, ut fideles in suas partes traherent. Smyrnaei (8, 2) autem et Philadelphenses (10, 1) rogantur, ut nuntium Antiochiam mittant et de pace restituta, de qua nuperrime certior factus est, cum Antiochenis congaudeant. His etiam gratiae agendae erant pro caritate, cum qua Agathopodem Antiochenum et Philonem Cilicem, qui eum secuti sunt, susceperant (11, 1), et nonnulla verba facienda de schismate, quod paulo postquam s. martyr eorum urbem transiit exortum esse videtur (cf. 7; 8, 1). Polycarpus rogatur, ut ταῖς ἔμπροσθεν ἐκκλησίαις literas det, quia Ignatius profectione subita impeditus est, quominus ipse iis scriberet (8, 1). Romanis denique Ignatius scripsit eos rogans, ne martyrio ipsum eriperent seu ad Caesarem appellantes seu, ut alii statuerunt, pecunia aut dolo aut alia quadam ratione a morte eum liberantes [1]).

Porro dicunt, in epistulis haereticos impugnari, qui saeculo II ineunte nondum fuerint, et provocant inprimis ad Magn. 8, 2, ubi auctor ad haeresim Valentini alludat dicens: λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Sed primo respondere licet, Ignatium ita scripsisse non esse certum. Namque verba ἀΐδιος οὐκ in versione armeniaca et apud Severum Antiochenum desunt et a librario textui inserta esse videntur. Cf. adnotat. ad h. l. Sed etsi ab auctore ipso scripta essent, non sequeretur, eum Valentinum Gnosticum prae oculis habuisse. Recte iam Usher animadvertit, teste Irenaco adv. haer. I c. 11, 1 Valentinum non primum de Sige fabulatum esse [2]), et e Philosoph. VI c. 18 apparet, praesertim Simonem Magum in systemate suo gnostico τῇ σιγῇ locum dedisse. Accedit, quod verba Ignatii ad Valentini systema plane non quadrant, quippe qui τὴν σιγήν non τὸν λόγον, sed τὸν νοῦν gignere doceat (Iren. I c. 1, 1). Neque praetermittendum est, nonnullos Gnosticorum doctrinam illo loco respici. omnino dubitasse, statuentes, verbis οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών verba praecedentia ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος

1) Cf. Uhlhorn l. c. p. 273. Zahn l. c. p. 272 sq. 285 sqq.
2) Appendix Ignatiana. Praefatio.

breviter explicari, ita ut sensus sit: *verbum*, inquam, *aeternum non a silentio proveniens*, ut verbum seu sermo omnis, qui aeternus non est [1]). Interpolator profecto locum eodem modo intellexit verbis οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών haec substituens: οὐ ῥητός, ἀλλ' οὐσιώδης· οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή. Utcumque autem res se habet, locus minime est causa, ut epistulam Ignatio abiudicemus. Ex contrario verisimillimum est, si falsarius post medium saeculum secundum eam confecisset idque eo animo, ut episcopatu instituto vel corroborato ecclesiam catholicam contra haereseum impetus defenderet [2]), fore ut plane alio modo de haereticis dixisset.

Si Ignatium audis, paucissimi haereticis aures dederunt et Philadelphiae tantum evenit, ut nonnulli in eorum partes transirent et ab unitate ecclesiae se separarent. Ephesios (6, 2) autem laudat Onesimus episcopus, quod omnes secundum veritatem ambulant nec ulla haeresis in ipsis inhabitat. Magnesios (11), Trallianos (8, 1), Smyrnaeos (4, 1) hucusque fidem rectam servasse Ignatius testatur, ac iure quaerere licet, an falsarius, qui ecclesiam contra haereticos tueri voluit, haec scripsisset, postquam Gnostici errores suos per universum mundum sparserunt? Accedit, quod nullus error memoratur, qui progrediente demum saeculo secundo in lucem prodiit, sed haeresis, de qua in epistulis sermo fit, ad Ignatii aetatem potius quam ad tempus posterius referenda est. Duos enim vel tres errores tenebant haeretici, quos Ignatius oppugnavit. Non solum iudaizabant (Magn. 10, 3. Philad. 6, 1), secundum legem vivebant (Magn. 8, 1), sabbatum colebant (Magn. 9, 1), sed etiam Christum vere carnem assumpsisse negabant (Magn. 11. Smyrn. 5, 2) contendentes, secundum apparentiam tantum vel putative (cf. Iren. adv. haer. I c. 24, 2; III c. 16, 1; c. 18, 6; IV c. 33, 5) eum ex Maria natum (cf. Eph. 18, 2) et passum esse (Trall. 10. Smyrn. 3), ac praeterea repugnaverunt hierarchiae ecclesiasticae, sine episcopo et presbyterio sacra sua

1) Dionysius Petavius et Pearson, Vindiciae II c. 4.
2) Baur, *Ueber den Ursprung des Episcopats* l. c. p. 173 sq.

peragentes (Magn. 4. 7. Trall. 7. Philad. 7. 8. Smyrn. 8) putantesque, absque unitate cum episcopo se Deo uniri posse. Complectebantur itaque duos errores, qui saeculo II medio alter alterum acriter impugnabant, ac de Christo praeterea quam maxime spiritualiter sentiebant, cum haeretici posteriores eius naturam humanam magis minusve agnoscerent.[1]).

Opponunt insuper, episcopatui in epistulis tantam vim attribui, quantam Ignatii tempore sine dubio non habuerit, quo inter episcopos et presbyteros nullum discrimen fuerit [2]). Sed brevi postquam Ignatius scripsit, Polycarpus (Phil. inscr.), Smyrnaeorum episcopus, a presbyteris se satis clare discernit. Iustinus ante medium saeculum II ita περὶ τοῦ προεστῶτος loquitur (Apol. I c. 65. 67), ut episcopum proprie dictum facile agnoscas. Hegesippus (Eus. h. e. IV c. 22, 3) brevi post medium saeculum secundum tabulam successionis episcoporum Romanorum confecit (ita, non *mansi* verba διαδοχὴν ἐποιησάμην vertenda esse contextus evidenter docet) idque haud dubie, quia aeque ac Irenaeus adv. haer. IV c. 26, 2 persuasum sibi habuit, successores apostolorum una *cum episcopatus successione charisma veritatis certum* secundum placitum Dei accepisse et (ib. III c. 3, 3) successionem episcoporum legitime ordinatorum traditionem apostolicam transmittere. Episcopatus ergo si iam medio saeculo eam vim obtinuit, quo iure eum saeculo ineunte fuisse dubitare licet, praesertim cum Polycrates Ephesius clare prodit, Ephesiorum ecclesiae iam tunc temporis episcopum praefuisse. Cum enim c. ann. 190 scribat (Eus. h. e. V c. 24, 6 ed. L. c. 27), ante ipsum iam septem cognatos Ephesiorum episcopatum gessisse, sequitur, primum ex illis, si singulos duodecim tantum annos ecclesiam administrarunt, Traiani tempore vixisse. Itaque iure dicere licet, quod de episcopatu certe cognitum habemus, id epistulis Ignatianis non esse praeiudicio [3]).

Denique contendunt, auctorem epistularum talem se prae-

1) Cf. Uhlhorn l. c. p. 281—298. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 356—399.

2) Baur l. c. p. 170 sqq. *Die Ignatianischen Briefe* p. 76 sqq.

3) Cf. Uhlhorn l. c. p. 316 - 333. Rothe, *Die Anfänge der christlichen Kirche* p. 463 sqq. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 295—332. Wieseler in: *Beweis des Glaubens* XIV (1878) 273.

bere, ut apostolici viri vestigia nullibi detegantur, ficta vero persona facile reperiatur. Non minus eum superbum esse quam humilitatem affectare, et tanto martyrii desiderio inflammari, quantum saeculo II ineunte frustra quaeratur. Quanta arrogantia iam in eo sit, quod nomen τοῦ Θεοφόρου ipse sibi tribuat [1])! Sed erraverunt putantes, Ignatium ipsum eo nomine sese ornasse ac dixisse, se Deum portare. Auctor Martyrii quidem nomen ita explicavit et posteriores eum secuti s. martyrem τὸν θεοφόρον nuncupabant. E. g. Severus Antiochenus (cf. Cureton, Corp. Ignat. p. 215 sq., 247 sq. Zahn, Ignat. et Pol. epp. p. 352—356), Ephraemius Antiochenus (apud Phot. Bibl. cod. 228 ed. Bekker p. 246; cod. 229 p. 258), Iobius Monachus (Phot. Bibl. cod. 222 p. 196), Stephanus Gobarus (Phot. Bibl. cod. 232 p. 291) scribunt modo Ἰγνάτιος ὁ θεοφόρος modo ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος. Ignatius vero ipse nunquam τὸν θεοφόρον se nominavit, sed semper Θεοφόρον, et verba ὁ καὶ Θεοφόρος, quae in inscriptionibus omnium epistularum leguntur, eandem vim habere ac verba ὁ λεγόμενος vel ἐπικαλούμενος Θ. (cf. Act. 12, 12. Ioann. 11, 16. Luc. 6, 14), iam Pearson (Annot. ad Smyrn. inscr.) vidit et Zahn (Eph. inscr.) demonstravit. Vox Θεοφόρος itaque nihil aliud est quam nomen proprium, quod praeter latinum (Ἰγνάτιος) s. martyr gestabat. Cf. adnot. ad. Eph. inscr. et locis ibi allegatis adde Act. Barnab. c. 8 (Ἰωάννην τὸν καὶ Μάρκον μετονομασθέντα). Act. Thom. c. 1. 11. 20. 21 (Ἰούδας ὁ καὶ Θωμᾶς). Act. Ioann. c. 19. Acta apost. apocr. ed. Tischendorf 1851 p. 67. 190. 199. 206. 208. 274. Si autem dicunt, auctorem epistularum maiorem sui ipsius amatorem et admiratorem esse, quam qui vir apostolicus haberi possit, videant, an recte eum intellexerint. Non enim iam superbus est, qui de cognitione rerum caelestium gloriatur (Trall. 5. Cf. II Cor. 12, 1 sqq.). Quaeritur, quemadmodum quis glorietur, et Cotelier recte dixit, maiori cum demissione Ignatium non potuisse loqui. Sin contendunt, eum tum episcopum quemcumque tum semet ipsum aeque ac Deum et Christum honorari velle, respondeo, aliud esse dicere, episcopum in

1) Baur l. c. p. 159—164. Cf. Dallaeus, de scriptis etc. II c. 24.

terra vicem Dei gerere eique oboediendum esse, aliud, episcopo eundem honorem ac Deo vindicare, quem honorem Ignatius episcopo nunquam tribuit. Semel tantum (Smyrn. 9, 1) de episcopo honorando loquitur; reliquis locis omnibus de loco agit, quem episcopus teneat, et de oboedientia, qua fideles ei subiectos esse oporteat. Si sese minorem nominat quam lectores (Magn. 11) vel minimum fratrum Syriae (Smyrn. 11, 1) vel conservum diaconorum (Eph. 2, 1. Magn. 2. Philad. 4), cur humilitatis affectatae accusandus sit? Nonne eadem vel similia et Paulus apostolus dixit? Sin denique cupidus est martyrii gaudetque, brevi ex hoc mundo se exiturum esse, nonne idem apostolus mortem lucrum declaravit desideravitque, ut dissolveretur et esset cum Christo (Phil. 1, 21. 23)? Sin cum quodam impetu martyrium appetit, considerandum est, eum, quo tempore epistulas scripsit, morti iam addictum fuisse ideoque facile fieri potuisse, ut quam celerrime mori cuperet. Christo credidit, qui promisit (Matth. 10, 39; 16, 25), qui animam suam propter ipsum perdidisset, eum animam inventurum esse, ac praeterea sollicitus erat, ne honor, quo afficiebatur, eum superbum redderet (Trall. 4, 1) et timor cruciatus palmam martyrii ei eriperet (cf. Rom. 7, 1). Si autem putant, eum non tam animo, quo subitur martyrium, quam martyrio ipsi tamquam operi mortis operato vim attribuisse, in magno errore sunt. S. martyr martyrium identidem donum Dei benigni et misericordis declarat (Rom. 1, 2; 9, 2. Philad. 5, 1) et an eo dignus sit ignorat (Trall. 4) [1]).

Utut autem res se habet, sive auctor placet nobis sive displicet, non id est, de quo agitur, sed hoc potissimum quaeritur, num viri fide digni epistulas ab Ignatio scriptas esse testentur, et iam vidimus, testibus neque antiquitatem neque auctoritatem deesse. Contendunt quidem [2]), nullum testimonium exstare, quod non ex epistulis ipsis haustum sit. Irenaeum, Origenem, Eusebium epistulas sine dubio legisse easque Ignatio attribuisse. Quaeri autem, num Ignatio profecto ea contigerint,

1) Cf. Uhlhorn l. c. p. 305—316. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 400—424.
2) Baur, *Ueber den Ursprung des Episcopates* l. c. p. 167—169.

assequi cupere (5). In Christo mori melius esse quam mundum lucrari (6). Etiamsi postea forte eorum auxilium petat, ne precibus indulgeant. Se panem Dei seu carnem Christi velle (7). Faveant ipsi. Ex eorum voluntate vitam vel mortem ipsi pendere (8). In precibus meminerint ecclesiae Syriae eosque, qui Antiochia Romam praecesserint, bene suscipiant (9—10).

Philadelphenses adhortatur, ut cum episcopo, viro praestantissimo (1), teneant unionem, fugiant pravas doctrinas (2), caveant schismaticos (3), una utantur eucharistia (4), non solum apostolos, sed etiam prophetas diligant (5), Iudaizantibus vero aures obstruant. Se Deo gratias agere, quod neminem eorum gravaverit (6). Iam eo tempore, quo inter eos versatus fuerit, se eos admonuisse, ut episcopo oboediant fugiantque dissidia (7). Deum odisse divisionem, propitium esse paenitentibus. Nihil contentiose agant. Archiva, ad quae nonnulli provocaverint, sibi esse Christum ipsum (8). Vetus testamentum bonum esse, melius autem novum. Prophetas quoque Dominum annuntiasse (9). Cum autem ecclesia Syriae pacem obtinuerit, diaconum Antiochiam mittant, qui cum Antiochenis de fine persecutionis congaudeat (10). Denique gratias se agere, quod Agathopodem et Philonem bene susceperint (11).

Smyrnaeis scribit; se glorificare Iesum Christum propter fidem perfectam quam habeant in Dominum, qui vere passus sit ac resurrexerit (1). Propter nos autem Dominum passum esse; vere eum passum esse (2) atque post resurrectionem et adhuc in carne esse (3). Alia docentes fugiant. Cur ipse vincula ferat (4)? Qui Christum abnegent, fore ut potius a Christo abnegentur (5). Etiam angelos, nisi in Dominum credant, in iudicium incursuros esse. Illos autem ex fructibus quoque cognosci (6). Ab iis, qui ab eucharistia et oratione ecclesiae abstineant, recedant (7), neque quidquam sine episcopo peragant (8), episcopum potius honorent (9, 1). Gratia Dei iis bona retribuat, quae in ipsum contulerint (9, 2) et in comites suos (10). Mittant legatum Antiochiam ob pacem restitutam (11). Fratres, qui sint Troade, et semet ipsum episcopo et fratribus omnibus salutem dicere (12—13).

Polycarpo, postquam sibi gratulatus est, quod eius fa-

ciem vidisset, epistula ineunte plura consilia ac praecepta de ecclesia regenda dat (1—5) et intermiscet additque (6) aliqua praecepta ad populum. Tum Smyrnaeos et episcopum denuo adhortatur, ut legatum Antiochiam mittant (7). Denique Polycarpum rogat, ut alias ecclesias per literas admoneat, ut idem faciant, quoniam ipse impeditus sit, quominus illis scribat.

VI.

Epistulas Ignatii genuinas primus Isaacus Voss prelo subiecit a. 1646 [1]). Descripsit eas e codice Mediceo-Laurentiano plut. LVII n. 7 (saec. XI) et edidit una cum versione veteri latina, quam I. Usher in codicibus Montecutiano et Caiensi vel Cantabrigiensi repererat et annis duobus ante publici iuris fecerat. Vide supra p. LVII. Textum, quem exhibuit, recudendum curaverunt I. Usher a. 1647 [2]), I. B. Cotelier a. 1672 [3]), I. Clericus a. 1698, Th. Ittig a. 1699. Epistulam ad Romanos Voss e recensione longiori desumpserat. Textum praestantiorem Th. Ruinart in codice Colbertino 460 (nunc in magna bibl. Parisiensi 1451) reperit et a. 1689 publicavit [4]).

Cum editio, quam Voss paravit, pluribus erroribus laboraret, brevi alii viri docti codicem Mediceum aut contulerunt, ut I. Ledgard, aut descripserunt, ut A. M. Salvinus. Hic apographon a. 1707 exaratum in Angliam transmisit et Carolus Aldrich a. 1708 typis expressit [5]). Ille quidem se codicem exacte fideliterque descripsisse contendit. Editio nihilominus non sine vitiis est. Denuo epistulas anno sequenti Th. Smith in publicum emisit adiciens adnotationes, quas I. Pearson reliquerat, et schedas complexas varietates lectionis, quas Ledgard

1) Epistolae genuinae S. Ignatii martyris, quae nunc primum lucem vident ex bibliotheca Florentina. Adduntur S. Ignatii epistolae, quales vulgo circumferuntur. Adhaec S. Barnabae epistola. Accessit universis translatio vetus. Amstelodami. Recusa est editio a. 1680 Londini.

2) Appendix Ignatiana. Londini.

3) Vide p. XXXIII not. 4.

4) Acta primorum martyrum sincera.

5) S. martyris Ignatii Antiochensis epistolae septem genuinae, quas nimirum collegit S. Polycarpus suaeque ad Philippenses epistolae subiecit. Oxonii.

illius rogatu e collatione editionis Vossianae olim Florentiae comparaverat, et adnotationes criticas et exegeticas a semet ipso factas [1]). Textum ex omnium editionum collatione emendatum a. 1746 vulgavit R. Russel. Alii hunc vel illum priorum textuum recudi iusserunt: Gul. Whiston a. 1711 Aldrichianum [2]), A. Gallandi a. 1765 Smithianum, I. C. Thilo a. 1821 Vossianum [3]). I. L. Frey editionem Smithianam integram denuo a. 1741 repraesentavit. Hornemann a. 1829 epistulam ad Polycarpum ex recensione longiori edidit et epistulas ad Magnesios et Philadelphenses penitus omisit [4]).

Codices tum graecos, scilicet Mediceum et Colbertinum, tum latinum Caiensem (codicem Montecutianum post Iacobum Usher nemo vidit) denuo inspexit Gul. Iacobson et textum emendatiorem edidit a. 1838, post eumque epistulas publicaverunt C. I. Hefele a. 1839, F. H. Reithmayr a. 1844, A. Grenfell a. 1844, Ch. C. I. Bunsen a. 1847 [5]), Gul. Cureton a. 1849 [6]), A. Dressel a. 1857. Hic locos praecipuos codicis Medicei aut ipse contulit aut per alios inspiciendos curavit et primus codicem Casanatensem (saec. XV) et apographon cod. Medicei adhibuit, quod Lucas Holstenius fortasse ante editionem Vossianam exaravit.

Novam viam ingressus est I. H. Petermann [7]). Contulit etiam recensionem longiorem, versiones veteres ac citationes scriptorum, et etsi testes minus consuluit quam collegit, tamen

1) S. Ignatii epp. genuinae, iuxta exemplar Mediceum denuo recensitae, una cum veteri latina versione etc. Oxonii 1709.

2) *Primitive Christianity reviv'd.* Londini. t. I p. 102—391 utraque recensio legitur.

3) Ignatii epistolae. Halae.

4) Nonnullis editionibus in hac sectione enumeratis destitutus expositionem secutus sum, quam fecit Iacobson, Patr. apost. 1838 I p. LXVII sqq.

5) *Die drei ächten u. d. vier unächten Briefe des Ign. v. A.* Hamburgi. Cf. supra p. LXI.

6) Corpus Ignatianum: *a complete collection of the Ignatian epistles, genuine, interpolated and spurious* etc. Londini.

7) S. Ignatii patris apost. quae feruntur epistolae una cum eiusdem Martyrio. Lipsiae 1849.

in nonnullis locis recta coniectavit. Viam maiori cum diligentia nuperrime persecutus est Th. Zahn [1]). Fontes, ex quibus textus genuinus desumendus est, optime disposuit ex iisque magna cum prudentia hausit. Mihi quidem non omnes emendationes placent, quas fecisse sibi visus est; nihilominus non haesitans dico, textum, quem exhibuit, prioribus longe praestare.

Quod ad fontes attinet, ex quibus textus epistularum nativus hauriendus est, primus est recensio brevior. Exstat tum in textu graeco tradito tum in versione latina [2]), et haec eandem vim ac codex graecus habet. Singula enim verba in eodem ordine, quem in exemplari graeco obtinebant, in latinum translata sunt, ita ut non tam versionem, quam codicem graecum verbis latinis transscriptum habeamus. Ne particulam ἄν *(utique)* quidem interpres omisit, et verba εἰς τὸ εὑρεθῆναί με Polyc. 7, 1 e. g. vertit *in inveniri me*, εἰς τὸ παραδέξασθαι Eph. 9, 1 *ad non recipere,* οὖσιν ἀχωρίστοις θεοῦ Trall. 7, 1 *exsistentibus inseparabilibus a Deo.* Quo tempore exorta sit, accurate definiri nequit et hoc tantum constat, ante saeculum XIII medium eam confectam esse. Robertus Grosseteste, episcopus Lincolniensis † 1253, ea usus est, et Usher [3]) coniecit, illum ipsum eiusdem vel notarum saltem marginalium in Montecutiano codice ad eam appositarum auctorem exstitisse, quia scholiasta certe Anglus fuit et Robertus Lincolniensis profecto plures libros graecos in latinum transtulit. Zahn [4]) ei assensus est, quia versio Testamenti XII patriarcharum a Lincolniensi facta [5]) versioni epistularum Ignatii admodum similis esset, ac concedendum est, utrumque interpretem textum graecum accuratissime reddidisse. Sed non minus in promptu est, Lincolniensem barbarismos supra notatos et alios vitasse, qui versionis nostrae maxime proprii sunt, et revera versiones magis inter se dissimiles quam similes

1) Ignatii et Polycarpi epistulae, martyria, fragmenta 1876. Editionis patr. apost. operum Lipsiensis III fasciculus II.

2) Publicaverunt eam in suis epist. Ign. editionibus Usher, Voss, Cotelier, Smith, Frey, Iacobson, Zahn.

3) Dissert. c. 3. 19. p. 15. 142.

4) *Ignatius von Antiochien* p. 550—552.

5) Edidit Grabe, Spicilegium ed. II t. I p. 145—253.

esse. Accedit, quod Fr. Turrianus in bibliotheca Vaticana quoque versionem recensionis brevioris vidit [1]). Namque si Romae versio exstat vel exstitit, ea potius ex urbe in Angliam quam ex hac terra in urbem venisse putanda est. Itaque versio non a Roberto Lincolniensi, sed ante eius aetatem confecta esse videtur. Textus graecus autem in duobus codicibus legitur, Mediceo et Casanatensi.

Alterum locum obtinent versiones orientales, scilicet syriaca et armeniaca. Illa circa saeculum IV medium confecta est; namque iam Ephraemio Syro † 373 et Cyrillonae poetae nota fuisse videtur [2]), ac certe saeculo quinto ex ea fluxit versio armeniaca [3]). Primum septem Ignatii epistulas genuinas complexa est; mox sex illae epistulae Ignatio et Mariae Castabalitae suppositae adiectae atque omnes in linguam armeniacam translatae sunt [4]). Ceterum versionis syriacae fragmenta tantum conservata sunt eaque in duas partes dividuntur. In altera sunt epistulae ad Ephesios, Polycarpum et Romanos decurtatae, quas nonnulli epistulas Ignatii genuinas habuerunt. Ediderunt eas Cureton, Bunsen, Lipsius [5]). In altera sunt crebra illa fragmenta, quae plures scriptores syriaci nobis tradiderunt quaeque Cureton et Zahn in suis editionibus collegerunt. Versionem armeniacam ediderunt a. 1783 Menas, episcopus urbis Armeniae màioris Bagrevand [6]), et a. 1849 Petermann. Versiones orientales, cum interpres syriacus singula exemplaris graeci verba non accurate reddiderit, sed liberius suo munere functus sit [7]), ad textum recensendum non idem valent ac latina et cum prudentia adhibendae sunt. Neque tamen parvi aestimandae sunt. Exemplar graecum saeculi IV repraesentant earumque lectio

1) De canon. apost. I c. 2 p. 10. Cf. Zahn, Prolegom. p. XVIII not. 4.

2) Cf. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 213; 187; 183 sq.

3) Cf. Petermann l. c. p. XXVI.

4) Cf. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 167—240. Prolegom. p. XXX.

5) *Ueber das Verhältniss der drei syrischen Briefe des Ign. zu den übrigen Recensionen der Ignat. Literatur* p. 184—203, in: *Abhandl. für d. Kunde des Morgenlandes* 1859.

6) Cf. Petermann l. c. p. VI.

7) De indole versionis syriacae cf. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 192—221.

maioris momenti est, si alius testis ad eas accedit. Ostendunt praesertim, exemplar graecum, quo interpres latinus usus est, codice Mediceo praestantiorem fuisse.

Tertius denique fons est recensio longior eaque ad textum restituendum adhiberi potest, quia interpolator multa non mutata recepit, alia ita mutavit, ut ea, quae legit, haud semel tantum perspicere possimus. Legitur corpus pseudoignatianum aeque ac epistulae genuinae in codicibus graecis et versione latina, VI vel VII saeculo confecta, et emendatissimum nuperrime editum est a Theodoro Zahn. Primi editores iam supra p. LV memorati sunt. Praeterea mentione digni sunt Cotelier, Cureton, Dressel.

Testes enumerati mihi quoque respiciendi erant. Cum autem lectiones variantes non omnes exscribi possent, hanc regulam secutus sum. Lectiones codicis Medicei et versionis latinae omnes in commentario appositae sunt; lectiones vero versionum orientalium et corporis pseudoignatiani et citationum scriptorum non notabantur, nisi sunt maioris momenti vel unam ex illis confirmant. Codex Casanatensis cum apographon tantum codicis Medicei sit [1]), mihi prorsus neglegendus esse videbatur.

Versionem latinam, quam exhibeo, Cotelier fecit, Hefele et ego passim correximus. Aliam, cuius auctor est Lucas Holstenius, edidit Dressel. De ceteris versionibus vide p. XVI. Addendae sunt eae, quas fecerunt M. I. Wocher [2]), Ios. Nirschl [3]), Gul. Whiston [4]), Clementson [5]).

Dissertationes memoria dignae iam hucusque nominatae sunt. De doctrina Ignatii inprimis disputaverunt G. Lumper [6]), I. A. Möhler [7]), Permaneder [8]), Ad. Hilgen-

1) Cf. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 552 sq. Prolegom. p. XVI sq.

2) *Die Briefe des h. Ignatius v. A.* Tubingae 1829.

3) *Die Briefe des h. Ignatius v. A. u. s. Martyrium.* Castris Batav. 1870.

4) *Primitive Christianity reviv'd.* Londini 1711.

5) *The Epistles of Ignatius and Polycarp* etc. 1827.

6) Historia theologico-critica 1783 I 305–327.

7) *Patrologie* 1840 p. 131—152.

8) Patrologia specialis 1843.

feld [1]), I. Nirschl [2]), Th. Zahn [3]), Th. Dreher [4]).

Sigla, quae in hac parte adhibuimus, haec sunt: G^1 = cod. Mediceus, in epist. ad Romanos cod. Colbertinus; L^1 = versio vetus recensionis brevioris latina; G^2 = textus recensionis longioris graecus; L^2 = versio eiusdem recensionis latina; S = versio syriaca decurtata; Sm = versio epistulae ad Rom. syriaca Martyrio inclusa; Sf = fragmentum syriacum; A = versio armeniaca; Am = versio ep. ad Rom. armeniaca Martyrio inclusa; Z = Zahn.

MARTYRIUM S. IGNATII.

Acta martyrii, quae Ignatii epistulis adiuncta sunt, vulgo Martyrium Colbertinum vocantur, quia in codice Colbertino supra p. LXXIII laudato graece leguntur. Versio latina aeque fidelis ac barbara ab eodemque interprete confecta ac versio epistularum Ignatianarum exstat in codicibus Montecutiano et Caiensi et a Iacobo Usher a. 1647 edita est [5]). Textum graecum in vulgus emisit a. 1689 Theodericus Ruinart, presbyter e Congregatione s. Mauri [6]), post eumque publicaverunt Grabe [7]), Ittig, Smith, Gallandi, Iacobson et alii Ignatii vel Patrum apostolicorum editores. Versionem eiusdem Martyrii syriacam dimidiam edidit Cureton [8]), totam G. Mösinger [9]).

Acta a comitibus s. martyris exarata esse volunt, scilicet ab Agathopode et Philone (cf. Ign. Philad. 11, 1. Smyrn. 10, 1), ut iam Usher omnibus assentientibus statuit, nec non Croco

1) *Die apostolischen Väter* p. 226—271.

2) *Die Theologie des hl. Ignatius v. A.* 1868.

3) *Ignatius v. A.* p. 422—494.

4) S. Ignatii ep. Ant. de Christo Deo doctrina. Sigmaringae 1877.

5) Ignatii Antiocheni et Polycarpi Smyrnensis episcopi Martyria, ab his qui passioni ipsorum interfuerant descripta. Londini. Postea versionem ediderunt Cotelier, Smith, Iacobson, Frey.

6) Acta primorum martyrum sincera atque selecta. Appendix.

7) Spicilegium II 9—22.

8) Corpus Ignatianum p. 222—225, 252—555.

9) Supplementum Corporis Ign. a G. Curetono editi. Oeniponti 1872.

(cf. Ign. Rom. 10, 1), ut Gallandi [1]) et alii putaverunt. Auctores enim 7, 2 dicunt, sese ea vidisse, quae literis tradiderint; 5, 4 et 6, 1 narrant prima persona utentes: ἡμεῖς μὲν ἄκοντες ἀπηγόμεθα, indicantes, se rebus gestis interfuisse, et usque ad novissima tempora omnes, qui Ignatii epistulas genuinas putarunt, iis fidem habuerunt, e. g. Usher, Ruinart, Grabe, Tillemont [2]), Pearson [3]), Smith, Cotelier, Gallandi, Lumper [4]), Möhler [5]), Nirschl [6]), I. Chr. Mayer [7]). Posteriorem tantum partem (5, 3 etc.) deficientem in Martyrio, quod legitur in codice Cottoniano, Usher, Grabe [8]) ac pauci alii sub finem saeculi quinti adiectam esse contenderunt. Nostris autem diebus non solum adversarii, sed etiam defensores Ignatii Acta martyrii suppositicia et saeculo quarto exeunte vel saeculo quinto conscripta esse censuerunt, praesertim Uhlhorn [9]), Zahn [10]), Kraus [11]). Hefele quidem et authentiam et integritatem Martyrii defendit, neque vero negavit, argumentis, quae Uhlhorn protulit, illam aliquantulum suspectam reddi ac fortasse paucissima quaedam aut vitio librariorum corrupta aut manibus posteriorum addita esse [12]). Concedendum est, argumenta, quibus Usher et Grabe integritatem impugnaverunt, inania esse. Sed adhuc quaeritur, num Martyrium authenticum sit, et ego non possum non negare. Rationes autem, ex quibus non saeculo secundo ineunte, sed posteriori tempore confectum esse videtur, hae sunt.

Primum Acta veteribus ignota erant. Eusebius non tantum

1) Biblioth. vet. Patr. I Proleg. p. LX.
2) *Mémoires pour servir etc. S. Ignace* art. 2 sqq.
3) Vindiciae Ignatianae II c. 12.
4) Historia theol. crit. II 246 sqq.
5) *Patrologie* p. 408.
6) *Das Todesjahr des h. Ignatius* 1869 p. 1 sqq. *Die Briefe des h. Ign.* 1870 p. 27—30.
7) *Die Schriften der apost. Väter* 1869 p. 203 sq.
8) Spicilegium II 22 sq.
9) *Zeitschrift f. d. histor. Theol.* 1851 p. 252—257.
10) *Ignatius v. A.* p. 41—56.
11) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1873 p. 115—134.
12) Patr. apost. ed. IV p. LXXI sqq.

eorum non facit mentionem, sed Polycarpi Martyrium iam vel (ut alii codices habent) etiam circumferri dicens (h. e. IV c. 15, 1) satis clare prodit, se eorum notitiam non habuisse. Accedit, quod inter initium Actorum (1, 1; 2, 1) et Eusebii Chronica tantus consensus est, ut auctor illorum ex hoc hausisse putandus sit. Uterque enim de persecutione Christianorum universali loquitur et res Traiano imperante gestas in eodem fere ordine enumerat. Primus Martyrii testis haberi potest Evagrius h. e. I c. 16, cuius verba: διὰ τῶν ὑπολειφθέντων ἁδροτέρων ὀστῶν, ἃ πρὸς τὴν Ἀντιόχου ἀπεκομίσθη, ex 6, 5 desumpta esse videntur, ubi legimus: μόνα γὰρ τὰ τραχύτερα τῶν ἁγίων αὐτοῦ λειψάνων περιελείφθη, ἅτινα εἰς τὴν Ἀντιόχειαν ἀπεκομίσθη. Sexto igitur saeculo Acta legebantur, ac conicere licet, saeculo quarto exeunte vel saeculo quinto ea conscripta fuisse. Auctor enim Ignatium discipulum Ioannis fuisse contendens narrationem sequitur, qui Eusebio ignota aut ab Hieronymo in Chronicorum versione aut ab alio posteriore sparsa est. Zahn auctorem nonnulla quoque ex homilia in s. Ignatium a Chrysostomo habita hausisse suspicatus est ac contendit, Martyrium ab initio aliter dispositum a quodam, qui orationem illam cognitam habuit, in eam formam redactum fuisse, in qua nunc exstat [1]). Equidem rationem satis firmam non invenio, ob quam ab uno eodemque confectum esse negandum sit.

Tum Acta cum historia et Ignatii et Traiani haud parum pugnant.

1) Si Martyrium audis, Ignatius discipulus Ioannis apostoli (1, 1) et condiscipulus Polycarpi (3, 1) fuit. Ipse autem (Polyc. 1, 1) clare indicat, se episcopum Smyrnaeorum non ante vidisse, quam Romam profectus est, nec quisquam ante saeculum quartum eum apostolum illum audiisse tradit. Hieronymus primus de illo discipulatu refert et quidem in Chronicis; in libro de viris illustribus c. 16 eum silentio praeterit.

2) Martyrium dicit, Ignatium a Traiano Antiochiae commorante condemnatum fuisse. Eusebius vero de iudicio illo imperiali tacet; in Chronicis de morte s. martyris etiam prius

1) *Ignatius v. A.* p. 44. 49–51.

refert quam de expeditione Traiani orientali, et verisimillimum est, illum c. ann. 107 passum, hunc autem non ante ann. 113 in Orientem profectum esse. Neque in epistulis Ignatii minimum iudicii illius vestigium deprehendi potest. Ex contrario epistula ad Romanos vix intellegi potest, nisi statuimus, martyrem a proconsule, non ab imperatore damnatum fuisse.

3) Martyrium narrat, Ignatium Seleucia Smyrnam navigasse. Ex epistulis elucet, eum partem Asiae saltem magnam permeasse ac praesertim Philadelphiam transiisse.

4) Martyrio referente persecutio, in qua Ignatius condemnatus est, universalis fuit (2, 1) et duravit adhuc eo tempore, quo s. martyr Romam pervenit (6, 3). Ignatius ipse testatur, ecclesias Asiae pace profunda fruitas esse et Antiochiae persecutionem iam tum temporis desiisse, quo Smyrna Troadem iter faciebat.

Denique nec difficultates praetermittendae sunt, quae interpretibus afferuntur quaeque falsarium magis quam scriptorem genuinum produnt.

1) Auctor vel potius auctores dicunt (7, 1), se spectatores martyrii fuisse, et nihilominus nocte sequente Deum rogant, ut de iis, quae facta sint, ipsos certos reddat. Vix recte nonnulli illa verba de dubio interpretati sunt, num Ignatii martyrium Deo esset acceptum.

2) Si auctores sunt Agathopus et Philo, ut defensores Martyrii unanimes contendunt, cur vocem ἡμεῖς non iam 5, 2. 3 adhibuerunt, cum Troade eos Ignatium convenisse constet? Haud dubie, quia s. martyrem revera non comitati, sed Lucam (Act. 20, 5 sqq.) imitati sunt, ut l. c. denuo (cf. 2, 8) produnt dicentes, Ignatium per vestigia Pauli Romam venire voluisse. Ex eadem causa iter explicandum esse videtur, quod Ignatius fecisse dicitur non Brundusii, sed in portu Romanorum in Italiam appellens vel potius Puteolos appellere volens.

3) Denique narratio tota suspicionem movet. Auctores se martyrium descripsisse dicunt, ut tempus innotesceret, quo communio cum s. martyre celebraretur (7, 3), et c. 2 de condemnatione, 3—6, 3 de itinere, 6, 4—7, 1 de morte Ignatii lo-

quuntur. Si autem de martyrio eiusque tempore referre voluerunt, cur tam multa verba de itinere faciunt, tam pauca de martyrio ipso? Si s. martyrem profecto comitati sunt, cur nihil proferunt, quod, si paucissima exceperis, non in epistulis legitur vel facile ex iis concludi potest? Si martyrii tempus tantum indicare voluerunt, quomodo caput 1 intellegendum est, in quo de cura episcopi pastorali maxime agunt? In Martyrio Polycarpi de nulla alia re quam de persecutione ac de morte episcopi Smyrnaeorum sermo fit. Denique quoniam auctores id egisse volunt, ut aliis tempus mortis indicarent, quaerere licet, cur nec nomen suum nec lectorum indicaverint? Concedendum quidem est, nomina non fuisse apponenda, si Martyrium ad Antiochenos scriptum fuit. Sed si res ita se habet, non minus in promptu est, scripturae authentiam maxime dubiam esse, cum ab omni veri similitudine abhorreat, auctores de morte Ignatii fratribus suis eo modo retulisse, quo in Martyrio nostro refertur.

Martyrium Colbertinum non sola Actorum s. Ignatii recensio est, quam habemus. Alterius Martyrii versionem latinam dimidiam Usher [1]) e codice Cottoniano, totam Bollandistae [2]) e pluribus Galliae codicibus ediderunt. Tertium exstat in collectione epistularum Ignatianarum armeniaca. Quartum conscripsit Symeon Metaphrastes. Quintum, cuius paucos locos iam Usher e codice Oxoniensi exscripsit et in adnotationibus editionum Ignatianarum publicavit, nuperrime e codice Vaticano edidit Dressel.

Quae Martyria si probaveris, facile intelleges, Martyrium Colbertinum et Martyrium Vaticanum alterum ab altero non pendere, sed utrumque primigenium esse atque eo maxime inter sese differre, quod Ignatius secundum illud Antiochiae, secundum hoc Romae iudicatus est. Reliqua ex his duobus compilata sunt cum iisque magis minusve conveniunt. Martyrium Colbertinum maxime in Martyrio Bollandistarum conservatum

1) Ignatii etc. Martyria p. 1—7.
2) Acta SS. Februar. I 29—33.

est, cuius pars prior excepto uno loco (4—5, 1), quem auctor omisit, cum illo paene ad verbum concinnit [3]).

Quae cum ita sint, ista Martyria ad textum Martyrii Colbertini recensendum plus minusve conferunt atque mihi adhibenda erant. In lectionibus autem adnotandis similem regulam secutus sum ac in epistulis Ignatianis nec nisi lectiones codicis Colbertini et versionis Martyrii Colbertini latinae veteris omnes exscripsi. Sigla, quibus usus sum, haec sunt: G = codex Colbertinus; L = versio vetus latina; S = versio syriaca et quidem secundum editionem Mösingerianam; lectiones variantes huius editionis et Curetonianae non notatae sunt; B = Martyrium Bollandistarum; A = M. Armeniacum; M = M. Symeonis Metaphrastae.

In linguas recentiores Martyrium plerumque una cum epistulis Ignatianis translatum est.

S. POLYCARPI EPISTULA AD PHILIPPENSES.

De patria et genere s. Polycarpi nihil compertum habemus. Natus autem esse videtur a. 69. Dixit enim a. 155, quo martyrium passus est [1]), octoginta sex annos se Christo servire, et mihi dicere videtur, se totidem annos vivere. Cf. Mart. Polyc. 9, 3 not. Quomodocumque autem haec verba interpretamur, de annis vitae aut de tempore vitae christianae in sensu strictiori seu post baptismum exactae: ab apostolis s. pater edoctus et episcopus Smyrnaeorum ordinatus est. Scribit enim Irenaeus adv. haer. III c. 3, 4: καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ ἀποστόλων μαθητευθεὶς καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν, ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ, ἐπίσκοπος,

3) Cf. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 1 sqq.

1) Cf. quae in Prolegomenis ad Martyrium Polycarpi ad finem capitis I adnotata sunt.

idemque tradit Eusebius h. e. III c. 36, 1 ed. L c. 37 dicens: τῶν ἀποστόλων ὁμιλητὴς Πολύκαρπος, τῆς κατὰ Σμύρναν ἐκκλησίας πρὸς τῶν αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ κυρίου τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος. Inter discipulos Domini, quorum consuetudine Polycarpus usus erat, Irenaeus (Eus. h. e. V c. 20, 6 ed. L c. 23) insuper Ioannem [1]) speciatim nominat, et Tertullianus de praescript. c. 32 atque Hieronymus catal. c. 17 ab hoc apostolo eum episcopum Smyrnaeorum ordinatum esse tradunt. Quo tempore episcopatum acceperit, accurate definiri nequit. Nonnulli quidem eum angelum Smyrnae ecclesiae esse putaverunt, cuius Apoc. 2, 8—11 mentio fit. Sed Ioannem apostolum l. c. de eo locutum esse demonstrari nequit, et hoc solum constat, saeculo II ineunte eum episcopum fuisse. Praefuit enim ecclesiae Smyrnaeorum c. ann. 107, quo tempore Ignatius Romam proficiscens Smyrnam transiit, et si Tertullianus et Hieronymus eum a Ioanne apostolo episcopatum accepisse recte dixerunt, c. ann. 100 ordinatus esse putandus est, cum Ioannes paulo post (a. 104 cf. Chron. pasch. ed. Bonn. I 470) mortuus esse dicatur.

Ex Martyrio elucet, Polycarpum prophetiae dono praeditum fuisse (16, 2) atque plurimum ad propagandam fidem contulisse (12, 2). Adversarii eum accusaverunt, quod esset Asiae magister, Christianorum pater, destructor deorum gentilium, quod multis ne sacrificarent persuasisset. Irenaeus adv. haer. III c. 3, 4 autem, qui eum adhuc adolescens viderat, ea semper eum docuisse testatur, quae ab apostolis didicerit, quae et ecclesia tradat et quae sola vera sint, ac (cf. Eus. h. e. V c. 20, 6) de miraculis Domini et de doctrina, prout ab iis, qui Verbum vitae ipsi conspexerint, acceperit, eodem prorsus modo eum retulisse, in omnibus cum Scriptura Sacra consentientem, et Florino condiscipulo, ut ei probet, doctrinam, quam provectiori aetate professus est, non eam esse, quam magister prae-

1) Nuperrime Keim (*Geschichte Iesu von Nazara* 1867 I 162 sq.) contendit, Polycarpum discipulum Ioannis non apostoli, sed presbyteri quem dicunt fuisse. Sed argumenta, quae protulit, non digna sunt, quae in hoc libro refutentur. Cf. Hilgenfeld, *Zeitschrift f. wiss. Theologie* 1874 p. 310 sqq.

dicaverit, non solum sermones in memoriam revocat, quos ille ad populum habuerit, ac familiarem consuetudinem, quae illi cum Ioanne et cum reliquis, qui Dominum ipsum viderint, intercesserit, sed etiam locum, in quo beatus episcopus sedens disseruerit, processus quoque eius et ingressus, vitae totius formam et corporis speciem, addens, quae tunc temporis gesta sint, ea se melius memoria tenere, quam quae nuper acciderint. Tradit quoque adv. haer. III c. 3, 4, Polycarpum Marcioni aliquando sibi occurrenti et dicenti: ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς; respondisse: ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ, et conicere licet, eum convenisse illum haereticum Romae, ubi multos Valentianos et Marcionitas et alios haereticos ad ecclesiam reduxisse dicitur (Iren. l. c. cf. Eus. Chron. ed. Schöne II 170). Eodem enim teste (l. c. Eus. h. e. IV c. 14 ed. L c. 21; V c. 24, 16. 17 ed. L c. 27) Aniceto ecclesiam gubernante, cum de pluribus rebus ac praesertim de Paschate celebrando controversia esset, in urbem profectus est, et uterque id egit, ut alter alteri persuaderet, ut a more suo discederet. Retinuerunt quidem ambo morem, quem ab apostolis acceperant. Nihilominus autem sibi invicem communicarunt, et Anicetus in ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessit. Paulo post s. pater mortuus est. Martyrium enim subiit a. 155, ut infra videbimus, Anicetus autem c. ann. 154 ecclesiam Romanam gubernandam suscepit [1]).

II.

Non solum verbo et exemplo, sed etiam scriptis Polycarpus evangelium praedicavit, et Irenaeus (Eus. h. e. V c. 20, 8 ed. L c. 23) plures epistulas commemorat, quas partim ad vicinas ecclesias, ut eas confirmaret, partim ad quosdam ex fratribus misit, admonens eos et exhortans. Sed una tantum ad nos pervenit, epistula ad Philippenses, quam scripsit brevi post mortem s. Ignatii. Persuasum enim sibi habuit, episcopum Antioche-

1) Cf. Lipsius, *Chronologie der röm. Bischöfe* 1869 p. 189 sq. 263.

norum martyrium iam subiisse (c. 9), nuntium vero de morte nondum acceperat (13, 2).

Quae epistula cum epistulis Ignatianis testimonium praebeat luculentissimum, saepius iam de ea nobis dicendum erat. Eadem de causa vero eius authentia a nonnullis aut in dubium vocata aut negata est. Iam Centuriatoribus Magdeburgensibus (ed. Norimberg. II 186) suspicionem movit, cum causa, ob quam scripta esset, non satis expressa esset eiusque partes nimium confusae minimeque cohaerentes viderentur, cumque tota scriptura vix tam docilem, sedulum ac praestantem Ioannis apostoli discipulum, immo etiam tam excellentem spiritum repraesentaret, quali Polycarpus diceretur fuisse praeditus. I. Dallaeus [1]) contra authentiam ad Nicephori stichometriam provocavit, in qua epistula apocrypha iudicata esset, et nostris denique diebus adversarii Ignatii ex aliquot locis concluderunt, epistulam confictam nec aliud quam velut prooemium epistularum Ignatianarum esse [2]). Quae 7, 1 dicta essent, haereticum Iesum Christum in carne venisse negantem primogenitum esse Satanae, ea a Polycarpo non ante medium saeculum II enuntiata esse nec enuntiari potuisse, priusquam Marcion Docetismum suum sparsisset, et si Philippenses (12, 3) admonerentur, ut orarent *pro regibus,* auctorem post annum 161 vel 137 [3]) scripsisse putandum esse, quia ante hunc annum unus imperator et Augustus fuisset. Sed contextus minime prohibet, quominus hoc dictum ad reges omnes intra et extra fines imperii Romani referamus, ac praeterea etiam Matth. 17, 25, Act. 9, 25, Apoc. 6, 15; 16, 14, quas scripturas ante annum 161 confectas esse nemo negat, plures reges commemorantur. Quod autem ad illud attinet, cur non statuere liceat, Polycarpum idem saepius dixisse, praesertim cum Irenaeus (Eus. h. e. V c. 20, 7) testetur, eum quasdam veritates identidem enuntiasse? Irenaeum quidem, qui epistulam certe legit, locus ille non offendit. Sin autem ex

1) De scriptis Dionysii Areop. et Ignatii Ant. p. 426 sq.

2) Hilgenfeld, *Apostolische Väter* p. 271—274. Schwegler, *Nachapostolisches Zeitalter* II 154—156.

3) De hoc anno Hilgenfeld dixit in: *Zeitschrift für wiss. Theologie* 1874 p. 318.

2, 1, ubi lectores admonentur, ut τὴν κενὴν ματαιολογίαν καὶ τὴν τῶν πολλῶν πλάνην deserant, epistulam non scriptam esse concludunt, priusquam Gnostici multos in suas partes traxerunt, videant, an locum recte interpretati sint. Cf. not. ad h. l. Utut autem hic locus intellegendus est: epistulam a Polycarpo exaratam esse testes locupletissimi affirmant, quibus fidem non habere non possimus.

Irenaeus, Polycarpi discipulus, Eleuthero (174—189) pontifice haec scribit adv. haer. III c. 3, 4: ἔστι δὲ ἐπιστολὴ Πολυκάρπου πρὸς Φιλιππησίους γεγραμμένη ἱκανωτάτη, ἐξ ἧς καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας οἱ βουλόμενοι καὶ φροντίζοντες τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας δύνανται μαθεῖν. Epistulam autem, quam laudat Irenaeus, eandem esse atque eam, quae etiamnunc exstat, ostendit Eusebius capita 9 et 12 fideliter transscribens (h. e. III c. 36, 14—16) ac commemorans, auctorem uti quibusdam testimoniis e priori Petri epistula desumptis (cf. 1, 3; 2, 1. 2; 5, 3; 7, 2; 8, 1; 10, 2). Hieronymus cat. c. 17 epistulam valde utilem declarat testaturque, eam usque ad ipsius tempus in Asiae conventu legi. Photio denique (Bibl. cod. 126) epistula γέμουσα πολλῆς νουθεσίας μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν τῆς ἑρμηνείας τύπον esse videtur, eiusque testimonium prioribus adiungo, quia recentiores epistulam compilationem locorum communium levem et celeberrimo Smyrnaeorum episcopo plane indignam declaraverunt [1]). Scriptura ergo, quae tanti aestimabatur, ut in ecclesiis Asiae publice legeretur, quaeque c. ann. 180 tam late vulgata erat, ut Irenaeus dicere posset, quicumque salutis suae curam gereret, eum et formam fidei Polycarpi et praedicationem veritatis ex ea cognoscere posse, quo iure post medium saeculum secundum confecta esse iudicatur? An verisimile est, ad eam provocasse Irenaeum, qui praeter ceteros haereticos Florinum impugnavit, qui una cum ipso episcopi Smyrnaeorum discipulus fuit et facillime eum aut errare aut mentiri probare poterat, si epistula a magistro non erat scripta? Re-

1) Cf. Schwegler, *Nachapost. Zeitalter* II 154.

vera, si testimonium ab illo prolatum nullius ponderis esse putatur, quale testimonium nobis sufficit?

Quae cum ita sint, plurimi epistulam genuinam esse agnoverunt. Nonnulli autem dubitaverunt, num integra ad nos pervenisset, eamque in favorem epistularum Ignatianarum interpolatam esse contenderunt. Iam Dallaeus, cum scripturae integritatem in dubium quidem vocare, non autem negare auderet, integritatem impugnavit et capita 13 et 14 a posteriore et quidem ab eodem adiecta esse iudicavit, qui epistulas a se confictas Ignatio Antiocheno adscripsisset, quippe quae post epistulae clausulam (12, 2. 3) legerentur ac cum capite IX pugnarent [1]). Nonnulli quidem ei adstipulati sunt, inprimis Le Moyne [2]) et Bunsen [3]). Hefele autem recte opposuit, clausulis ei similibus, quae 12, 3 legitur, ante finem totius epistulae Paulum quoque et Clementem Romanum usum esse (cf. Rom. 15, 33. Eph. 3, 21. I Clem. 20, 12; 32, 4; 38, 4 etc.), capita 9 et 13 vero minime inter se pugnare, cum Polycarpus 13, 2 de circumstantiis mortis Ignatii certior fieri vellet, nequaquam autem eum adhuc inter vivos esse indicaret [4]).

Sagacius nuperrime Ritschl [5]) integritatem in dubium vocavit. Agnovit quidem, argumenta hucusque prolata iam Carolum Hefele refutasse. Cum autem animadvertere sibi visus esset, epistulae unitatem deesse, nonnulla capita vel nonnullos versus inter se male cohaerere atque inter locos suspectos et eam epistularum Ignatianarum partem, quae quidem in recensione breviori, nec vero in recensione syriaca legitur, similitudinem quandam intercedere, plures locos, praesertim ad Ignatium attinentes, ab eodem statuit c. ann. 170 insertos fuisse, qui epistulas episcopi Antiocheni cum corrupisset tum sub illius nomine alias confinxisset, scilicet capita 3, 9 (una cum initio: *in his ergo state*, et fine: *sobrietatem* etc. c. 10), 13,

1) De scriptis Dion. Areop. et Ignatii Ant. p. 427 sqq.
2) Varia Sacra. Lugd. Bat. 1685. I Prolegom.
3) *Ignatius v. A. und seine Zeit* p. 108 sqq.
4) Patr. apost. ed. IV p. LXXX.
5) *Die Entstehung der altkath. Kirche* ed. II 1857 p. 584—600.

14 nec non 11, 2. 3 (*qui ignorant iudicium* etc.), 12, 1 et verba δεξαμένοις — ἐκλελεγμένων in c. 1, 1. At loci allegati, ut infra patebit, non solum cum reliquis epistulae partibus non contendunt, sed potius occasio scribendi deficit, si resecantur. Ritschl Polycarpum lapsu Valentis presbyteri ut scriberet commotum esse putat, et concedendum est, Philippenses in epistula, quam ei miserant, illius mentionem fecisse. Certe autem illa res eos ad scribendum non compulit neque Polycarpus respondisset, si de ea sola certior factus esset. Aut verisimile est, eum de re principali nihil aliud dixisse, quam se contristari pro presbytero infelici? Accedit, quod testimonia veterum omnino prohibent, quominus ad illam sententiam accedamus. Epistula enim teste Irenaeo c. ann. 180 vulgatissima fuit; teste Hieronymo in ecclesiis Asiae praelegebatur, neque erraverimus statuentes, hoc honore eam iam c. medium saeculum II vel brevi post obitum Polycarpi dignam habitam fuisse. Si scriptura autem tanti aestimabatur, haud facile interpolari potuit nec interpolata putanda est, nisi rationibus certis eam corruptam esse probari potest [1]). Denique nec praetermittendum est, in locis qui dicuntur interpolatis aeque ac in reliquis epistulae partibus plura inveniri, quae e Clementis Rom. epistula ad Corinthios desumpta sunt [2]).

III.

Occasio scribendi haec fuit. Philippenses Polycarpum de Ignatio urbem suam transeunte certiores fecerant (cf. 1, 1; 9, 1) eumque rogaverant, ut epistulam ab ipsis ad Antiochenos scriptam in Syriam mitteret (13, 1) atque literas Ignatii, quas haberet, ipsis communicaret (13, 2). Praeterea ab eo quaesiverant, ut ipsos de iustitia christiana instrueret (3, 1), ac denique Valentis presbyteri eiusque uxoris mentionem fecerant, qui avaritia et fornicatione et mendacio ecclesiae magnam offensionem attulisse videtur (11, 1). Polycarpus autem haec respon-

1) Cf. Denzinger: *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1851 p. 399-409. Zahn, *Ignatius v. A.* p. 494-511.

2) Cf. p. XXVIII.

det: sese gaudere, quod eos, qui propter Christum vincula tulerint, bene susceperint et firmam fidem teneant ac frugiferam (1). Domino in veritate serviant et in mandatis eius ambulent, ut ad vitam suscitentur (2). Sese scribere haec non nimiam de se habentem opinionem, sed ab iis provocatum. Ipsorum praeceptorem esse Paulum, cuius epistulae ipsorum fidem perfectam reddere possint, ita ut mandata impleant fugiantque peccata (3), praesertim avaritiam. Armentur igitur armis iustitiae et bonum ipsi faciant et suos doceant (4). Diaconi et iuvenes et virgines in omnibus inculpabiles sint (5). Presbyteri diligenter munere suo fungantur. Omnes virtutem sectentur et falsos fratres et falsam doctrinam fugiant (6—7), sperantes in Iesum Christum, qui pro nobis passus sit nobisque exemplum patientiae proposuerit (8), et ante oculos habentes gloriosos martyres (9). In his ergo stent et Domini exemplar sequantur semper et ubique bonum facientes (10). De Valente vehementer se contristari, quod loci sui adeo immemor fuerit. Abstineant itaque ab avaritia aliisque vitiis et illum eiusque uxorem ad virtutem reducant (11). Plura non esse dicenda, cum in sacris literis bene exercitati sint. Deus ipsos aedificet in fide et ceteris virtutibus. Orent pro omnibus (12). Ipsorum epistulam Antiochenis se aut redditurum aut missurum esse; epistulas Ignatii huic epistulae subiectas esse. De s. martyre si quid compertum habuerint, ipsum certiorem faciant (13), et Crescentem, per quem haec scripserit, eiusque sororem bene suscipiant (14).

IV.

Epistula cum in omnibus codicibus graecis ita cum Barnabae epistula conglutinata sit, ut Polycarpi verba καὶ δι' ἡμᾶς ὑπό (9, 2) Barnabae verba τὸν λαὸν τὸν καινόν (5, 7) excipiant, textus graecus non integer ad nos pervenit. Lacuna quidem versione latina veteri expletur, ac praeterea unum ex quinque capitulis postremis (13) ab Eusebio conservatum est. Nihilominus autem dolendum est, epistulam mutilatam fuisse, eoque magis, quod interpres latinus munere suo tam neglegenter

functus est, ut imaginem textus graeci valde imperfectam tantum exhiberet. Cum corpus pseudoignatianum eodem fere modo translatum sit cumque epistula in omnibus codicibus latinis post epistulas Ignatii vel potius post laudem Heronis illis adiectam et in nonnullis quoque codicibus graecis eodem loco legatur, versio Polycarpi ac Pseudoignatii haud dubie ab uno eodemque confecta est.

Primus versionem latinam una cum epistulis pseudoignatianis prelo subiecit Iac. Faber Stapulensis a. 1498 [1]). Codicem adhibuit probum, sed eius rationem non dedit. Cuius editionem postquam plures secuti sunt, novam paravit I. Usher adhibitis tribus codicibus, scilicet Petavianio (in bibliotheca Alex. Petavii, senatoris Parisiensis, hodie ut videtur Regio 81 in bibliotheca Vaticana), Baliolensi et Magdalenensi (in collegiis Bal. et Magd. Oxoniae) [2]). Codicem Mediceo-Laurentianum Plut. XXIII num. 20 (saec. XV) Iacobson Florentiae [3]), codicem Regium 81 (saec. IX) ac codicem Palatinum 150 (saec. XIV) Dressel [4]) Romae contulit. Codicem Thuaneum, qui aeque ac reliqui Pseudoignatium ac Polycarpum latine continebat, Cotelier in manibus habuit, sed lectiones huius epistulae variantes non notavit [5]).

Textum graecum primus invenit Fr. Turrianus et quia codex Polycarpi et Barnabae epistulas quasi in unam conglutinas exhibuit, prolixiorem epistulam, quam quae hucusque latine edita erat, habere sibi visus est. Primus eum edidit a. 1633 Petrus Halloix [6]) ex apographo exemplaris Turriani a Iacobo Sirmond descripto, collato cum altero sive eiusdem sive

1) Vide p. LV n. 1.

2) Polycarpi et Ignatii epistulae: una cum vetere vulgata interpretatione latina ex trium manuscriptorum codicum collatione integritati suae restituta. Oxoniae 1644.

3) Patr. apost. 1838 I p. V.

4) Patr. apost. 1857 p. LVII sq.

5) Cf. Zahn, Ign. et Polyc. epist. p. XXV—XXIX.

6) Illustrium ecclesiae orient. scriptorum vitae et documenta. Duaci 1633. I 525 530. Hoc opus mihi non praesto fuit. Cf. Zahn l. c. p. XLIII.

simillimi codicis apographo, quod ab Andrea Schott acceperat, idemque codicem non aliam epistulae recensionem quam versionem latinam, sed potius duas epistulas mutilatas continere vidit. Novam editionem instituit a. 1644 Iac. Usher ex apographo exemplaris Schottiani, quod Salmasius descripserat et Is. Voss ipsi communicaverat. Quos secuti sunt praeter editores operum patrum apostolicorum et epistularum Ignatianarum Steph. Le Moyne a. 1685 [1]) et M. I. Routh a. 1823 [2]). Codices denuo inspexerunt Iacobson et Dressel et quidem Vaticanum 859 (saec. XIII) et Mediceo-Laurentianum Plut. VII num. 21 (saec. XV), ille praeterea Parisinum 937, olim Colbertinum (saec. XVI), hic tres Romanos, scilicet Ottobonianum 348 (saec. XIV), Casanatensem G. V. 14 (saec. XV) et Barberinum 7 sive apographum desumptum a Luca Holstenio e codice monasterii s. Sylvestri in Quirinali non superstite. Nostris denique diebus O. de Gebhardt animum ad codicem Borbonicum II. A. 17 (in bibliotheca Neapolitana) advertit et Zahn in sua editione (p. XLIV not. 3) paucas lectiones variantes publicavit. Codices omnes ex uno archetypo fluxisse eo apparet, quod in unoquoque pars epistula posterior deest. Quodsi eos alios cum aliis comparaveris, facile animadvertis, eas in duas familias dividi, quarum unam eamque meliorem efficiunt codices Vaticanus, Ottobonianus, Florentinus, Parisinus, alteram reliqui [3]).

De versionibus epistulae fere idem ac de versionibus epistularum Ignatianarum dicendum est. De doctrina s. Polycarpi scripserunt praesertim Lumper [4]) et Donaldson [5]).

Lectiones variantes non omnes exscripsi, sed eas tantum, quae plurium codicum sunt. Ubi autem unus vel duo tantum codices a reliquis discrepant, ratio mihi non videbatur esse reddenda. Signavi codices Vaticanum = v, Ottobonianum = o, Mediceo-Laurentianum seu Florentinum = f, Parisinum = p,

1) Varia Sacra. Lugd. Bat.
2) Scriptorum ecclesiasticorum opuscula.
3) Cf. Zahn l. c. p. XLIV.
4) Historia theologico-critica. I 351—356.
5) *The Apostolical Fathers* p. 234—246.

Casanatensem = c, Barberinum = b, Borbonicum = bo, Petavianum = pt, Baliolensem = b, Magdalenensem = m, Mediceo-Laurentianum (latinum) = l. Cum Faber, Halloix et Usher aut non aut raro tantum indicent, quid in codicibus invenerint, non codices notavi, sed editiones et usus sum siglis F = Faber, Hx = Halloix, U = Usher, quibus nonnunquam adieci I = Iacobson, D = Dressel, Z = Zahn, ut lectionum illorum virorum rationem redderem.

MARTYRIUM S. POLYCARPI.

Hanc scripturam haud ita multo post mortem s. Polycarpi quidam nomine ecclesiae Smyrnensis exaravit (20, 2), Marcion quidam ad Philomelienses pertulit. Eam non statim post martyrium confectam fuisse ex 20, 1 apparet, ubi Smyrnaei Philomelienses rogasse referunt, ut pluribus ipsis nuntiarentur, quae in beatissimi viri passione gesta essent, indicantes, famam de martyrio iam antea Philomelium pervenisse. Brevi vero et quidem anno primo post mortem eam conscriptam esse ex 18, 2 patet, ubi Smyrnaei anniversarium diem martyrii primum nondum celebratum fuisse produnt.

De anno autem, quo s. martyr passus est, magna controversio exorta est et alii alium statuere. I. Pearson [1]) respiciens Chronographum quendam veterem manuscriptum, de quo I. Voss ipsi retulerat, tradentem, Polycarpum imperante Antonino Pio obiisse, et Mart. c. 20, ubi mortis tempore Statius Quadratus, qui a. 142 consul fuerat, proconsul Asiae fuisse dicitur, martyrium ad annum 147 retulit, putans, consules ex iure ad quinquennium proconsulatum sortitos esse, et Dodwell [2]), Gallandi [3]) et alii ei assensi sunt. Samuel Petit [4]) invenisse

1) Opera posthuma chronologica. Londini 1688 p. 276 sqq.
2) Dissert. IV in Cypr. c. 4.
3) Bibl. vet. Patr. I Proleg. p. XC.
4) Cf. Pearson l. c. p. 288.

sibi visus est, Polycarpum a. 175 coronam martyrii nactum esse. Reliqui mortem ad unum vel alterum annum decennii septimi saeculi secundi retulerunt, e. g. Baratier [1]) ad a. 161, Noris [2]), Tillemont [3]) et Masson [4]) ad a. 166, Valesius [5]) ad a. 167, Baronius (ann. 169, 2) et Usher [6]) ad a. 169. Longum est, rationes diversas enumerare omnes, quibus singuli in constituendo martyrii tempore usi sunt. Sufficit de via nonnulla dicere, quae sola nos ad verum perducere possit.

Proconsulem Statium Quadratum in Martyrio commemoratum eundem esse atque eum, cuius Aristides rhetor in orationibus sacris mentionem facit, iam Valesius vidit et ex oratione IV collata cum Eusebii Chronico eum a. 167 Asiam administrasse conclusit. Masson [7]), qui saeculo XVIII ineunte plura de Aristidis morbo disseruit, proconsulatum illum ad ann. Christi 165 ac 166 pertinere et Polycarpum, cum proconsules a mense Maio usque ad idem tempus anni proximi munere fungerentur, 23. die Februarii a. 166 mortuum esse statuit, et plerique ad eius sententiam accesserunt. Nuperrime vero Gul. H. Waddington [8]) adiutus novis inscriptionibus et cognitione administrationis rei publicae Romanae ampliori demonstravit, eum in errorem haud parvum lapsum et Quadratum undecim annis ante provinciae Asiae praefectum fuisse, Polycarpum autem a. 155 mortem obiisse, quo anno 23. dies Februarii profecto, sicut Mart. 8, 1; 20 traderetur, sabbatum fuisset, et Lipsius [9]) et Gebhardt [10]), qui eidem rei operam navaverunt, ei

1) Disquisitio chronol. de successione antiq. episcop. Rom. 1740 p. 201.
2) Opp. Veron. 1729 II 30.
3) *Mémoires etc. St. Polycarpe* art. 6 sqq.
4) Collectanea historica ad Aristidis vitam in: Dindorf, Aristides III p. LXXXVIII sq.
5) Not. ad Eus. h. e. IV c. 15 ed. Mogunt. 1672 p. 71.
6) Ign. et Polycarpi Martyria 1647 p. 70 not. 105.
7) Collectanea histor. l. c. p. LXXVI et LXXXVIII sq.
8) *Vie du rheteur Aelius Aristide: Mémoires de l'institut impériale de France. Académie de inscript. et belles-lettres* 1867. XXVI 203 sqq. 232 sqq. *Fastes de provinces asiatiques* 1872. I 219 sq.
9) *Zeitschrift f. wiss. Theologie* 1874 p. 188—214.
10) *Zeitschrift f. hist. Theologie* 1875 p. 377—395.

adstipulati sunt, nisi quod probaverunt, referente Aristide dubium esse, num Quadratus anno Chr. 154 et 155 an a. 155 et 156 Asiam administrasset. Hoc quidem recte dixerunt. Consideranti autem, diem 23. mensis Februarii a. 155, diem Polycarpi natalem, sabbatum fuisse [1]), annus 155 anno 156 mihi praestare videtur [2]).

II.

Martyrium iam Eusebius legit et maiorem partem, scilicet praeter inscriptionem et initium eam, in qua exitus s. Polycarpi narratur (c. 8—19, 1), ad verbum, reliquam autem partem vel eam, in qua alia martyria et comprehensio s. episcopi describuntur (c. 1—7), summatim historiae ecclesiasticae IV c. 15, 3—45 inseruit. Quae cum ita sint, non est dubium, quin ea Acta, quae etiamnunc habemus, manu versaverit, nec nisi paucissimi idque tempore recentissimo eorum authentiam aut, si nonnullas lacinias exceperis, quae iam antea nonnullis insertae esse videbantur, integritatem denegaverunt. E. Schürer [3]) verba ὄντος σαββάτου μεγάλου 8, 1; 16, 2, οὕτως τε ἡμεῖς κτλ. 18, 1, 2 et τοιαῦτα — λαλεῖσθαι 19, 1 a posteriore adiecta esse censuit. Th. Keim [4]) authentiam totius scripturae in dubium vocavit, et Lipsius [5]) iis offensus, quae 5, 2 de visione Polycarpi, 9, 1 de voce caelesti, 15, 2 de igne s. martyrem non tangente ac de suavi odore, 16, 1 de columba refertur, quae

1) De methodo diei hebdomadis saeculorum praeteritorum computandi cf. Ideler, *Handbuch der Chronologie* 1826 II 185—189.

2) Computationem Waddingtonianam fere omnes rectam putaverunt. Inter paucos illos viros, qui oblocuti sunt, C. Wieseler (*Die Christenverfolgungen der Caesaren* 1878 p. 34—86; cf. *Der Beweis des Glaubens* XIV 1878 p. 270 sq.) nominandus est, qui nuperrime computationem Massonianam defendit et Polycarpi martyrium ad diem sextum mensis Aprilis anni 166 retulit. Obiectiones praecipuas, quas contra illam computationem protulit, iam refutavit R. Lipsius in: *Jahrbücher für protestantische Theologie* 1878 p. 751—768.

3) *Zeitschrift f. d. histor. Theologie* 1870 p. 202—204.

4) *Celsus' Wahres Wort* 1873 p. 145.

5) *Zeitschrift f. wissenschaftl. Theol.* 1874 p. 199 sq.

secundum codices de corpore morientis processit, Martyrium ad tempus Decii imperatoris retulit. Sed argumenta, quae protulerunt viri illi, nihil probant (cf. adnotationes ad l. c.), et id solum quaeri potest, num duo capita ultima genuina sint. C. Hefele [1]) ultimam epistulae partem, quae de Pionio loquitur (22, 3), spuriam esse censuit et ab illo confectam, qui, ut ex καθὼς δηλώσω κτλ. appareret, Acta s. Polycarpi suppositicia Pionio false adscripta epistulae Smyrnaeorum genuinae mala fraude adiunxisset. G. E. Steitz [2]) et Th. Zahn [3]) duo capita ultima additamentum posterius declaraverunt, quippe quae non essent epistula, sed nota quasi chronographi, et hic inprimis dixit, fore ut Smyrnaei, si omnino animum induxissent, aliis ecclesiis diem Polycarpi natalem sedulo indicare, eo sane loco de hac re dixissent, ubi huius diei ab ipsis celebrandi mentionem fecerunt (18, 2); ac proconsulis nomen, quo opus non fuisset eodem quo res gestae essent anno narrantibus et in Asia degentibus, non in appendice tandem postscripta memorassent, postquam octies in epistula omisissent (3, 1; 4; 9, 2. 3; 10, 2; 11, 1; 12, 1; 17, 2). Cum Chronici paschalis auctor, qui pauca e Polycarpi Martyrio exscripsisset, caput 21 non neglexisset, non verisimile esse, Eusebium, temporum exploratorem non minus curiosum, qui h. e. IV c. 15, 1. 46 de tempore huius martyrii satis ignarum se ostenderet nec certi quid se scire simularet, in Chronico martyrium false ad annum septimum imperii M. Aurelii referret, hanc ansam non accepturum fuisse, si quis ipsi talem praebuisset. Sequi quidem 22, 1, quae ad epistulam pertinere viderentur; sed codicis praestantissimi consensum cum versione latina, a quibus absunt, demonstrare, post Pionii illius tempora illa adiecta esse, qui 22, 3 praecedentia se descripsisse diceret, vel etiam Socratis, quem paulo ante Pionius eadem profitentem faceret. A Pionii enim recensione omnes huius Martyrii codices graecos nec non versionem latinam pendere. Eum autem in finem vota illa,

1) Patr. ap. ed. IV p. LXXXIV.
2) *Iahrbücher für deutsche Theologie* 1861 p. 126—133.
3) Ign. et Polyc. epist. Martyria p. XLIX sq.

epistulae sonum iam exstinctum resuscitantia, inserta esse, ut ea quoque, quae in c. 21 legerentur, epistulae Smyrnaeorum per Caium, Socratem, Pionium fideliter descriptae pars esse viderentur.

Concedo, capita illa non ab auctore Martyrii ipso profecta esse, nec verisimile puto id, quod Hilgenfeld [1]) statuisse videtur, caput 21 epistulae exaratae quidem, nondum autem Philomelium missae a Smyrnaeis adiectum esse. Eusebius enim hoc caput non legisse videtur neque erat, cur tempus martyrii Philomeliensibus indicaretur, quos illud iam cognitum habuisse ex epistula satis clare elucet. Sed errasse mihi videtur Zahn statuens, Pionium 22, 2 addidisse, ut successionem quandam a Polycarpo ad se descendentem fingeret (cf. not. ad h. l.). Equidem hanc particulam Socrati Corinthio adiudicaverim, qui Martyrium ex exemplari Caii se descripsisse profitetur, quia non est verisimile, falsarium de Caio dicentem persona tertia (ταῦτα μετεγράψατο μὲν Γάϊος) usum esse, Socratem autem eodem momento ipsum loquentem (ἐγὼ δὲ Σωκράτης . . ἔγραψα) fecisse. Si autem Caius, ut mihi videtur, teste Socrate Martyrium re vera ex Irenaei exemplari descripsit, conicere licet, caput 21 ab Irenaeo aut ab illo adiectum esse, qui epistulam ipsi transmisit. Idem mihi 22, 1 addidisse videtur idque, ut Irenaeum et fratres, quibus epistulam dedit, salutaret. Non obstat, quod particula in codice Mosquensi et versione latina deest. Cum enim verba similia et paulo ante et paulo post legantur, librario vel interpreti facile in mentem venire potuit, ea tamquam superflua omittere. Finis denique capitis (22, 3) haud dubie Pionii est idque, ut Hefele et Zahn recte ex verbis καθὼς δηλώσω ἐν τῷ καθεξῆς concluserunt, exordium libri novi vel Vitae Polycarpi a Pionio conscriptae [2]). Quis hic fuerit ignoramus. Eum autem non ante saeculum quartum vixisse tum ex Vita Polycarpi modo laudata apparet, tum ipse prodit dicens, codicem Socratis Corinthii, qui circa medium saeculum

1) *Zeitschrift f. wiss. Theologie* 1874 p. 333.

2) Cf. Act. SS. Ian. II 695—702, ubi haec Vita e veteri codice graeco in sermonem latinum translata legitur.

tertium vixisse videtur, longitudine temporis paene corrosum fuisse, cum eum manifestante Polycarpo inveniret [1]).

III.

Martyrium Polycarpi inter recentiores primus invenit H. Rosweid et codicem, quem nactus est, descripsit. Cuius apographo et altero codice adhibito P. Halloix Vitam Polycarpi conscripsit, I. Bolland [2]) apographum totum accuratissime in linguam latinam transtulit. Textum graecum e codice Barocciano Oxoniensis academiae primus I. Usher [3]) edidit, eumque secuti sunt I. Cotelier, Th. Ittig, Th. Smith. Hic in ima pagina opposuit eas codicis Vindobonensis (hist. graec. eccles. num. 3) lectiones, quas Lambecius publici iuris fecerat, et totum hunc codicem contulit Iacobson. Idem inspexit codicem Parisinum (num. 1452), olim Mediceum, eundem, quem descripserat Rosweid. Quartum denique codicem in bibliotheca Mosquensi (num. 159) nuperrime contulit O. de Gebhardt [4]) et Th. Zahn ad textum recensendum adhibuit.

Versionem veterem latinam primus edidit I. Bolland [5]) e tribus codicibus, brevi post I. Usher e duobus aliis, et hunc secuti sunt Ruinart, Smith et Iacobson. Ruinart etiam duos codices nondum collatos inspexit et in bibliotheca Carmelitarum excalceatorum Parisiensium aliam versionem vidit, quae non publicata est [6]). Editionem emendatissimam paravit Th. Zahn. Versio autem ad textum graecum restituendum parum valet. Interpres enim, nisi forte aliam textus recensionem habuit, liberrime vertit, modo omittens, modo addens, et saepe magis metaphrasin quam versionem exhibens [7]).

1) Cf. Zahn l. c. p. L. Act. SS. Ian. II 692 n. 12. 13.

2) Act. SS. Ian. II 702—705.

3) Ign. et Polycarpi Mart. Londini 1647.

4) Cf. *Zeitschrift f. d. historische Theologie* 1875 p. 354—370.

5) Act. SS. Ian. II 705—707. De codicibus cf. p. 692 n. 10. p. 705 not. a.

6) Acta ed. Galura I 73 not. 23. Disputavit de usu Martyrii apud Latinos Ad. Harnack, *Die Zeit des Ignatius* 1878 p. 77—90.

4) Cf. ad hanc sectionem Zahn l. c. LII sqq.

Inter codices graecos novissime collatus est optimus, codex Mosquensis, idemque propius ad Eusebii recensionem accedens ostendit, textum a patre historiae ecclesiasticae exhibitum praestantissimum esse. Quamobrem Zahn in textu recensendo hanc rationem secutus est, ut quod ab Eusebio una cum uno vel altero codice graeco traditum invenit, reliquorum lectionibus plerumque praeferret. Eandem viam ego quoque ingressus sum. Sed aliquoties alia lectio mihi recipienda esse videbatur. Lectionum varietates notavi, ubi duo testes concinnunt. Ubi autem unus a ceteris discrepat, eius lectionem non exscripsi, nisi forte maioris momenti est, et praesertim de additamentis, quibus codex Vindobonensis scatet, rationem non reddidi.

Signavi quatuor codices graecos = G, cod. Mosquensem = m, cod. Baroccianum = b, cod. Parisinum = p, cod. Vindobonensem = v, Eusebium = E, versionem latinam = L, Zahn = Z.

EPISTULA AD DIOGNETUM.

I.

Haec scriptura praestantissima neque Eusebio neque Hieronymo neque Photio nota fuit neque ab alio veterum memoratur. In codice, in quo ad nos pervenit, s. Iustino philosopho et martyri attribuitur, et editores priores omnibus assentientibus verbis codicis fidem habuerunt. Tillemont [1]) vel potius Anonymus quidam, cuius sententiam proposuit, primus aliter iudicavit. Cum enim animadverteret, auctorem stilo uti longe clariore et pulcriore quam Iustinum ac vocare et sese discipulum apostolorum (11, 1) et religionem christianam plane novam (c. 1), cumque denique e c. 3 et 4 apparere putaret, cultum iudaicum adhuc viguisse, epistulam Iustino abiudicandam esse censuit, et plerique ei adstipulati sunt. De tempore autem, quo confecta esset, alii aliud statuere. Tillemont ipse ex

1) *Mémoires* etc. *Persécution* de *Néron* not. 1.

locis laudatis colligere voluit, epistulam ante Hierosolymam deletam exaratam esse, et idem fere senserunt Baratier [1]) ac Gallandi [2]), qui epistulam insuper alter Clementi Romano, alter illi Apollo adscripserunt, cuius mentio fit Act. 18, 24—28 et I Cor. 1, 12. G. Böhl [3]) epistulae tempora ad apostolorum aetatem prope accessisse opinatus est. I. A. Möhler [4]), cui praeter alios adstipulati sunt Hefele [5]), Permaneder [6]), Alzog [7]), respiciens ea, quae de Christianorum persecutione dicta sunt (1; 6, 9; 7, 7. 8) eam ad aetatem Traiani retulit. Grossheim [8]), Tzschirner [9]), Semisch [10]) et alii eam non a Iustino quidem, sed Iustini tempore conscriptam esse censuerunt, ac similiter iudicavit Bunsen [11]) contendens, eam ex primis libellis esse, quos confecisset Marcion. Ed. Zeller [12]) eam ultimis saeculi secundi decenniis exortam esse putavit. Neque vero defuere, qui sententiam priorem defenderent et epistulam Iustino vindicarent, e. g. Remigius Ceillier [13]), Hoffmann [14]), Otto [15]). Alii, quorum ex numero sunt Grabe [16]) et Prudentius Maran [17]), rem

1) Disquisit. chronol. de success. antiq. episcoporum Rom. 1740 p. 76 sq.

2) Bibl. vel. Patrum I Proleg. p. LXX.

3) Opusc. patrum selecta 1826 I 113.

4) *Tüb. Theol. Quartalschrift* 1825 p. 444 sqq. *Gesammelte Schriften und Aufsätze* 1839 I 19—31. *Patrologie* 1840 p. 165 sq.

5) Patr. apost. ed. IV p. LXXXVI sqq.

6) Patrologia specialis 1842 p. 53 sq.

7) *Handbuch der Patrologie* ed. III 1876 p. 58.

8) De epistula ad Diogn. quae fertur Iustini M. 1818.

9) *Der Fall des Heidenthums* 1829 I 217 sq.

10) *Iustin der Martyrer* 1840 I 186.

11) *Ignatius v. A. und seine Zeit* 1847 p. 244. *Hippolyt und seine Zeit* 1852 I 138 sq.

12) *Tüb. Theol. Iahrbücher* 1845 p. 619 sq.

13) *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclés.* II 39 sq.

14) *Iustinus des Märt. Brief an Diognetus* 1851 p. 1—9.

15) De epistola ad Diognetum 1844. Epistola ad Diognetum ed. II 1852 p. 11 sqq.

16) Spicilegium patrum saec. II 1700 p. 165 sq.

17) Iustini opp. 1742 p. LXXIV sq.

in medio reliquerunt. Lardner [1]) id tantum asserere voluit, epistulam ante Constantinum M. confectam esse, et I. Fessler [2]) contendit, indicia scripturae interna primum vel secundum ecclesiae saeculum innuere.

Cum viri hucusque memorati unanimes sentirent, epistulam eo tempore, quo scripta esse vult, i. e. tempore persecutionis religionis christianae exortam esse, nuperrime alia sententia proposita est. Cum scriptura in uno tantum codice ad nos pervenisset, Donaldson [3]) suspicatus est, Henricum Stephanum primum editorem vel, id quod verisimilius esset, nonnullos e Graecis, qui (saec. XV) in Europam transmigraverunt, eam confecisse idque ut librum more veterum conscriberent, neque vero ut eam Iustino supponerent. Simile iudicium Franc. Overbeck [4]) fecit et ex epistula probare conatus est. Putavit enim, scripturam ad saeculum secundum vel ad aetatem apologetarum christianorum plane non quadrare. Neminem patrum tam arroganter de Gentilibus et Iudaeis iudicasse, et praesertim argumentum deesse, quod patres ex effatis prophetarum pro Christianismo protulerunt. Quae in c. 5 de Christianis dicta essent, ea ad saeculum secundum vel tertium non posse referri. Fideles tunc temporis ad hoc saeculum non tam prope accessisse quam auctor diceret, neque verum esse, illorum mores non alios fuisse ac mores reliquorum hominum. Sed vix uni vel alteri rem ita se habere persuasisse videtur. Plures sententiam priorem defenderunt et id solum concesserunt, epistulam non multo ante finem saeculi secundi scriptam esse. Keim [5]) eam refert ad tempus M. Aurelii et quidem ad finem imperii vel ad annos 178—180 putans, auctorem 7, 4 alludere ad imperatorem Commodum filium in regnum assumentem; Lipsius [6]) ad tempus,

1) *Glaubwürdigkeit der evang. Geschichte.* Berol. et Lips. 1750 I. II 204 sq.

2) Institutiones Patrologiae 1850 I 193 sq. Alia iudicia exhibet Otto l. c.

3) *A critical history of christian literature* etc. 1866 II 126 sq.

4) *Ueber den pseudoiustinischen Brief an Diognet* 1872. *Studien zur Geschichte der alten Kirche* 1875 I 1—92.

5) *Protestantische Kirchenzeitung* 1873 N. 13 et 14.

6) *Literarisches Centralblatt* 1873 N. 40.

secundum codices de corpore morientis processit, Martyrium ad tempus Decii imperatoris retulit. Sed argumenta, quae protulerunt viri illi, nihil probant (cf. adnotationes ad l. c.), et id solum quaeri potest, num duo capita ultima genuina sint. C. Hefele [1]) ultimam epistulae partem, quae de Pionio loquitur (22, 3), spuriam esse censuit et ab illo confectam, qui, ut ex καθὼς δηλώσω κτλ. appareret, Acta s. Polycarpi suppositicia Pionio false adscripta epistulae Smyrnaeorum genuinae mala fraude adiunxisset. G. E. Steitz [2]) et Th. Zahn [3]) duo capita ultima additamentum posterius declaraverunt, quippe quae non essent epistula, sed nota quasi chronographi, et hic inprimis dixit, fore ut Smyrnaei, si omnino animum induxissent, aliis ecclesiis diem Polycarpi natalem sedulo indicare, eo sane loco de hac re dixissent, ubi huius diei ab ipsis celebrandi mentionem fecerunt (18, 2); ac proconsulis nomen, quo opus non fuisset eodem quo res gestae essent anno narrantibus et in Asia degentibus, non in appendice tandem postscripta memorassent, postquam octies in epistula omisissent (3, 1; 4; 9, 2. 3; 10, 2; 11, 1; 12, 1; 17, 2). Cum Chronici paschalis auctor, qui pauca e Polycarpi Martyrio exscripsisset, caput 21 non neglexisset, non verisimile esse, Eusebium, temporum exploratorem non minus curiosum, qui h. e. IV c. 15, 1. 46 de tempore huius martyrii satis ignarum se ostenderet nec certi quid se scire simularet, in Chronico martyrium false ad annum septimum imperii M. Aurelii referret, hanc ansam non accepturum fuisse, si quis ipsi talem praebuisset. Sequi quidem 22, 1, quae ad epistulam pertinere viderentur; sed codicis praestantissimi consensum cum versione latina, a quibus absunt, demonstrare, post Pionii illius tempora illa adiecta esse, qui 22, 3 praecedentia se descripsisse diceret, vel etiam Socratis, quem paulo ante Pionius eadem profitentem faceret. A Pionii enim recensione omnes huius Martyrii codices graecos nec non versionem latinam pendere. Eum autem in finem vota illa,

1) Patr. ap. ed. IV p. LXXXIV.
2) *Iahrbücher für deutsche Theologie* 1861 p. 126—133.
3) Ign. et Polyc. epist. Martyria p. XLIX sq.

epistulae sonum iam exstinctum resuscitantia, inserta esse, ut ea quoque, quae in c. 21 legerentur, epistulae Smyrnaeorum per Caium, Socratem, Pionium fideliter descriptae pars esse viderentur.

Concedo, capita illa non ab auctore Martyrii ipso profecta esse, nec verisimile puto id, quod Hilgenfeld [1]) statuisse videtur, caput 21 epistulae exaratae quidem, nondum autem Philomelium missae a Smyrnaeis adiectum esse. Eusebius enim hoc caput non legisse videtur neque erat, cur tempus martyrii Philomeliensibus indicaretur, quos illud iam cognitum habuisse ex epistula satis clare elucet. Sed errasse mihi videtur Zahn statuens, Pionium 22, 2 addidisse, ut successionem quandam a Polycarpo ad se descendentem fingeret (cf. not. ad h. l.). Equidem hanc particulam Socrati Corinthio adiudicaverim, qui Martyrium ex exemplari Caii se descripsisse profitetur, quia non est verisimile, falsarium de Caio dicentem persona tertia (ταῦτα μετεγράψατο μὲν Γάϊος) usum esse, Socratem autem eodem momento ipsum loquentem (ἐγὼ δὲ Σωκράτης . . ἔγραψα) fecisse. Si autem Caius, ut mihi videtur, teste Socrate Martyrium re vera ex Irenaei exemplari descripsit, conicere licet, caput 21 ab Irenaeo aut ab illo adiectum esse, qui epistulam ipsi transmisit. Idem mihi 22, 1 addidisse videtur idque, ut Irenaeum et fratres, quibus epistulam dedit, salutaret. Non obstat, quod particula in codice Mosquensi et versione latina deest. Cum enim verba similia et paulo ante et paulo post legantur, librario vel interpreti facile in mentem venire potuit, ea tamquam superflua omittere. Finis denique capitis (22, 3) haud dubie Pionii est idque, ut Hefele et Zahn recte ex verbis καθὼς δηλώσω ἐν τῷ καθεξῆς concluserunt, exordium libri novi vel Vitae Polycarpi a Pionio conscriptae [2]). Quis hic fuerit ignoramus. Eum autem non ante saeculum quartum vixisse tum ex Vita Polycarpi modo laudata apparet, tum ipse prodit dicens, codicem Socratis Corinthii, qui circa medium saeculum

1) *Zeitschrift f. wiss. Theologie* 1874 p. 333.

2) Cf. Act. SS. Ian. II 695—702, ubi haec Vita e veteri codice graeco in sermonem latinum translata legitur.

tertium vixisse videtur, longitudine temporis paene corrosum fuisse, cum eum manifestante Polycarpo inveniret [1]).

III.

Martyrium Polycarpi inter recentiores primus invenit H. Rosweid et codicem, quem nactus est, descripsit. Cuius apographo et altero codice adhibito P. Halloix Vitam Polycarpi conscripsit, I. Bolland [2]) apographum totum accuratissime in linguam latinam transtulit. Textum graecum e codice Barocciano Oxoniensis academiae primus I. Usher [3]) edidit, eumque secuti sunt I. Cotelier, Th. Ittig, Th. Smith. Hic in ima pagina opposuit eas codicis Vindobonensis (hist. graec. eccles. num. 3) lectiones, quas Lambecius publici iuris fecerat, et totum hunc codicem contulit Iacobson. Idem inspexit codicem Parisinum (num. 1452), olim Mediceum, eundem, quem descripserat Rosweid. Quartum denique codicem in bibliotheca Mosquensi (num. 159) nuperrime contulit O. de Gebhardt [4]) et Th. Zahn ad textum recensendum adhibuit.

Versionem veterem latinam primus edidit I. Bolland [5]) e tribus codicibus, brevi post I. Usher e duobus aliis, et hunc secuti sunt Ruinart, Smith et Iacobson. Ruinart etiam duos codices nondum collatos inspexit et in bibliotheca Carmelitarum excalceatorum Parisiensium aliam versionem vidit, quae non publicata est [6]). Editionem emendatissimam paravit Th. Zahn. Versio autem ad textum graecum restituendum parum valet. Interpres enim, nisi forte aliam textus recensionem habuit, liberrime vertit, modo omittens, modo addens, et saepe magis metaphrasin quam versionem exhibens [7]).

1) Cf. Zahn l. c. p. L. Act. SS. Ian. II 692 n. 12. 13.

2) Act. SS. Ian. II 702—705.

3) Ign. et Polycarpi Mart. Londini 1647.

4) Cf. *Zeitschrift f. d. historische Theologie* 1875 p. 354—370.

5) Act. SS. Ian. II 705—707. De codicibus cf. p. 692 n. 10. p. 705 not. a.

6) Acta ed. Galura I 73 not. 23. Disputavit de usu Martyrii apud Latinos Ad. Harnack, *Die Zeit des Ignatius* 1878 p. 77—90.

4) Cf. ad hanc sectionem Zahn l. c. LII sqq.

Inter codices graecos novissime collatus est optimus, codex Mosquensis, idemque propius ad Eusebii recensionem accedens ostendit, textum a patre historiae ecclesiasticae exhibitum praestantissimum esse. Quamobrem Zahn in textu recensendo hanc rationem secutus est, ut quod ab Eusebio una cum uno vel altero codice graeco traditum invenit, reliquorum lectionibus plerumque praeferret. Eandem viam ego quoque ingressus sum. Sed aliquoties alia lectio mihi recipienda esse videbatur. Lectionum varietates notavi, ubi duo testes concinnunt. Ubi autem unus a ceteris discrepat, eius lectionem non exscripsi, nisi forte maioris momenti est, et praesertim de additamentis, quibus codex Vindobonensis scatet, rationem non reddidi.

Signavi quatuor codices graecos = G, cod. Mosquensem = m, cod. Baroccianum = b, cod. Parisinum = p, cod. Vindobonensem = v, Eusebium = E, versionem latinam = L, Zahn = Z.

EPISTULA AD DIOGNETUM.

I.

Haec scriptura praestantissima neque Eusebio neque Hieronymo neque Photio nota fuit neque ab alio veterum memoratur. In codice, in quo ad nos pervenit, s. Iustino philosopho et martyri attribuitur, et editores priores omnibus assentientibus verbis codicis fidem habuerunt. Tillemont [1]) vel potius Anonymus quidam, cuius sententiam proposuit, primus aliter indicavit. Cum enim animadverteret, auctorem stilo uti longe clariore et pulcriore quam Iustinum ac vocare et sese discipulum apostolorum (11, 1) et religionem christianam plane novam (c. 1), cumque denique e c. 3 et 4 apparere putaret, cultum iudaicum adhuc viguisse, epistulam Iustino abiudicandam esse censuit, et plerique ei adstipulati sunt. De tempore autem, quo confecta esset, alii aliud statuere. Tillemont ipse ex

1) *Mémoires* etc. *Persécution* de *Néron* not. 1.

iam recte edocti ad altiora provehi studeant [1]). Porro si quae 8, 6 de fide dicta sunt, cum iis comparaveris, quae in c. 12 de cognitione seu γνώσει sunt disputata, sententias inter sese non esse consentaneas facile perspicies. Neque praetermittendum est, auctorem partis prioris longioris nullum S. Scripturae locum diserte allegare, auctorem vero partis posterioris brevioris 12, 5 apostolum sive Paulum loquentem facere. Denique nec codex capita ultima ab auctore capitum priorum profecta esse testis est locuples. Decimo enim capite finito lacunam habuit, et cum res ita se habeant, recte ac iure capita 11 et 12 subditicia esse statuere licet.

Nuperrime ex his capitibus Lipsius [2]) concludere voluit, scripturam non apologeticam, sed catecheticam esse, et ad hanc sententiam pervenisse videtur, ut omnem de antiquitate epistulae dubitationem tolleret. Sed in eo erravit, quod rationes, quae contra authentiam capitum 11 et 12 iure proferuntur, non refutavit. Priusquam enim quis partem illam posteriorem genuinam esse probavit, ex ea characterem scripturae definire non licet.

III.

Typis epistulam primus expressit Henricus Stephanus a. 1592 [3]), et ab eius editione per longum tempus editores sequentes pependerunt, scilicet Frid. Sylburg [4]), Fed. Morel [5]),

1) Böhl, Opuscula patr. selecta I 116.

2) *Ienaer Literaturzeitung* 1877 p. 22.

3) Ἰουστίνου τοῦ φιλοσόφου καὶ μάρτυρος Ἐπιστολὴ πρὸς Διόγνητον, καὶ λόγος πρὸς Ἕλληνας. Iustini philosophi et martyris Epist. ad Diognetum et Oratio ad Graecos, nunc primum luce et Latinitate donatae ab Henr. Stephano. Eiusdem H. Stephani annotationibus additum est Io. Iacobi Beureri de quorundam locorum partim interpretatione partim emendatione iudicium. Tatiani, discipuli Iustini, quaedam. Excudebat H. Stephanus Anno M. D. XCII. Parisiis.

4) S. Iustini phil. et mart. opera. Heidelbergae 1593.

5) S. Iustini phil. et mart. opera. Parisiis 1615, denuo 1636 et Coloniae 1686.

Prudentius Maran [1], A. Gallandi [2], Fr. Oberthür [3], Herm. Olshausen [4], Georgius Böhl [5], C. I. Hefele, Alg. Grenfell, I. P. Migne [6]. Codicis, quem exscripsit, Stephanus non reddidit rationem. Sed vix dubium est, eum eundem fuisse, qui teste inscriptione quondam Ioannis Reuchlin fuit, postea in Maurimonasterium in Alsatia superiori situm, denique in urbanam Argentorati bibliothecam pervenit. Editionem emendatiorem a. 1843 paravit I. C. Th. Otto [7], postquam Ed. Kunitz [8] in ipsius usum codicem (saec. XIII) diligenter contulit, eumque secuti sunt Hefele in editionibus recentioribus, Hoffmann [9], Hollenberg [10], Bunsen [11], G. B. Lindner [12], Max. Krenkel [13], H. Hurter [14], Gebhardt et Harnack [15].

Capita 11 et 12 insuper ediderunt Bunsen [16] et Credner [17], et bene de textu emendando meritus est Lachmann, cuius coniecturae vulgatae sunt in editione Bunseniana.

Codex a. 1870 flammis absumptus est, et apographon quoque, quod brevi post Henr. Stephanum I. I. Beurer Friburgensis

1) S. Iustini opera etc. ed. opera et studio unius ex Monachis Congregationis S. Mauri. Parisiis 1742, denuo Venetiis 1746.

2) Bibl. vet. Patr. Venet. 1765.

3) Opera patrum graecorum. Vol. III. Wirceburgi 1777.

4) Historiae eccles. veteris monumenta praecipua. Vol. I. P. II. Berolini 1822.

5) Opuscula patr. selecta. P. I. Berolini 1826.

6) Patrologia graeca 1857 II 1167—1186.

7) S. Iustini phil. et mart. opera. Tom. II. Ienae 1843. Corp. Apologetarum christ. saec. sec. Vol. III 1849. Epist. ad Diogn. Iustini phil. et mart. nomen prae se ferens. 1852. Ed. II.

8) Descriptionem codicis exhibet Otto in suis editionibus.

9) *Iustinus des Märtyrers Brief an Diognetus, griechisch und deutsch.* Neissae 1851.

10) *Der Brief an Diognet.* Berolini 1853.

11) Analecta Ante-Nicaena. Vol. I. Londini 1854.

12) Bibl. patr. eccles. selectissima. Vol. I. Lipsiae 1857.

13) Epist. ad Diognetum. Lipsiae 1860.

14) Opuscula SS. Patrum selecta. Vol. XV. Oeniponti 1871.

15) Patrum apost. opera. Fasc. I. Lipsiae 1875. Ed. II 1878.

16) *Hippolytus und seine Zeit.* 1852. I 139—142.

17) *Geschichte des neutestam. Kanon* ed. Volkmar 1860 p. 58—66.

desumpserat et cuius lectiones Stephanus in appendice suae editionis adnotaverat, deperditum esse videtur, cum hucusque non fuerit repertum. Apographon autem Henrici Stephani in bibliotheca academica Lugduni Batavorum exstat et nuperrime ab Oscaro de Gebhardt collatum est.

In sermonem latinum epistulam transtulit Henr. Stephanus eiusque versionem posteriores, inprimis Maran et Otto, emendaverunt. Ego versionem illam emendatam recepi ac paucis locis castigavi. Nomina virorum, qui eam una cum (reliquis?) patrum apostolicorum operibus in linguas recentiores transtulerunt, supra p. XVI memorata sunt. Praeterea eam verterunt in sermonem germanicum I. M. Sailer [1], Hoffmann [2], Anonymi duo [3]; in sermonem anglicum vir quidam, qui literis B. H. C. nomen aliis prodidit aliis occultavit [4], et Bunsen [5]; in sermonem gallicum P. le Gras [6].

Dissertationum notabilissimarum iam hucusque mentio facta est. Alias inde ab anno 1825 usque ad annum 1877 evulgatas enumeravit Harnack [7]. De epistulae doctrina imprimis disputaverunt Lumper [8], Möhler [9], Otto [10], Overbeck [11].

Sigla, quibus in hac sectione usus sum, haec sunt: cod = codex unicus seu Argentoratensis secundum collationem Eduardi Kunitz; St = Stephanus (editio); B = Beurer (apographon); L = Lachmann.

1) *Briefe aus allen Iahrhunderten der christlichen Zeitrechnung.* Fasc. I. Monaci 1800.

2) Cf. p. CVII not. 9.

3) *Sämmtliche Werke der Kirchenväter.* Vol. I. Campiduni 1830. *Protestantische Kirchenzeitung* 1872 N. 15.

4) *The Journal of sacred literature. New Series.* Vol. II. Londini 1852.

5) *Hippolytus and his age.* Lond. 1854.

6) *Epitre a Diognet, attribuée à S. Iustin* etc. Parisiis 1725.

7) l. c. ed. II p. 153 sq.

8) Historia theologica-critica etc. I 193—201.

9) *Patrologie* p. 170—174.

10) De epist. ad Diognetum 1844 p. 16—48. Epist. ad Diognetum ed. II p. 15—44.

11) Cf. supra p. CI not. 4.

HERMAE PASTOR.

I.

Auctor libri, qui inscribitur Pastor, ipse nomen Hermae sibi attribuit (cf. Vis. I c. 1, 4; c. 2, 2; c. 4, 3; II c. 2, 2 etc.), et Origenes, qui scripturam saepissime laudat (cf. adnotationes ad Vis. I c. 1, 6; II c. 4, 3; III c. 2, 6. Mand. I, 1; II, 3; VI c. 2, 1; XII c. 5, 3. Sim. II, 1; III; VI c. 3, 2; c. 4, 4; VIII c. 2, 1; c. 3, 3; IX c. 15), eum eundem fuisse cum illo conicit, qui a Paulo apostolo Rom. 16, 14 salutatur. Dicit enim in ep. ad Rom. comment. X c. 31 (ed. Bened. IV 683): *Puto tamen, quod Hermas iste sit scriptor libelli illius, qui Pastor appellatur, quae scriptura valde mihi utilis videtur et ut puto divinitus inspirata.* Etiamsi autem primus Hermam Pastoris auctorem aequalem apostolorum nominavit, iam Irenaeus et Clemens Alexandrinus eiusdem sententiae fuisse videntur. Ille enim laudans Mand. I, 1 (adv. haer. IV c. 30, 2 ed. Stieren, cf. Eus. h. e. V c. 8, 7) librum γραφήν i. e. scripturam sacram appellat; hic librum saepius quasi scripturam divinam [1]) allegat (cf. adnot. ad Vis. II c. 1, 3; III c. 3, 4; c. 4, 3; c. 8, 3; V, 5. Mand. IV c. 2, 2; c. 3, 2; V c. 1, 6; VII, 2—4; XI, 3. Sim. IX c. 15, 4; c. 16, 5), id quod vix fecissent, si auctorem non habuissent virum apostolicum. Tertullianus quoque catholicus Pastorem *scripturam* nominat. Dicit enim contra illos, qui ad eum provocantes (cf. Vis. V, 1) transacta oratione sedere solebant: *Alioquin nusquam erit adorandum, nisi ubi fuerit lectus; immo contra scripturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit* (de orat. c. 16), et apparet, in ecclesiis saeculi secundi exeuntis librum maximi aestimatum, in

1) Animadverte praesertim Strom. I c. 29, 181 p. 426: θείως τοίνυν ἡ δύναμις ἡ τῷ Ἑρμᾷ κατὰ ἀποκάλυψιν λαλοῦσα τὰ ὁράματά φησι καὶ τὰ ἀποκαλύμματα διὰ τοὺς διψύχους κτλ. (Vis. III c. 4, 3). Strom. II c. 1, 3 p. 430: φησὶ γὰρ ἐν τῷ ὁράματι τῷ Ἑρμᾷ ἡ δύναμις ἡ φανεῖσα· ὃ ἐὰν ἐνδέχηται κτλ. (Vis. III c. 3, 4). Strom. VI c. 15, 131 p. 806: ἦ γὰρ οὐχὶ καὶ ἐν τῇ ὁράσει τῷ Ἑρμᾷ ἡ δύναμις ἐν τῷ τύπῳ τῆς ἐκκλησίας φανεῖσα ἔδωκεν τὸ βιβλίον εἰς μεταγραφὴν κτλ. (Vis. II c. 1, 3).

nonnullis saltem inter Sacras Scripturas recensitum vel potius Scripturis prophetarum et apostolorum instar epistularum Barnabae et Clementis Romani quasi appendicem adiectum fuisse. Auctor Fragmenti Muratoriani, qui c. ann. 180 Romae vel haud procul ab urbe [1]) scripsisse videtur, disertis verbis Pastorem in ecclesia legi quidem vult, nequaquam autem scripturis canonicis adnumerari. Dicit enim v. 73—80: *Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Herma conscripsit sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre eius; et ideo legi eum quidem oportet, se publicare vero in ecclesia populo neque inter prophetas completum* (l. completos) *numero neque inter apostolos in fine temporum potest.* Contenderunt quidem nonnulli [2]), prohibuisse auctorem illum anonymum omnino, quominus Pastor in ecclesia praelegeretur, et id solum voluisse, ut a singulis vel privatim legeretur, et concedo, locum haud prorsus clarum etiam hoc modo intellegi posse. Sed altera interpretatio praeferenda esse videtur. Voci enim *legi* non tantum *se publicare in ecclesia populo,* sed etiam *neque inter prophetas neque inter apostolos* contraponitur, et haec verba arte cum illis coniungenda sunt; indicant enim, quomodo verba *se publicare in ecclesia populo* ambigua percipienda sint [3]).

Etiam temporibus sequentibus libro magna attributa est auctoritas. Origenes refert quidem, eum a nonnullis contemni (de princ. IV c. 11) vel non ab omnibus γραφὴν θείαν putari (in Matth. comment. XIV c. 21 ed. Bened. III 644), eumque laudans quater addit: *si cui tamen placeat eum legere* vel *recipere* (Opp. ed. Bened. II 294. 681; III 872. 973; cf. III 404); ipse autem eum γραφὴν nominat (III 439. 644; cf. II 294; III 973), et similiter Orientales adhuc saeculo IV ineunte iudicaverunt. Teste enim Eusebio Pastor a multis viris ad catechumenos instituendos adhibebatur et in ecclesiis publice lege-

1) Zahn (*Jahrb. f. deutsche Theol.* 1874 p. 145 sq.) Fragmentum Italiae inferiori, Credner (*Geschichte des neutest. Kanon* p. 167—169) Africae vindicavit.

2) Hesse, *Das Murat. Fragment* 1873 p. 268. Zahn, *G. G. A.* 1878 p. 36—38.

3) Cf. Hermae Pastor, ed. Gebhardt Harnack, p. XLIV sqq., ubi de Pastoris auctoritate apud veteres bene disputatum est.

batur, a nonnullis autem in dubium vocabatur, et Eusebius rebus sic stantibus eum inter ὁμολογούμενα vel receptae auctoritatis libros recenseri non posse indicat (h. e. III c. 3, 6); alio loco (h. e. III 25, 4) eum τοῖς νόθοις adnumerat. Athanasius quoque librum magni aestimat. Adhibet eum ad probanda dogmata (cf. adnot. ad Mand. I, 1; IX, 9) [1]), et quamquam librum e canone excludit (de decret. Nic. c. 18), tamen inter eos recenset, qui secundum decreta patrum catechumenis legendi sint (ep. 39 ed. Patav. 1777 I 768), sc. Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, Esther, Judith, Tobias, Doctrina apostolorum. Simili auctoritate Pastor apud Didymum Alexandrinum (cf. Vis. III c. 2, 8 not.) et auctorem Operis imperfecti (saec. IV exeunte; cf. Sim. IX c. 15) fruitur [2]), et in codice Sinaitico una cum epistula Barnabae post libros N. T. locum obtinet. Inde a saeculo quinto autem in ecclesia orientali auctoritatem perdidisse videtur. Exscripserunt quidem librum tacite Pseudo-Athanasius in Praeceptis seu Doctrina ad Antiochum ducem (saec.?) et Antiochus monachus Laurae s. Sabae (saec. VII). Maximus Confessor (saec. VII) [3]) et Nicetas Serronius (saec. X exeunte; cf. Mand. I, 1 not.) Pastoris etiam mentionem fecerunt, Nicephorus Callisti (h. e. II c. 46) ad verbum fere repetiit, quae Eusebius de eo retulit. In stichometria Nicephori autem liber non solum e libris canonicis, sed etiam e libris ἀντιλεγομένοις excluditur et inter ἀπόκρυφα recensetur [4]). In codice Alexandrino et in catalogo Anastasii Sinaitae [5]) prorsus deest. Interpres aethiopicus (cf. infra c. III) sibi soli stat. Tantum enim sapientiae abyssum in libro invenire sibi visus est, ut non solum aequali apostolorum, sed nisus in Act. 14, 12 Paulo ipsi eum adiudicaret [6]).

1) De incarn. Verbi c. 3 Mand. I, 1 laudans haec praemittit: ἡ δὲ ἔνθεος διδασκαλία καὶ ἡ κατὰ Χριστὸν πίστις . . . φησὶ διὰ μὲν Μωσέως . . . διὰ δὲ τῆς ὠφελιμωτάτης βίβλου τοῦ Ποιμένος· πρῶτον κτλ.

2) Uterque enim ad eum provocat, et hic quidem addens: *si tamen placet illa scriptura omnibus Christianis.*

3) Schol. in Dionys. Areop. de divin. nom. lib. Opp. Dionysii Areop. ed. Venet. 1755 II 126.

4) Credner, *Geschichte des neutest. Kanon* p. 244.

5) Credner, ib. p. 241.

Quod ad libri usum in ecclesia occidentali attinet, Tertullianus Catholicus quid senserit iam vidimus. Nunc addo, postquam Montanistis sese adiunxit, eum (de pudic. c. 10) Pastorem vehementer impugnasse ac dixisse, librum *ab omni concilio ecclesiarum, etiam catholicarum, inter apocrypha et falsa iudicari* (cf. Mand. IV c. 1, 8 not.). Quod vix verum est, et rem se exaggerasse Tertullianus ipse prodit. Non solum pro libro ab omnibus condemnato vehementius Pastorem aggreditur, sed etiam (ibid. c. 20) eum a nonnullis saltem ecclesiis receptum esse indicat; Barnabae epistulam enim *receptiorem* apud ecclesias nominat illo libro. Neque erraveris statuens, Zephyrinum Romanum, quem Tertullianus (l. c.) tanto cum ardore impugnat, ad Pastorem provocasse, et hoc tantum fide dignum esse videtur, multas ecclesias c. ann. 200 conciliis habitis decretum fecisse simile sententiae, quam de libro pronuntiavit auctor Fragmenti Muratoriani [1]). Accedit, quod in indice versuum Scripturarum Sanctarum codici Claromontano (a. 600) apposito, quem tertio saeculo in Africa confectum esse putant, penes quos de hac re iudicium est, Pastor una cum Actis Pauli et Revelatione Petri locum in appendice obtinet [2]), et ab auctore *de aleatoribus,* qui saeculo III vel IV scripsisse videtur, non solum cum Sacris Scripturis allegatur (c. 4, cf. Mand. IV c. 1, 9), sed etiam diserte *scriptura divina* nominatur (c. 2, cf. Sim. IX c. 31, 5 not.). Saeculo ineunte quarto, ut videtur, Pseudo-Pius ad Hermam *doctorem fidei et scripturarum* provocavit, ut Quartodecimanos qui dicuntur refutaret, scribens, illi *angelum Domini in habitu pastoris apparuisse et praecepisse ei, ut Pascha die dominica ab omnibus celebraretur* [3]). Inde ab illo tempore autem libri auctoritas apud Latinos brevi evanuit. Rufinus quidem (Expos. in Symb. apost. c. 38) eum libris *ecclesiasticis* adnumerat, sc. Sapientiae Salomonis, Eccle-

6) *Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes* II (1862) I 181 sq.

1) Cf. Harnack l. c. p. XLIX sq.

2) Credner l. c. p. 175 sqq.

3) Harduin, Acta conciliorum etc. I 95. — Fabricius (Cod. apocr. N. T. III 758) putavit, Philastrium haer. 126 ex Mand. I, 1 hausisse. Sed idem scriptor haer. 80 eadem verba Salomoni (Sap. 1, 14) attribuit.

siastico, Tobiae, Judith, Maccabaeorum libris, dicitque, maiores hos omnes *legi quidem voluisse, non tamen proferri ad auctoritatem ex his confirmandam.* Sed minus iudicium proprium proposuit, quam sententiam Athanasii et auctoris Fragmenti Muratoriani repetiit. Cassiano ad doctrinam de duobus angelis et de arbitrii libertate confirmandam Mand. VI c. 2, 1 (cf. adnot. ad h. l.) alleganti Prosper (contra Collat. c. 30) respondet, *nullius auctoritatis esse testimonium, quod disputationi suae de libello Pastoris inseruerit,* et iam ante Hieronymus (Praef. in libr. Sam. et Malach. ed. Migne IX 556) ut Sapientiam Salomonis et Iesu filii Sirach librum et Judith et Tobiam sic et Pastorem inter ἀπόκρυφα ponit et respiciens Vis. IV c. 2, 4 (cf. not.) eum *stultitiae condemnandum esse* censet. Alio quidem loco paulo mitius iudicat (cf. Vis. III c. 10, 3 not.); sed in libro de viris illustribus c. 10, postquam testimonia Origenis et Eusebii reddidit, librum *apud Latinos paene ignotum esse* asserit. In Decreto denique Gelasiano Pastor commemoratur inter *libros apocryphos, qui non recipiuntur* [1]).

Prorsus autem neque in Occidente liber in desuetudinem abiit. Auctor Vitae s. Genovefae, qui c. ann. 530 scripsisse videtur, allegat Sim. IX c. 15 (cf. not.) idque, ut Harnack vidit, secundum versionem Palatinam, quam saeculo V confectam esse verisimile est, et Sedulius Iunior seu Scotus (saec. IX) [2]), Origenem sequens, Pastorem *scripturam valde utilem et divinitus inspiratam* putat. Multi librum vel versionem eius latinam vulgatam descripserunt et nonnulli testibus codicibus S. Germanensi (saec. IX), Bodleiano, Vindobonensi (ann. 1434) posuerunt eum inter illos V. T. libros, quos Athanasius, Rufinus, Hieronymus apocryphos habuerunt, librarius codicis Dresdensis (saec. XV) inter Psalmos et Proverbia Salomonis. Similem locum etiam Petrus Comestor (c. 1170), Ioannes Saresberiensis (c. 1170), Hugo de St. Caro vel de Vienna (c. 1240), Ioannes Ianuensis (c. 1280) ei attribuerunt [3]). Alii medii aevi scriptores Hermae

1) Harduin, Acta concil. II 941.
2) Collectan. ad Rom. 16, 14. Migne, Patr. lat. CIII 124.
3) Cf. Credner l. c. p. 312-316. Harnack l. c. p. LXIX sq.

sententiam de muliere adultera (Mand. IV c. 1, 4—10, cf. not.) receperunt.

II.

De tempore, quo Pastor confectus est, duae sunt traditiones. Orientales Hermam apostolicum auctorem habent, Occidentales Pii I episcopi (139—154) fratrem. Huic in Fragmento Muratoriano librum attribui iam vidimus. Eundem auctorem putarunt Pseudo-Tertullianus et Pseudo-Pius. Ille [1]) enim Hermam fratrem Pii *angelicum pastorem* nominat; hic in decreto de Pascha celebrando procul dubio eundem respexit, quamquam eum Pii fratrem fuisse reticet (cf. p. CXII). Fortasse etiam Hippolytus illius traditionis testis est, cum ex ipsius Chronico desumpta esse videantur, quae in Chronico Liberiano ad pontificatum Pii adiecta leguntur: *Sub huius episcopatu frater eius Ermes librum scripsit, in quo mandatur contineturque, quod* [2]) *ei praecepit angelus, cum venit ad illum in habitu pastoris* [3]). Contendit quidem Zahn [4]), haec verba e Pseudo-Pio hausta esse, et quae in Catalogo Feliciano (saec. VI ineunte) et in Libro pontificali leguntur, certe ad illum referenda sunt. Auctor Catalogi enim scripsit: *Sub huius episcopatu frater ipsius Hermas librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod praecepit angelus Domini, cum venit ad eum in habitu pastoris, et praecepit ei, ut sanctum Pascha die dominica celebraretur* [5]), et auctor Libri pontificalis (Vita Pii) eum fere ad verbum secutus est. Si autem initium narrationis considera-

1) E. Hückstädt, *Ueber das pseudotertullianische Gedicht adversus Marcionem* (1875), probare conatus est, eum c. ann. 363 Romae scripsisse et esse Victorinum Afrum.

2) Ita cod. Bruxellensis: *mandatum continetur quae* cod. Viennensis, *mandatum continentur* Libri pontificalis recensio prior.

3) Mommsen, *Ueber den Chronographen v. J. 354 (Abhandlungen d. philol. hist. Classe d. k. sächs. Gesellsch. d. Wissensch.* 1850 p. 635. Lipsius, *Chronol. d. röm. Bischöfe* p. 266. Kraus, *Roma Soterranea* p. 533. De fontibus, e quibus Chronographus hausit, cf. Lipsius l. c. p. 40 sqq.

4) *Der Hirt des Hermas* p. 25.

5) Schelestrate, Antiquit. ecclesiae etc. 1692 I 414.

veris, vix te fugiet, eos etiam Catalogum Liberianum adhibuisse et hunc cum illa epistula coniunxisse, ita ut ad quaestionem dissolvendam nihil conducant. Mihi autem auctor Catalogi Liberiani non Pseudo-Pii decretum de Pascha, sed librum Hermae genuinum ante oculos habuisse videtur, et si verba recte interpretatus sum, vix a Pseudo-Pio pendet. Ex contrario, cum alter prope ad alterum accedat, Pseudo-Pius Chronographum vel potius Hippolytum secutus esse videtur [1]). Quomodocumque autem haec res se habet, testimonium auctoris Fragmenti Muratoriani maximi ponderis est. Priusquam vero in tempore Hermae definiendo ulterius progredimur, videamus, quid recentiores testimonio Fragmenti nondum in lucem producto de illa quaestione senserint.

Inter viros doctos, qui saeculis XVI et XVII et XVIII ineunte de Pastore scripserunt, plerique Hermam apostolicum auctorem habuerunt, et alii insuper librum ante Hierosolymam deletam scriptum esse contenderunt, e. g. Cave [2]), Baratier [3]); alii, ex quorum numero sunt Le Nourry [4]), Tillemont [5]), Remigius Ceillier [6]), Lardner [7]) librum ad annum 92 retulerunt; alii denique tempus non accuratius definierunt, e. g. Cotelier [8]), Dupin [9]). Baronius (ann. 159, 4) Hermam apostolicum etiam eundem cum fratre Pii habuit. Bellarminus [10]) vero et Tillemont [11]) eum refutarunt provocantes ad temporis distantiam et

1) Cf. Harnack l. c. p. LXII.

2) Script. eccles. histor. literaria 1694 p. 15. Intellexerunt hi scriptores τὴν θλῖψιν τὴν μέλλουσαν τὴν μεγάλην (Vis. IV c. 2. 5) de excidio Hierosolymitano.

3) Disquisitio chronologica etc. 1740 c. III § 3 p. 39 sq.

4) Apparatus ad bibl. maximam. De vita et scriptis s. Hermae art. IV.

5) *Mémoires pour servir à l'histoire eccl. art. S. Hermas not. 1.* Interpretati sunt hi scriptores tribulationem illam magnam superventuram de persecutione Domitiani.

6) *Histoire générale etc.* III c. 9 art. 2, 1.

7) *Glaubwürdigkeit der evang. Geschichte* ed. Berol. 1759 II 76—79.

8) Patr. apostol. opp. ed. Clericus 1724 II 73 sq.

9) *Nouvelle bibliothèque des auteurs eccl.* ed. II 1688 I 82 sqq.

10) De scriptoribus eccles. Colon. 1657 p. 35.

11) *Mémoires etc.* l. c.

differentiam nominis; in Libro pontificali enim et apud Pseudo-Pium hic vocatur Hermes. Adeo autem vulgata erat sententia illa, ut Remigius Ceillier [1]) dicere posse sibi videretur, eam paene ab omnibus teneri. Sed nonnulli saltem aliter senserunt. Basnage (ann. 157, 2) e. g. Pastorem Hermae apostolico abiudicat, cum Pauli discipulo non sit dignus etc. Mosheim [2]) fratrem Pii auctorem declarat, primus ut videtur provocans ad testimonium Fragmenti Muratoriani, quod tribus lustris ante publicatum erat [3]); et Schröckh [4]) contendit, illum librum confecisse nunc paene certum esse. Nihilominus sententiam priorem plures defenderunt, e quorum numero sunt Gallandi [5]) et Lumper [6]) nec non Jachmann [7]), qui librum Hermae apostolico adiudicavit, de tempore autem id tantum statuit, Hermam inter persecutionem Neronis et persecutionem Traiani vel inter annos 64 et 105 scripsisse. Hefele vero fratrem Pii auctorem esse probare studuit, et multi assensi sunt.

Tertiam sententiam [8]) nostris diebus E. Gaâb [9]) proposuit et Th. Zahn [10]) novis argumentis confirmavit. Contenderunt enim, librum neque ab Herma apostolico neque ab fratre Pii, sed, ut ipse vellet (cf. Vis. II c. 4, 3), a tertio Herma, aequali Clementis episcopi, et quidem Nerva imperatore vel imperio Traiani ineunte (ann. 97—100) confectum esse [11]). Adstipulati sunt Peters [12]), Mayer [13]), Caspari [14]). Testimonio autem Frag-

1) *Histoire générale etc.* III c. 9 art. 1, 1.
2) Institut. hist. eccles. 1755 p. 51.
3) Antiquit. ital. med. aevi III (1740) 854.
4) *Christliche Kirchengeschichte* ed. sec. II (1775) p. 274.
5) Biblioth. vet. Patrum I Proleg. p. XXVIII.
6) Historia theologico-critica 1783 I 94—104.
7) *Der Hirte des Hermas* 1835 p. 29 - 34.
8) De nonnullis aliis, quae memoria minus dignae sunt, vide Ittig, Dissertatio de patribus apostolicis c. 59.
9) *Der Hirte des Hermas* 1866.
10) *Der Hirt des Hermas* 1868.
11) Cf. Zahn l. c. p. 134.
12) *Theolog. Literaturblatt* 1869 p. 854 sq.
13) *Die Schriften der apost. Väter* 1869 p. 255 sqq.
14) *Quellen zur Geschichte des Taufsymbols* III (1875) 298.

menti Muratoriani fidem habuerunt Lipsius [1]), Heyne [2]), Behm [3]), Harnack [4]), Brüll [5]), et ego ab horum sto partibus. Quae enim Zahn protulit, ut fidem Fragmenti diminueret, ea mihi non persuaserunt. Cuius auctor neque tantum temporis post Hermam neque tam procul a Roma vixit, ut verum non posset comperire, neque Pastori adeo infensus erat, ut verum non vellet dicere. Et si quid falsi de eo retulisset, num forte fidem invenisset? Nonne quo maiore auctoritate liber fruebatur, eo plures veritatem defendendam suscepturi fuissent? Atqui contrarium invenimus. Qui Romae, ubi Pastor exortus est, de eius origine locuti sunt, Pseudo-Pius, scriptor Catalogi Liberiani, Pseudo-Tertullianus, omnes idem retulerunt quod auctor Fragmenti, et quaerere licet, num ne unus quidem in re tanta illi contradixisset, si aut mentitus aut falsus esset? Dixit quidem Zahn, si auctor circa saeculum II medium vixisset et liber esset ficticius (vult enim tempore Clementis scriptus esse; cf. Vis. II c. 4, 3), fore ut Pastor prorsus reprobatus esset; Christianos enim veteres libros pseudographos paene semper, etiamsi doctrinam haereticam non continuissent, tamquam haereticos condemnasse, et vicissim si scriptura certe pseudographa aut fuisset orthodoxa aut esse videretur, doctrina vera eos commotos esse, ut scripturam genuinam haberent; Hermam praeterea veritatis magis amantem esse, quam ut visiones finxisse putari posset (l. c. p. 87—93). Sin autem testes librum profecto saeculo II medio adscribunt, quid tunc dicendum est? Num Pastor fortasse illis scripturis adnumerandus est, in quas exceptio cadit quaeque veteribus adeo placuerunt, ut iis uterentur, quamquam erant pseudographae?

Fragmentum vero Muratorianum non unica ratio est, ob

1) *Bibellexikon* ed. Schenkel III (1871) 20 sqq.

2) Quo tempore Hermae Pastor scriptus sit. 1872.

3) *Ueber den Verfasser der Schrift, welche den Titel „Hirt“ führt* 1876.

4) Prolegom. p. LXXVII—LXXXIV.

5) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1878 p. 45 sqq. Etiam Donaldson (*The Apost. Fathers* 1874 p. 318—332) et Skworzow (*Patrol. Untersuchungen* 1875 p. 15 sqq.) Pastorem ad saeculum II medium retulerunt, sed minus Fragmento fidem habentes quam librum ipsum respicientes.

quam librum ad saeculum II medium referimus. Accedunt rationes internae quae dicuntur. Auctor hic illuc iam Gnosticos respicit (cf. Vis. III c. 7, 1. Sim. VIII c. 6, 5; IX c. 22, 1) et de persecutione ita loquitur, ut verba ad imperium Traiani, non Domitiani, referenda sint (cf. Sim. IX c. 28 not.). Tum apostolos mortuis adnumerat (cf. Sim. IX c. 15, 4. Vis. III c. 5, 1). Ecclesiae condicionem denique, quod ad religionem moresque attinet, colore tam nigro depingit, ut Heyne (l. c. p. 27) valde dubitandum esse iure dicat, num ecclesia iam primo saeculo exeunte tantopere perturbata et corrupta fuerit, quomodo in Pastore sive per imaginem sive sine imagine accurate describitur, et potius miretur, quod ea iam medio saeculo II tantam pristinae sinceritatis et integritatis iacturam fecerit.

Itaque nulla causa est, cur Fragmento fidem denegemus et Pastorem alii auctori adscribamus quam fratri Pii episcopi vel alii tempori quam annis 139—154, quibus Pius cathedram ecclesiae Romanae obtinuit. Contendit quidem Behm (l. c. p. 67—71), auctorem esse ignotum; quae enim de sese ac de domo sua narrasset, ea eiusmodi esse, ut vix de se ipso dixisse putandus esset; et concedendum est, illa non esse verisimilia. Sed etiamsi haec finxit, non est, cur librum fratri Pii episcopi abiudicemus. Nomen solum in dubium vocari posse videtur. Frater Pii fortasse aliud nomen gestavit, scriptor Fragmenti autem Hermae nomen ei attribuit, quia auctor Pastoris ipse se Hermam appellat. Behm (l. c. p. 59—63) porro invenire sibi visus est, librum brevi ante annum 135 vel martyrium Telesphori scriptum esse, et Harnack (l. c. p. LXXVII. LXXXII) quoque dixit, fortasse Pastorem ante annum 139, i. e. septimo vel octavo saeculi secundi lustro vel postremis annis imperii Hadriani aut initio regni Pii confectum esse. Ego neque hic causam video, cur a testimonio Fragmenti recedamus. Si vero quaesieris, quo fere episcopatus Pii tempore Pastor scriptus sit, considerans, Gnosticos iam respici, sed nondum neque validiores neque ecclesiae infestiores esse (cf. Sim. IX c. 22, 4), librum rectius ad initium quam, ut Hagemann [1]) voluit, ad finem episcopatus referes.

1) *Tüb. Theolog. Quartalschrift* 1860 p. 34.

De vita auctoris nihil compertum habemus. In initio Pastoris quidem legimus, eum servum fuisse et a domino Rhodae cuidam Romanae venditum, ab hac autem, ut conicere licet, libertum factum esse. Post multos annos cum rursus cum ea convenisset, ipsum amasse eam quasi sororem et, cum aliquando eam lavari vidisset, desiderasse uxorem habere tam pulcram et bonam. Rhoden mortuam ei apparuisse eumque propter desiderium illud vituperasse (cf. Vis. I c. 1). Porro invenimus, auctorem uxorem duxisse et negotiationibus magnas divitias sibi comparasse, eas autem postea propter peccata domus suae perdidisse (cf. Vis. I c. 3, 1; II c. 3, 2; III c. 6, 7); filios parentes prodidisse et peccata adiecisse peccatis (cf. Vis. II c. 2, 2). Praedium quoddam solum ei relictum esse videtur; bis enim de agro suo loquitur et uno loco prodit, se alicas in eo coluisse (cf. Vis. III c. 1, 2; IV c. 1, 2). Filii autem non semper in iniquitate permanserunt. Auditis verbis, quae Ecclesia ipsis dixit (Vis. II c. 2), paenitentiam egerunt ex toto corde (Sim. VII, 4). Haec auctor ipse de sese refert, et Zahn (l. c. p. 77—84) et qui eum secuti sunt hanc narrationem agnoscunt veram. Qui vero librum ficticium habent, iis haec quoque ficticia putanda sunt, et cum hi de Pastore recte sentire videantur, de auctoris vita nihil certi nos scire dixi. Zahn quidem ex sermone iudaico-graeco, quo usus est Hermas, evidenter apparere putavit, eum in domo iudaica educatum fuisse (l. c. p. 77. 487—497). Harnack autem (l. c. p. LXXII) recte respondit, nescire nos, quo sermonis genere Romae homines Romani vel orientales vel barbari literis graecis Iudaeorum imbuti usi essent, ubi res religionem spectantes tractassent.

III.

Editores priores scripturam, quippe quae visiones, mandata, similitudines contineat, in tres libros diviserunt et secundo libro vel Mandatis Visionem quintam tamquam prooemium praemiserunt. Auctor ipse aliter dividit. Si enim Vis. V, 5. 6 et Sim. IX c. 1, 1; X c. 1, 1 respexeris, invenies, eum Visiones I—IV partem libri priorem, Mandata et Similitudines I—IX una cum

Visione V tamquam praefatione partem alteram habuisse et Similitudinem X velut epilogum adiecisse. In illa parte Ecclesia erudit Hermam, in hac pastor vel angelus paenitentiae. Praeterea pars altera ipsa dividitur. Mandatis et Similitudinibus I—VIII tamquam parti priori Similitudo IX velut pars posterior adiungitur. Fortasse etiam pars prima, ut Zahn contendit (l. c. p. 276 sq.), ab auctore in duas dividitur, quarum prima Visiones I et II, altera Visiones III et IV complectitur. Sed hoc mihi non certum esse videtur. Duae autem partes artissime inter se cohaerent et unum eundemque auctorem produnt. Contendit quidem nuperrime Champagny [1]), Pastorem, quem nunc habemus, ex duobus libris constare, qui alter ab altero valde differrent et quorum primus, sc. Visiones, ab Herma apostolico, alter, sc. Mandata et Similitudines, ab Herma fratre Pii episcopi confectus esset, et Guéranger [2]) ei adstipulatus est. Sed argumenta, quae protulit, prorsus inania et vix refutatione digna sunt [3]).

Ordo sententiarum hic est. Hermas cum Cumas iret, a spiritu in locum invium abreptus est. Ubi cum oraret, caelo aperto Rhode ei apparuit dicens, Deum ob desiderium malum ei irasci, paenitenti autem ignoscere (Vis. I c. 1). Recogitanti autem Hermae, quomodo Deum propitiaret, anus apparuit, ut eum consolaretur (l. c. c. 2) et adhortaretur, ut domum suam improbam converteret ad Deum, eique librum legeret, quem secum habuit (c. 3). Finita lectione ad orientem abiit, Hermam admonens, ut confortaretur (c. 4). — Qui cum iterum (Vis. II) Cumas proficisceretur, ab anu librum accepit, ut eum describeret. Sensum non cognovit (c. 1). Post dies viginti quinque autem scriptura ei revelata est, et haec scripta erant: filios valde peccasse et uxorem lingua deliquisse; veniam autem peccatorum priorum eos consecuturos esse, si paenitentiam egissent, neque vero, si postea delinquerent (c. 2); ipse ne suis irasce-

1) *Les Antonins par le Cte de Champagny.* Parisiis 1863 I 134 not. 1. II 347 not. 3.

2) *S. Cécile et la société Romaine aux deux premiers siècles.* Parisiis éd. II 132 sq. 197 sq.

3) Diluit obiectiones Harnack l. c. p. LXXIII.

retur; magnam tribulationem eum habuisse, sed propter fidem conservatam eum salvari (c. 3). Anus autem, quam esse Ecclesiam a iuvene certior fit, iterum domi ei apparuit mandavitque, ut duos libellos scriberet et unum Clementi mitteret, alterum Grapte (c. 4). — Deinde novam visionem accepit in agro (Vis. III). Ecclesia apparuit cum sex iuvenibus et postquam eum ad sinistram partem sedere iussit (dexteram partem martyribus reservavit), ostendit ei turrim, quae lapidibus variis super aquas aedificabatur a sex illis iuvenibus multisque aliis viris (c. 1—2). Turris autem, ut ipsa explicat, est ecclesia et super aquas aedificabatur, quia homines per aquam salvantur (c. 3). Qui eam aedificant, angeli sunt et quidem sex illi iuvenes angeli superiores (c. 4). Lapides sunt ii, qui vocantur ad fidem. Sed boni tantum ad aedificationem adhibentur, ceteri reiciuntur (c. 5—7). Ecclesia enim, quam Hermas hic sub imagine turris videt, non ea est, quae bonos et malos continet, vel, ut ita dicam, ecclesia empirica, sed superior quaedam vel idealis, in quam iusti tantum intrant vel ii, qui virgines circa turrim stantes sequuntur, i. e. virtutibus ornati sunt christianis (c. 8, 1—8). Turris quidem nondum consummata est, sed cito consummabitur et deinde erit finis. Hermas, addit Ecclesia, haec omnibus manifestet et sanctis praedicet, quae ipsa post tres dies mandatura sit (c. 8, 9—11), sc. ut pacem inter se habeant, ut possidentes dent indigentibus etc. (c. 9). Quae cum dixisset, a sex iuvenibus ad turrim ablata est. Hermas autem rogat eam, ut tres figuras ipsi explicet, in quibus apparuerat, et postquam Ecclesia iubente unum diem ieiunavit, apparet ei nocte iuvenis (c. 10) et revelat ea, quae quaesivit (c. 11—13). — Viginti diebus post ambulans in agrum aliam accipit visionem (Vis. IV). Videt bestiam maximam et horribilem habentem in capite quatuor colores, neque tamen mali aliquid patitur (c. 1). Postquam autem cetum praeteriit, Ecclesia ei apparet, ornata quasi virgo de thalamo procedens, et laudat fidem eius. Per hanc enim, ait, periculum eum effugisse; bestiam esse figuram persecutionis magnae futurae; enuntiet electis Dei, eos illam effugere posse, si vere paenitentiam egerint et Domino

sine vituperatione servierint (c. 2). Denique colores explicat, quos bestia habuit, et abit (c. 3), non amplius reversura.

Postquam Ecclesia Hermam erudivit, venit ad eum angelus paenitentiae in habitu pastoris, ut iterum ei ostenderet, quae viderat, communicaretque mandata et similitudines (Vis. V). Mandat autem, ut firmiter in Deum credat (Mand. I), ut detrectationem fugiat et simpliciter det omnibus indigentibus (II), ut semper verum dicat (III), ut castitatem custodiat (IV; agit auctor etiam de divortio in casu adulterii c. 1, 4—11; de paenitentia c. 3; de secundo matrimonio c. 4), ut longanimis sit et ab iracundia se abstineat (V), ut iustitiam exerceat, nequitiam fugiat (VI), ut Deum timeat, diabolum non timeat (VII), ut a malo se abstineat, neque vero a bono (VIII), ut auferat a se omnem duplicitatem vel dubietatem et animo simplici confidat in Deum (IX), ut fugiat tristiam induatque hilaritatem (X), ut devitet pseudoprophetam (XI), ut tollat a se omne desiderium malum et serviat desiderio bono. In his mandatis ambulet et audientes hortetur, ut paenitentiam agant. Ea facilia esse, si credat, ea custodiri posse. Diabolum non timendum esse iis, qui sperent in Deum. Luctari quidem eum posse, neque vero vincere. Timendum esse potius Deum, qui salvare possit et perdere (XII). — Similitudines prima et secunda agunt de eleemosyna vel beneficentia. In illa (Sim. I) demonstrat auctor, cum hic mundus servis Dei non sit patria, agros et domus et alias res similes non esse comparandas, sed potius redimendas esse animas de necessitatibus. Propterea Deum nobis divitias dedisse, ut indigentibus succurramus. In hac (II) exponit, divitem similem esse ulmo. Quam quidem ex sese nullum ferre fructum, adiuvare autem vitem, ita ut haec producat fructum abundantiorem (1—4). Similiter divitem esse pauperem ante Deum; si autem succurrat pauperi, hunc, cuius oratio accepta sit apud Dominum, preces offerre pro eo et utrumque consortem fieri operis iusti (5—10). — Sim. III dicit pastor Hermae, sicut tempore hiemis arbores aridae et vivae non possint inter se distingui, ita in hoc mundo iustos non posse discerni a peccatoribus, omnes potius similes esse. — Sim. IV ostendit, saeculum futurum iustis esse aestatem, iniustis hiemem;

fore ut opera illorum manifestentur, hi autem tamquam ligna arida comburantur. — Sim. V exponitur, quid sit verum ieiunium (c. 1), et additur parabola de patrefamilias, qui servum comprobantibus filio suo et amicis coheredem cum filio reddidit, quia non solum vineam, quam in agro suo posuerat, secundum mandatum palis obsaepsit, sed etiam a zizaniis purgavit et conservis de cibis communicavit, quos acceperat a domino (c. 2). Cum Hermas pastorem roget, ut similitudinem explicet, primum accuratius ostendit, quomodo eum ieiunare oporteat (c. 3), et postquam eum admonuit, ut a Domino peteret sapientiam (c. 4), explicat parabolam (c. 5. 6) adhortans eum, ut carnem puram servet (c. 7). — Deinde (Sim. VI) in agro Hermae ostendit pastorem iuvenem habentem multas oves luxuriantes et hilares, quarum aliae huc illuc discurrebant, aliae non exsultabant (c. 1), et alium pastorem magnum et agrestem, qui ab illo oves non exsultantes accipiebat easque in locum ducebat spinosum et valde vexabat (c. 2, 5—7). Pastor ille autem erat angelus deliciarum, pastor hic angelus poenae, oves erant diversa genera peccatorum (c. 2, 1—4; c. 3). Poena peccatorum idem tempus quidem durat ac voluptas, sed trecenties sexagies maior est, ita ut quot dies luxuriatur quis, tot annos crucietur (c. 4. 5). — Post paucos dies (Sim. VII) Hermas videt pastorem in eodem campo rogatque, ut angelum poenae iubeat e domo sua recedere. Pastor autem dicit, propter peccata domus suae eum cruciari, sed exiguum solum tempus. — Deinde (Sim. VIII) pastor Hermae ostendit salicem magnam, sub cuius umbra erant omnes vocati. Angelus autem Domini caedebat falce magna ramos dabatque singulis virgulas. Postquam omnes acceperunt, angelus virgas repetiit consideravitque, inveniens tredecim diversa genera (c. 1), et eos, qui virgas virides et fructiferas reddiderunt, dimisit in turrim (c. 2, 1—4), ceteros, qui virgas aridas habebant, tradidit pastori in muros mittendos. Pastor autem virgas eorum plantavit, sperans, fore ut nonnullae reviviscerent, et abiit (c. 2, 5—9), Hermae similitudinem explicans (c. 3). Paucos post dies reversus virgas consideravit (c. 4—5), et cum omnes explicasset (c. 6—10), Hermae mandavit, ut omnes ad paenitentiam adhortaretur (c. 11). — Qui cum Mandata et Similitudines scripsisset, pastor venit

sine vituperatione servierint (c. 2). Denique colores explicat, quos bestia habuit, et abit (c. 3), non amplius reversura.

Postquam Ecclesia Hermam erudivit, venit ad eum angelus paenitentiae in habitu pastoris, ut iterum ei ostenderet, quae viderat, communicaretque mandata et similitudines (Vis. V). Mandat autem, ut firmiter in Deum credat (Mand. I), ut detrectationem fugiat et simpliciter det omnibus indigentibus (II), ut semper verum dicat (III), ut castitatem custodiat (IV; agit auctor etiam de divortio in casu adulterii c. 1, 4—11; de paenitentia c. 3; de secundo matrimonio c. 4), ut longanimis sit et ab iracundia se abstineat (V), ut iustitiam exerceat, nequitiam fugiat (VI), ut Deum timeat, diabolum non timeat (VII), ut a malo se abstineat, neque vero a bono (VIII), ut auferat a se omnem duplicitatem vel dubietatem et animo simplici confidat in Deum (IX), ut fugiat tristiam induatque hilaritatem (X), ut devitet pseudoprophetam (XI), ut tollat a se omne desiderium malum et serviat desiderio bono. In his mandatis ambulet et audientes hortetur, ut paenitentiam agant. Ea facilia esse, si credat, ea custodiri posse. Diabolum non timendum esse iis, qui sperent in Deum. Luctari quidem eum posse, neque vero vincere. Timendum esse potius Deum, qui salvare possit et perdere (XII). — Similitudines prima et secunda agunt de eleemosyna vel beneficentia. In illa (Sim. I) demonstrat auctor, cum hic mundus servis Dei non sit patria, agros et domus et alias res similes non esse comparandas, sed potius redimendas esse animas de necessitatibus. Propterea Deum nobis divitias dedisse, ut indigentibus succurramus. In hac (II) exponit, divitem similem esse ulmo. Quam quidem ex sese nullum ferre fructum, adiuvare autem vitem, ita ut haec producat fructum abundantiorem (1—4). Similiter divitem esse pauperem ante Deum; si autem succurrat pauperi, hunc, cuius oratio accepta sit apud Dominum, preces offerre pro eo et utrumque consortem fieri operis iusti (5—10). — Sim. III dicit pastor Hermae, sicut tempore hiemis arbores aridae et vivae non possint inter se distingui, ita in hoc mundo iustos non posse discerni a peccatoribus, omnes potius similes esse. — Sim. IV ostendit, saeculum futurum iustis esse aestatem, iniustis hiemem;

fore ut opera illorum manifestentur, hi autem tamquam ligna arida comburantur. — Sim. V exponitur, quid sit verum ieiunium (c. 1), et additur parabola de patrefamilias, qui servum comprobantibus filio suo et amicis coheredem cum filio reddidit, quia non solum vineam, quam in agro suo posuerat, secundum mandatum palis obsaepsit, sed etiam a zizaniis purgavit et conservis de cibis communicavit, quos acceperat a domino (c. 2). Cum Hermas pastorem roget, ut similitudinem explicet, primum accuratius ostendit, quomodo eum ieiunare oporteat (c. 3), et postquam eum admonuit, ut a Domino peteret sapientiam (c. 4), explicat parabolam (c. 5. 6) adhortans eum, ut carnem puram servet (c. 7). — Deinde (Sim. VI) in agro Hermae ostendit pastorem iuvenem habentem multas oves luxuriantes et hilares, quarum aliae huc illuc discurrebant, aliae non exsultabant (c. 1), et alium pastorem magnum et agrestem, qui ab illo oves non exsultantes accipiebat easque in locum ducebat spinosum et valde vexabat (c. 2, 5—7). Pastor ille autem erat angelus deliciarum, pastor hic angelus poenae, oves erant diversa genera peccatorum (c. 2, 1—4; c. 3). Poena peccatorum idem tempus quidem durat ac voluptas, sed trecenties sexagies maior est, ita ut quot dies luxuriatur quis, tot annos crucietur (c. 4. 5). — Post paucos dies (Sim. VII) Hermas videt pastorem in eodem campo rogatque, ut angelum poenae iubeat e domo sua recedere. Pastor autem dicit, propter peccata domus suae eum cruciari, sed exiguum solum tempus. — Deinde (Sim. VIII) pastor Hermae ostendit salicem magnam, sub cuius umbra erant omnes vocati. Angelus autem Domini caedebat falce magna ramos dabatque singulis virgulas. Postquam omnes acceperunt, angelus virgas repetiit consideravitque, inveniens tredecim diversa genera (c. 1), et eos, qui virgas virides et fructiferas reddiderunt, dimisit in turrim (c. 2, 1—4), ceteros, qui virgas aridas habebant, tradidit pastori in muros mittendos. Pastor autem virgas eorum plantavit, sperans, fore ut nonnullae reviviscerent, et abiit (c. 2, 5—9), Hermae similitudinem explicans (c. 3). Paucos post dies reversus virgas consideravit (c. 4—5), et cum omnes explicasset (c. 6—10), Hermae mandavit, ut omnes ad paenitentiam adhortaretur (c. 11). — Qui cum Mandata et Similitudines scripsisset, pastor venit

(Sim. IX), ut accuratius ei explanaret, quae spiritus sanctus in figura Ecclesiae ipsi dixerat, et adduxit eum in Arcadiam ostenditque campum magnum, circumdatum duodecim montibus (c. 1). Medio in campo erat petra magna et vetus, novam portam habens, circa quam stabant duodecim virgines (c. 2). Venerunt autem sex viri excelsi et multi alii et illi hos turrim supra petram et supra portam aedificare iusserunt; virginibus mandaverunt, ut omnes lapides per portam portarent (c. 3). Aedificabatur igitur turris et lapides afferebantur cum de profundo tum de montibus. Postquam in structura positi sunt, omnes candidi facti sunt praeter nonnullos, qui neque per portam allati neque a virginibus porrecti erant (c. 4). Finito die illo desierunt aedificare, quamquam turris non erat consummata, et omnes praeter virgines recesserunt. Post paucos dies cum pastor et Hermas reversi essent (c. 5), venit vir excelsior turri, circumdatus magna turba virorum, et consideravit turrim. Lapides, qui non candidi erant neque integri, auferri iussit et alios et quidem de campo afferri. Et quadrati lapides confestim in illorum loco collocati sunt; rotundi autem iuxta turrim positi sunt, ut postea circumciderentur et ad aedificationem adhiberentur (c. 6). Quae cum facta essent, dominus turris lapides iuxta turrim iacentes pastori tradidit, ut eos purificaret poneretque in structura, qui cum aliis convenire possent, ceteros longe proiceret, et abiit. Pastor ipse recessit. Post duos autem dies reversus est lapides consideraturus (c. 7). Octo genera invenit (c. 8 — c. 9, 4) et eos, qui de structura reiecti sunt, tradidit mulieribus duodecim veste nigra vestitis et capillos habentibus solutos, ut eos ibi reportarent, unde allati erant. Turris autem splendida erat et quasi monolitha (c. 9, 5—7). Cum formae lapidum, qui sublati et in structura repositi erant, expletae et omnia circa turrim mundata fuissent, abiit pastor, Hermam cum virginibus relinquens (c. 11). Reversus explicationem similitudinis dedit, primum de petra et porta et de viro excelso et reliquis viris (c. 12), tum de turri et de virginibus et mulieribus (c. 13 — c. 15, 3), deinde de lapidibus de profundo allatis (c. 15, 4 — c. 16), porro de montibus (c. 17 — c. 29, 3) et de lapidibus de campo allatis (c. 29, 4 — c. 31, 3), et postquam fideles

omnes adhortatus est, ut paenitentiam agerent, dum turris adhuc aedificaretur (c. 31, 4 — c. 32), denique exposuit, quid significarent formae lapidum (c. 33). — Postquam autem Hermas librum scripsit, venit angelus ipse, qui eum pastori tradiderat, i. e. filius Dei, paucis ei dicens, quae esset via salutis, eumque pastori iterum tradens et virginibus commendans (Sim. X).

IV.

Pastor nunc praeter textum graecum in duabus versionibus latinis et in versione aethiopica exstat. Per longum autem tempus versio latina prior vel vulgata sola nota fuit. Primus eam typis expressit Iac. Faber Stapulensis [1]). Sed editio haud paucis vitiis laboravit; codicem enim, quem invenit, Faber minus accurate edidit, sed permulta ad arbitrium mutavit, antiquum sermonem saepe delevit, corrupta temere restituit [2]); neque ceterae editiones saeculi XVI aut ea, quam Casp. Barth [3]) paravit, multo meliores erant. Rem promovit Cotelier tribus codicibus Parisiensibus collatis et amplius promovisset, si non libros editos saepe libris manuscriptis praetulisset. Tum duos codices anglicanos adhibuit Fell [4]) et alterum sive Lambethanum denuo conferendum curavit Clericus; textum vero ille non mutavit, hic rarissime tantum correxit. Fabricius [5]), Russel, Gallandi, Hefele, Migne editores priores secuti sunt. Dressel diligenter quidem contulit codicem Vaticanum. Cum autem lectiones minus ad textum recensendum adhibuerit quam in notis editioni suae apposuerit, Hilgenfeld primus textum e codicibus emendatum edidit [6]). Sed neque haec editio adeo

1) Liber trium virorum et trium spiritualium virginum etc. Parisiis 1513.

2) Cf. Hilgenfeld, Hermae Pastor 1873. p. III.

3) S. patris nostri Claudiani Ecdicii Mamerti de statu animae etc. Cygneae 1655.

4) S. Barnabae Apost. epist. catholica. Accessit S. Hermae viri apostolici Pastor. Oxoniae 1685.

5) Codicis apocryphi N. T. pars tertia. Hamburgi 1719.

6) Hermae Pastor. Veterem latinam interpretationem e codicibus edidit A. H. Lipsiae 1873.

perfecta est, ut non emendatior valde desideretur. Namque duos tantum codices, scilicet Dresdensem (saec. XV) et Vaticanum (saec. XIV) ab Alberto Dressel collatum Hilgenfeld adhibuerat et nonnunquam iis dimissis textum vulgatum praetulerat, non quaerens, num codicibus traditus esset an non. Itaque editio vere emendata adhuc deest, brevi autem, ut exspectare nobis licet, ab Oscaro Gebhardt parabitur. Duas partes, sc. Mand. XII c. 3 — c. 5, 3, ubi versio altera seu Palatina lacunam habet, et Sim. IX c. 30, 3 usque ad finem, ubi textus graecus desideratur, doctus ille vir iam e sex codicibus edidit et descriptionem codicum dedit, qui ad eius notitiam pervenerunt [1]).

Versio latina altera codice uno tradita est, sc. Palatino (saec. XIV), nunc Vaticano, et vulgo Palatina vocatur. Dressel primus eam edidit. Plures locos emendaverunt Hollenberg [2]), Hilgenfeld, Gebhardt, et hic versionem denuo prelo submisit.

Quod autem ad aetatem versionum latinarum attinet, vulgata haud dubie brevi post Hermae tempus exarata est. Iam Tertullianus de orat. c. 16 versionem exstare prodit; dicit enim, librum Pastorem (non Ποιμένα) inscribi; neque est, cur illam eam fuisse dubitemus, quam nunc vulgatam appellamus. Certe Pseudo-Cyprianus *de aleatoribus* c. 4 (saec. III exeunte vel saec. IV) allegans Sim. IX c. 31, 5. 6 ea usus est. Versio autem Palatina iam auctori Vitae Genovefae (c. ann. 530) nota fuit (cf. Sim. IX. c. 15), et Harnack recte coniecit, eam saeculo V (vel neque ante finem saeculi IV neque post initium saec. VI) in Gallia confectam esse (l. c. p. LXV sqq.). De ratione denique inter duas versiones intercedente Gebhardt (l. c. p. XXIV) iudicavit, auctorem versionis Palatinae alteram versionem non solum nosse, sed etiam in conficiendo opere suo adhibuisse, idque praecipue in Similitudinibus, cum in Visionibus (excepta Vis. V) Mandatisque (excepto Mand. I) nullam fere eius notitiam prae se ferret.

1) Hermae Pastor. Lipsiae 1877 p. XIV—XXII.

2) Pastorem Hermae emendavit, indicem verborum addidit Guil. Hollenberg. Berolini 1868.

Versionem aethiopicam debemus Antonio d'Abbadie, viro in literis aethiopicis versatissimo. Qui cum a. 1847 in Aethiopia commorans comperisset, asservari in monasterio, cui nomen est Guindaguinde, librum titulo Hermae, eum accuratissime exscribi curavit. Quanti momenti liber esset, pluribus annis post per Augustum Dillmann cognovit, et suadente et rogante Societate Orientali Germanica a. 1860 versionem interpretatione latina, ut ipse dicit, minus eleganti quam fideli adiecta edidit [1]). Olim versionem ex prototypo arabico fluxisse iudicaverat [2]). In praefatione autem editioni suae praemissa toto opere accuratius perlecto sententiam retractavit, et Dillmann versionem ex exemplari graeco confectam esse firmissimis argumentis probavit [3]). Versio omnes quidem Pastoris partes complectitur, omissionibus vero haud paucis laborat, praesertim Mand. IV c. 1 et Sim. IV—VI, ubi interpres textum nimis iusto decurtavit, cum aliae omissiones vel menda neglegentiae librariorum attribuenda esse videantur.

In appendice versionis, in qua Hermas propheta vocatur idemque declaratur cum Paulo apostolo, praeterea legimus: *Finitae sunt visiones et mandata et similitudines Hermae prophetae, qui est Paulus, anno CXCI misericordiae, mensis nocte XXIII, die XXII;* et quaeritur, quomodo haec intellegenda sint, num verba indicent, quo anno versio confecta, an quo anno codex monasterii Guindaguindensis exaratus sit, et qui sit annus 191 misericordiae. Dillmann verba ad codicis aetatem referri vult et olim iudicavit, annum illum esse annum 1539 p. Chr., nisi forte subscriptio ex codice antiquiore repetita esset [4]). Nuperrime in literis, quas ad Harnack dedit, computavit, annum 191 misericordiae esse annum aut 543 aut 1075 aut 1607 p. Chr., et codicem ad annum 1607 retulit [5]).

1) *Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes* II. (1860) N. 1.

2) *Cataloque raisonné des Manuscrits Éthiopiens appartenant à Antoine d'Abbadie. Paris* 1859 p. 180.

3) *Zeitschrift der Deutschen morgenländischen Gesellschaft* XV (1861) 111–113.

4) *Zeitschr. d. D. morgenl. Gesellsch.* XV 119.

5) Cf. Gebhardt-Harnack, Hermae Pastor p. XXVII sqq.

Rectius autem Gebhardt verba illa ab interprete profecta esse statuit, nisus inprimis in fine appendicis, ubi de *interpretatione huius Hermae* sermo est, id quod potius in translatorem quam in librarium saeculi XVII quadrare videtur. Appendix igitur, cum versio haud dubie antiquissima sit, potius ad annum 543 quam 1607 referenda est. Versionem autem revera illo anno confectam esse vix contenderim, cum notitia, quam de aera misericordiae habemus, nimis parva et incerta sit.

Textus graecus in duobus codicibus exstat. Alter (saec. XV) olim in monte Atho asservatus est et pars etiamnunc asservari videtur. Tria codicis folia autem, ea, quae continent Mand. XII c. 4, 7 — Sim. VIII c. 4, 3 et Sim. IX c. 15, 1 — c. 30, 2, et apographum partium antecedentium et intermediarum Constantinus Simonides Symensis bibliothecae academicae Lipsiensi vendidit, et textum, quem exhibent, anno 1856 Rudolphus Anger typis expressit [1]). Libro vix in publicum emisso editor comperit, apographum, quod Simonides bibliothecae Lipsiensi dederat, non id esse, quod in monte Atho e codice ipso se desumpsisse dixerat, sed aliud, quod Lipsiae adhibitis excerptis scriptorum ecclesiasticorum et versione latina confecerat. Editio princeps itaque inutilis erat. Cum autem brevi post apographum genuinum Simonidi ademtum et bibliothecae Lipsiensi traditum esset, Anger eius lectiones publicavit [2])

1) Hermae Pastor graece. Primum edidit R. Anger. Praefationem et indicem adiecit Guil. Dindorf. Lipsiae. — Editor textum graecum genuinum habuit, et omnes fere assensi sunt. Cf. *Literarisches Centralblatt* 1856. p. 745—748 (Lipsius). *Leipziger Repertorium* 1857. I. 1—8. Aliam sententiam Constantinus Tischendorf pronuntiavit. Invenire enim sibi visus est, textum non tam altero post Christum saeculo quam aetate media ortum neque eum esse, unde vetus interpres latinus hauserit, sed quo quis textum graecum deperditum compensaverit Latina convertens (Pastor Hermae p. VIII. Dressel, Patr. apost. p. XLVII). Sed erravit et codice Sinaitico invento sententiam retractavit (Dressel, Patr. ap. ed. II. Praef. p. IV). Nonnullos tantum locos ex Latinis fluxisse adhuc contendit. Argumenta autem, quae protulit, refutavit Lipsius in: *Literar. Centralblatt* 1864. p. 532 sq.

2) *Leipziger Repertorium der deutschen und ausländischen Literatur* 1856. III 138—147. Ibidem p. 129 sq. nonnulla de detectione fraudis Simonidis leguntur.

et consilium novae editionis parandae iniit. Eodem vero tempore negotium Pastoris graece edendi Const. Tischendorf in se suscepit et textum a se recensitum editioni operum patrum apostolicorum inserendum Alberto Dressel tradidit, centum exemplaria ipse vulgavit [1]), a. 1863 lectiones codicis Sinaitici in usum editionis Dresselianae secundae addidit. Res non valde promota est. Codicem quidem Lipsiensem Tischendorf accurate perquisivit, sed codicem tantum, non Pastorem edidit neglectis ceteris fontibus, e quibus textus hauriendus est quique sunt praeter codices graecos versiones latinae, versio aethiopica, scriptorum veterum e Pastore excerpta.

De versionibus et codice Lipsiensi iam disputavi, et de codice Sinaitico supra in Prolegomenis ad Barnabae epistulam (p. XIII) plura dicta sunt. Hic addendum est, scriptorem Pastoris alium esse ac librarium epistulae Barnabae, eundem autem, ut Tischendorf putat, cum eo, qui prophetas V. T. scripsit. Inter codicis correctiones eae, quas Sa (Tischendorf A) signavi, ad eandem omnino cum ipso textu aetatem referendae videntur. Corrector alter (seu Novi Testamenti tertius; N. T. corrector secundus Pastorem non attigit), quem insignivi Sc (Tischendorf Ca), aliquot saeculis postquam ex auctorum manibus prodiit, ad codicem accessit [2]), et textum procul dubio alio exemplari adhibito emendavit, nonnunquam autem etiam male mutavit [3]). Inter scriptores ecclesiasticos, qui ad textum recensendum aliquid conferunt, praesertim Pseudo-Athanasius et Antiochus Monachus (cf. supra p. CXI) nominandi sunt, qui multos Pastoris (praesertim Mandatorum) locos operibus suis tacite inseruerunt. Notandum vero est, illius Praecepta ad Antiochum in duobus codicibus exstare valde inter se divergentibus. Parisiensem (saec. XIV) primus Bernardus Montfaucon in Athanasii operum editione Parisiensi a. 1698 edidit; Guelferbytanum (saec. X) nuper Dindorf typis expressit idemque Parisiensem

1) Hermae Pastor graece etc. Lipsiae 1856.

2) Ita iudicat Tischendorf, Novum Testamentum Sinaiticum 1863. p. XXIII sq.

3) Cf. Gebhardt l. c. p. VI sq.

accurate collatum denuo publicavit [1]). Codex Guelferbytanus partem Praeceptorum priorem tantum (c. 1—11) eamque ab epitomatore in formam compendii redactam continet. Epitomator autem exemplari non solum multo antiquiore, sed etiam emendatiore usus est quam librarius codicis Parisiensis et nonnumquam etiam servavit [2]), quae in hoc codice omissa sunt, e. g. Mand. VII, 4; VIII, 12. Signavi utriumque codicem Ath; ubi alter ab altero discrepat, signavi Guelferbytanum Ath^1, Parisiensem Ath^2.

Omnes illos fontes primus diligenter Adolphus Hilgenfeld adhibuit [3]). Oscarus de Gebhardt autem rem denuo tractandam suscepit in eaque hoc modo [4]) versatus est. Ubi codex Sinaiticus superest, hunc quasi ducem secutus est, eum non deserens nisi reliquorum testimoniorum consensu vel alia quadam necessitate (interna ut ita dicam) adductus. Similiter in reliquis libri partibus codicem Lipsiensem pro fundamento posuit, adhibitis passim versionibus et scriptoribus veteribus, tum in emendandis scripturae vitiis, tum in lacunis explendis. Libri clausulam inde a Sim. IX c. 30, 3, ubi textus graecus deficit, latine edidit, sc. versiones latinas duas et versionem aethiopicam. Longe quidem abest, ut credat, se Hermae librum ita edidisse, ut iam nihil faciendum supersit. Sed non frustra laboravit. Plures locos feliciter emendavit, lacunas codicis Lipsiensis bene explevit. Via, quam ingressus est, usque dum novi fontes aperiuntur, omnino approbanda esse videtur, et ego eam persecutus sum. Neque vero ubique plane eundem textum exhibeo. Circiter viginti locos mutavi atque, ut mihi videor, emendavi vel textum ab aliis emendatum recepi, praesertim Vis. I. c. 1, 7; c. 2, 3; III. c. 1, 2; c. 3, 5; c. 5, 4; IV. c. 1, 2; c. 3, 4. Mand. XII. c. 2, 4; c. 4, 2. Sim. I, 4; VIII. c. 3,

1) Athanasii Alexandrini Praecepta ad Antiochum. Ad codices duos recensuit Guil. Dindorf. Lipsiae 1857.

2) Cf. Gebhardt l. c. p. XXXII sq.

3) Hermae Pastor. Graece e codicibus Sinaitico et Lipsiensi scriptorumque ecclesiasticorum excerptis etc. Lipsiae 1866.

4) Hermae Pastor graece etc. Lipsiae 1877. p. XXXVIII sq. Patrum apost. editionis Lipsiensis tertiae fasc. III.

3; c. 9, 1; IX. c. 6, 8; c. 18, 3. Lectiones variantes notavi, ubi aut a teste principali discessi aut duo saltem testes consentiunt aut ubi lectio maioris momenti est. Quae e versionibus tantum desumpta sunt et in codicibus et apud scriptores graecos deficiunt, ea uncinis inclusi.

Versionem latinam quam textui graeco addo, ego confeci adhibitis versionibus veteribus. Viri, qui Pastorem in linguas recentiores transtulerunt, fere iidem sunt, qui opera patrum apostolicorum verterunt quique iam supra p. XVI nominati sunt. Addendi sunt Valentinus Kobian [1]) et I. Chr. Nehringen [2]).

De doctrina Hermae inprimis disputaverunt Lumper [3]), Weinrich [4]), Jachmann [5]), Dorner [6]), Hilgenfeld [7]), Lipsius [8]), Gaàb [9]), Zahn [10]), Donaldson [11]).

Sigla, quibus in hac parte usus sum, haec sunt: S = codex Sinaiticus, Sa = primus corrector, Sc = corrector alter; G = codex Lipsiensis; L = versio latina utraque, L¹ = versio vulgata, L² = versio Palatina; A = versio aethiopica; Ath = Pseudo-Athanasius (cf. p. CXXX); Ant = Antiochus Monachus; Hg = Hilgenfeld; Gh = Gebhardt.

1) *Ein prophetisch gsatzbuch mit 5 gsichten, mit 12 gbotten, und 10 gleichnissen, Des Pastors oder hirten, der da gewest ist, eyn Englischer bot, oder verkünder der buss. Welches ist uberreicht worden dem Hermas, eynem Junger des heyligen Apostels Pauli. Volateranus schreibt, dass diser Hermas eyn bischoff zu Philippen gewest sei. Hagenauw* 1539.

2) *Des Heiligen Hermas des Jüngers Pauli und Bischoffs zu Philippopolis Sämmtliche Geistreiche Schrifften zum erstenmahl (?) nebst einem Vorbericht in teutscher Sprache herausgegeben* etc. Halae Magdeburg. 1718. Cf. Gebhardt l. c. p. XLI.

3) Historia theologico-critica I, 117–145.

4) Disquisitio in doctrinam moralem ab H. in Past. propos. 1804.

5) *Der Hirte des H.* p. 68—91.

6) *Lehre von der Person Christi* ed. II. 1845. p. 190—205.

7) *Apostolische Väter* p. 165–179.

8) *Zeitschr. f. wiss. Theologie* 1865 p. 266—308; 1866 p. 27–81; 1869 p. 249–311.

9) *Der Hirte des H.* 1866.

10) *Der Hirt des H.* 1868. *Jahrbücher für deutsche Theol.* 1870. p. 192–206.

11) *The Apostical Fathers* p. 351—382.

PATRUM APOSTOLICORUM
OPERA.

BAPNABA ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

I. Χαίρετε, υἱοὶ καὶ θυγατέρες, ἐν ὀνόματι κυρίου τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, ἐν εἰρήνῃ.

2. Μεγάλων μὲν ὄντων καὶ πλουσίων τῶν τοῦ θεοῦ δικαιωμάτων εἰς ὑμᾶς, ὑπέρ τι καὶ καθ' ὑπεροχὴν ὑπερευφραίνομαι ἐπὶ τοῖς μακαρίοις καὶ ἐνδόξοις ὑμῶν πνεύμασιν· οὕτως ἔμφυτον τῆς δωρεᾶς πνευματικῆς χάριν εἰλήφατε. 3. Διὸ καὶ μᾶλλον συγχαίρω ἐμαυτῷ ἐλπίζων σωθῆναι, ὅτι ἀληθῶς βλέπω ἐν ὑμῖν ἐκκεχυμένον ἀπὸ τοῦ πλουσίου τῆς πηγῆς κυρίου πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς. Οὕτω με ἐξέπληξεν ἐπὶ ὑμῶν ἡ ἐμοὶ ἐπιποθήτη ὄψις ὑμῶν. 4. Πεπεισμένος οὖν τοῦτο καὶ συνειδὼς ἐμαυτῷ, ὅτι ἐν ὑμῖν λαλήσας πολλὰ ἐπίσταμαι, ὅτι ἐμοὶ συνώδευσεν ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης κύριος, καὶ πάντως εἰς τοῦτο κἀγὼ ἀναγκάζομαι, ἀγαπᾶν ὑμᾶς ὑπὲρ τὴν ψυχήν μου· ὅτι μεγάλη πίστις καὶ ἀγάπη ἐγκατοικεῖ ἐν ὑμῖν ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αὐτοῦ. 5. Λογισάμενος οὖν τοῦτο, ὅτι ἐὰν μελήσῃ μοι περὶ ὑμῶν τοῦ μέρος τι μεταδοῦναι ἀφ' οὗ ἔλαβον, ὅτι ἔσται μοι τοιούτοις πνεύμασιν ὑπηρετήσαντι εἰς μισθόν, ἐσπούδασα κατὰ

Inscriptio c. S: C?

I, 1. Fere eandem salutationem exhibet liber, qui inscribitur *Iudicium Petri* vel *Duae viae.* Cf. Hilgenfeld, Nov. Test. extra canonem receptum IV 95. — *υἱοὶ κ. θυγ.*] sc. auctoris. Cf. I Cor. 4, 14. 15. 17. Gal. 4, 19. Harnack respiciens 1, 8; 4, 6. II Cor. 6, 18 supplet *τοῦ θεοῦ.*

2. *ὑμᾶς* c. S L; *ἡμᾶς* C | *ὑπεροχὴν* c. C cf. I Clem. 57, 2; *υπερβολην* S | *ὑμῶν: ἡμῶν* C | *οὕτως* c. L: *ουτο* S, *οὐ τὸ* C | *τῆς* om C — *μέν*] Non sequitur *δέ.* Sed cf. v. 5. — *δικαιωμάτων*] Haec vox, quae in s. scriptura saepissime, e. g. in Ps. 118 octies et vicies, in epistula nostra octies legitur, modo significat mandatum vel praeceptum (cf. Ps. 104, 45; 118, 5. 8. 112. Barn. 10, 2. 11; 16, 9; 21, 1. 5), modo, ut hic et 2, 1; 4, 11 sensum ampliorem habet denotatque decretum spectans ad salutem hominum. Vulgata vertit plerumque *iustificatio* vel *iustitia.* — *πνεύμασιν*] sc. lectorum; cf. v. 5. — *ἔμφυτον*] Cf. 9, 9. Iac. 1, 21. Latinus vertit *naturalem.*

EPISTULA BARNABAE.

I. Avete, filii et filiae, in nomine Domini, qui dilexit nos, in pace.

2. Quoniam magnae et divites sunt iustitiae, quas Deus fecit vobis, plus quam de ulla re ac supra modum gaudeo de spiritibus vestris beatis et praeclaris. Sic enim gratiam doni spiritualis insitam accepistis. 3. Propter quod magis mihimet ipsi gratulor, sperans me salvari, cum revera videam in vobis effusum ex abundantia fontis Domini spiritum super vos. Ita me obstupefecit propter vos aspectus vester mihi desideratissimus. 4. Persuasum igitur mihi habens mihique conscius, inter vos loquentem me multa scire, quoniam Dominus in via iustitiae me comitatus est, atque omnino ad hoc etiam ego cogor, ut vos diligam plus quam animam meam; magna enim fides et caritas inhabitat in vobis per spem vitae illius. 5. Considerans ergo hoc, quod, si propter vos mea intersit, eorum quae accepi partem aliquam communicare vobis, mihi mercedi erit, quippe qui talibus spi-

3. *πηγῆς* c. C L: *αγαπης* S | *ἐμοὶ* c. C: om S | *ἐπιποθήτῃ* c. S cf. I Clem. 65, 1: *ἐπιπόθητος* C — *συγχαίρω*] Cf. Philipp. 2, 17. 18. — *τ. πλουσίου*] = *τ. πλούτου*.

4. *εἰς τοῦτο κ. ἀναγκάζομαι* c. C L: *ἀναγκ. κ. εἰς τ.* S | *ἐπ'* c. C: om S — *καὶ πάντως*] Rationem alteram, ob quam lectores diligit, auctor dicere incipit, sc. *ὅτι μεγάλη πίστις κτλ.* Prima est, quia ipse magnos fructus percepit verbum Dei inter eos praedicans. — *κἀγώ*] sc. sicut alii. — *ὑπὲρ τ. ψυχήν*] Cf. 4, 6; 19, 5. — *ἐπ' ἐλπ. ζωῆς*] Cf. Tit. 1, 2; 3, 7.

5. Clem. Al. Strom. II c. 6, 31 p. 445 ed. Potter (*ἀφ' οὗ κτλ.*) — Auctor postquam de gratia Dei et de virtutibus lectorum locutus est, tandem addit, se de fide aliqua disserturum esse, ut et illis et sibimet ipsi prosit. — *ὅτι*] Particula repetitur. — *τελείαν τ. γνῶσιν*] Cf. 13, 7. I Clem. 1, 2. *Γνῶσις* auctori est profundior cognitio oeconomiae et mandatorum veteris testamenti — homini *christiano* reclusa. H. Cf. 6, 9; 9, 8; 10, 1—12.

μικρὸν ὑμῖν πέμπειν, ἵνα μετὰ τῆς πίστεως ὑμῶν τελείαν ἔχητε τὴν γνῶσιν. 6. Τρία οὖν δόγματά ἐστιν κυρίου· ζωῆς ἐλπὶς ἀρχὴ καὶ τέλος πίστεως ἡμῶν· καὶ δικαιοσύνη κρίσεως ἀρχὴ καὶ τέλος· ἀγάπη εὐφροσύνης καὶ ἀγαλλιάσεως ἔργων δικαιοσύνης μαρτυρία. 7. Ἐγνώρισεν γὰρ ἡμῖν ὁ δεσπότης διὰ τῶν προφητῶν τὰ παρεληλυθότα καὶ τὰ ἐνεστῶτα, καὶ τῶν μελλόντων δοὺς ἀπαρχὰς ἡμῖν γεύσεως. Ὧν τὰ καθ᾿ ἕκαστα βλέποντες ἐνεργούμενα, καθὼς ἐλάλησεν, ὀφείλομεν πλουσιώτερον καὶ ὑψηλότερον προσάγειν τῷ φόβῳ αὐτοῦ. 8. Ἐγὼ δὲ οὐχ ὡς διδάσκαλος, ἀλλ᾿ ὡς εἷς ἐξ ὑμῶν ὑποδείξω ὀλίγα, δι᾿ ὧν ἐν τοῖς παροῦσιν εὐφρανθήσεσθε.

II. Ἡμερῶν οὖν οὐσῶν πονηρῶν καὶ αὐτοῦ τοῦ ἐνεργοῦντος ἔχοντος τὴν ἐξουσίαν, ὀφείλομεν ἑαυτοῖς προσέχοντες ἐκζητεῖν τὰ δικαιώματα κυρίου. 2. Τῆς οὖν πίστεως ἡμῶν εἰσὶν βοηθοὶ φόβος καὶ ὑπομονή, τὰ δὲ συμμαχοῦντα ἡμῖν μακροθυμία καὶ ἐγκράτεια· 3. τούτων οὖν μενόντων τὰ πρὸς κύριον ἁγνῶς, συνευφραίνονται αὐτοῖς σοφία, σύνεσις, ἐπιστήμη, γνῶσις. 4. Πεφανέρωκεν γὰρ ἡμῖν διὰ πάντων τῶν προφητῶν, ὅτι οὔτε θυσιῶν οὔτε ὁλοκαυτωμάτων οὔτε προσφορῶν χρῄζει, λέγων ὁτὲ μέν· 5. *Τί μοι πλῆθος τῶν θυσιῶν ὑμῶν; λέγει κύριος. Πλήρης εἰμὶ ὁλοκαυτωμάτων, καὶ στέαρ ἀρνῶν καὶ αἷμα ταύρων καὶ τράγων οὐ βούλομαι, οὐδ᾿ ἂν ἔρχησθε ὀφθῆναί μοι. Τίς γὰρ ἐξεζήτησεν ταῦτα ἐκ τῶν χειρῶν ὑμῶν; Πατεῖν μου τὴν αὐλὴν οὐ προσθήσεσθε. Ἐὰν φέρητε σεμίδαλιν, μάταιον· θυμίαμα βδέλυγμά μοί ἐστιν· τὰς*

6. ζωῆς c. C L: ζωη S | ἐλπὶς — ἡμῶν c. C: *πιστις ελπις· αρχη· και τελος ημων* S | *ευφροσυνη* S | *δικαιοσύνης* em: *δικαιοσυνη* C, *εν δικαιοσυναις* S — *τρία δόγματα*] i. e. constitutiones vel praecepta Dei, in quibus sensus aliquis gravis et arcanus inest. Harnack. Cf. 9, 7; 10, 1. 9. 10. — *ζωῆς ἐλπίς*] Cf. 1, 4; 4, 8; 6, 3; 11, 11; 16, 2. Cod. C post *ζωῆς* punctum ponens hoc vocabulum cum *κυρίου* coniungit. Sed Barnabas semper simpliciter de *Domino* loquitur. -- *δικαιοσύνη κτλ.*] Cf. 1, 4; 4, 12; 5, 4; 13, 7; 20, 2. — *ἀγάπη*] Cf. 1, 4; 11, 8; 21, 9. — *εὐφροσύνης*] Cf. 7, 1; 10, 11 (*ἔργον εὐφροσύνης*). — *ἔργων*] Cf. 4, 1. 10; 10, 11; 19, 1; 21, 1.

7. *ἡμῖν* pr. c. S: *ὑμῖν* C, om L | *φόβῳ* c. S C: *βωμῷ* L — *τὰ παρεληλυθότα κτλ.*] Cf. 5, 3; 17, 2. Ies. 42, 9. Harnack contulit Iust. Apol. I c. 52. Theoph. ad Autol. I. c. 14; II c. 9. 33. Iren. adv. haer. IV c. 33, 1. Tert. Apol. c. 20. Hippol. de Chr. et Antichr. c. 2, ubi similia leguntur. — *πλουσιώτερον κ. ὑψηλ.*] Haec verba de ampliore et altiore cognitione intellegenda sunt, quam auctor lectoribus praebere vult. Cf. 1, 2. 3; 9, 7;

ritibus ministraverim, studui breviter vobis scribere, ut cum fide vestra perfectam habeatis cognitionem. 6. Tria igitur dogmata sunt Domini: vitae spes initium et finis fidei nostrae; et iustitia iudicii initium et finis; caritas in hilaritate et laetitia operum iustitiae testimonium. 7. Cognita enim fecit nobis Dominus per prophetas praeterita et praesentia, et futurorum primitias gustandi potestatem nobis dedit. Quae in suo quaeque ordine evenire videntes, sicut locutus est, divitiores et altiores accedere debemus ad eius timorem. 8. Ego autem non ut magister, sed ut unus ex vobis ostendam pauca, per quae in praesentibus hilares sitis.

II. Cum dies igitur mali sint et operans ipse potestatem habeat, nobismet ipsis animum attendentes disquirere debemus iustificationes Domini. 2. Fidei nostrae ergo adiutores sunt timor et patientia; quae autem nobis opem ferunt, sunt longanimitas et continentia. 3. Quae dum in iis, quae ad Dominum spectant, caste manent, una cum iis laetantur sapientia, intellectus, scientia, cognitio. 4. Adaperuit enim nobis per omnes prophetas, neque sacrificiis neque holocaustis neque oblationibus sibi opus esse, aliquando dicens: 5. *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus. Plenus sum holocaustis et adipem agnorum et sanguinem taurorum et hircorum nolo, nec si veniatis, ut a me videamini. Quis enim quaesivit haec de manibus vestris? Aulam meam ultra non calcabitis. Si obtuleritis similaginem, vanum; incensum abominatio mihi*

19, 2. — *προσάγειν*] Intransitive cf. 2, 9. Act. 27, 27. Ios. 3, 9. — *φόβῳ*] Cf. 2, 2; 4, 11; 11, 11; 19, 5; 20, 2.

8. *εὐφρανθήσεσθε* c. S L: *εὐφρανθησόμεθα* C — *οὐχ ὡς κτλ.*] Cf. 4, 6. 9. Auctor non ut doctor loqui vult, quamquam doctor fuit. — *ἐν τ. παροῦσιν*] i. e. in rebus adhuc tam adversis. Volkmar. Cf. 2, 1; 8, 6. — *εὐφρανθήσεσθε*] Cf. Phil. 1, 25; 3, 1; 4, 4. I Ioann. 1, 4.

II, 1. *οὖν* c. S L: om C — *ἡμερῶν πονηρῶν*] Cf. Eph. 5, 16. — *κ. αὐτοῦ τ. ἐνεργοῦντος* (i. e. diabolus) *ἔχ. τ. ἐξ.*] Eadem verba leguntur Bab. Kam. 60a, ut vidit Güdemann, Religionsgeschichtl. Studien 1876 p. 128. Cf. Eph. 2, 2. II Thess. 2, 9. 11.

2–3. Clem. Al. Strom. II c. 6, 31 p. 445. — *καὶ* p. *φόβος* c. Clem L: om S C.

3. *οὖν* c. C Clem: om S L — *τὰ πρὸς κύριον*] potius cum Clemente Al. ad *μενόντων* quam ad *συνευφραίνονται* referenda sunt. Auctor illas quoque virtutes poscit, quia scientia sola inflat. Cf. I Cor. 8, 1. II Petr. 1, 5. 6.

4. Incipit disquisitio *τῶν δικαιωμάτων κυρίου* cf. 2, 1.

νεομηνίας ὑμῶν καὶ τὰ σάββατα οὐκ ἀνέχομαι. 6. Ταῦτα οὖν κατήργησεν, ἵνα ὁ καινὸς νόμος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἄνευ ζυγοῦ ἀνάγκης ὤν, μὴ ἀνθρωποποίητον ἔχῃ τὴν προσφοράν. 7. Λέγει δὲ πάλιν πρὸς αὐτούς· *Μὴ ἐγὼ ἐνετειλάμην τοῖς πατράσιν ὑμῶν ἐκπορευομένοις ἐκ γῆς Αἰγύπτου, προσενέγκαι μοι ὁλοκαυτώματα καὶ θυσίας;* 8. *Ἀλλ' ἢ τοῦτο ἐνετειλάμην αὐτοῖς· Ἕκαστος ὑμῶν κατὰ τοῦ πλησίον ἐν τῇ καρδίᾳ ἑαυτοῦ κακίαν μὴ μνησικακείτω, καὶ ὅρκον ψευδῆ μὴ ἀγαπᾶτε.* 9. Αἰσθάνεσθαι οὖν ὀφείλομεν, μὴ ὄντες ἀσύνετοι, τὴν γνώμην τῆς ἀγαθωσύνης τοῦ πατρὸς ἡμῶν· ὅτι ἡμῖν λέγει, θέλων ἡμᾶς μὴ ὁμοίως πλανομένους ἐκείνοις ζητεῖν, πῶς προσάγωμεν αὐτῷ. 10. Ἡμῖν οὖν οὕτως λέγει· *Θυσία τῷ κυρίῳ καρδία συντετριμμένη, ὀσμὴ εὐωδίας τῷ κυρίῳ καρδία δοξάζουσα τὸν πεπλακότα αὐτήν.* Ἀκριβεύεσθαι οὖν ὀφείλομεν, ἀδελφοί, περὶ τῆς σωτηρίας ἡμῶν, ἵνα μὴ ὁ πονηρὸς παρείσδυσιν πλάνης ποιήσας ἐν ἡμῖν ἐκσφενδονήσῃ ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ζωῆς ἡμῶν.

III. Λέγει οὖν πάλιν περὶ τούτων πρὸς αὐτούς· *Ἱνατί μοι νηστεύετε, λέγει κύριος, ὡς σήμερον ἀκουσθῆναι ἐν κραυγῇ τὴν φωνὴν ὑμῶν; Οὐ ταύτην τὴν νηστείαν ἐγὼ ἐξελεξάμην, λέγει κύριος, οὐκ ἄνθρωπον ταπεινοῦντα τὴν ψυχὴν αὐτοῦ,* 2. *οὐδ' ἂν κάμψητε ὡς κρίκον τὸν τράχηλον ὑμῶν καὶ σάκκον ἐνδύσησθε καὶ σποδὸν ὑποστρώσητε, οὐδ' οὕτως καλέσετε νηστείαν δεκτήν.* 3. Πρὸς ἡμᾶς δὲ λέγει· *Ἰδοὺ αὕτη ἡ νηστεία, ἣν ἐγὼ ἐξελεξάμην, λέγει κύριος· λύε πάντα σύνδεσμον ἀδικίας, διάλυε στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, ἀπόστελλε τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει καὶ*

5. *ὁλοκαυτωμάτων* c. S: add *κριῶν* CL LXX | *ἐὰν* c. C L: *ουδε εαν* S — Ies. 1, 11—13. Eadem verba laudat Clem. Al. Paedag. III c. 12, 90 p. 305. Cf. Iust. Apol. I c. 37. Tert. de idol. c. 14. adv. Marc. I c. 20. II c. 18. 19. 22 etc.

6. *ἄνευ* c. S: *ἄτερ* C | *προσφορὰν* c. S L: *συμφορὰν* C — *κατήργησεν*] Cf. Eph. 2, 15. Rom. 3, 31. — *ἄνευ ζ. ἀνάγκης*] Cf. Gal. 5, 1. Act. 15, 10, ubi veteri testamento hominibus iugum servitutis imponenti opponitur novum, quod Iacobus 1, 25 legem perfectam libertatis vocat. — *μὴ ἀνθρωποποίητον*] i. e. sacrificium ne sit ab hominibus institutum, quod in rebus externis versetur, sed sit *θεοποίητον*, quod Dei naturae respondeat, spirituale. Volkmar.

7. Ier. 7, 22. 23.

8. *ἑαυτοῦ* c. S: *αὐτοῦ* C LXX — *ἕκαστος κτλ.*] Zach. 8. 17.

9. *οὖν* c. S L: om C — *πλανομένους*] i. e. praecepta Dei male intellegentes ac praesertim sacrificia

est; numenias vestras et sabbata non sustineo. 6. Haec igitur abrogavit, ut nova lex Domini nostri Jesu Christi, quae sine iugo necessitatis est, oblationem habeat non factam ab hominibus. 7. Dicit autem illis iterum: *Numquid ego mandavi patribus vestris, cum exierunt e terra Aegypti, ut mihi offerant holocausta et sacrificia?* 8. *Sed hoc praecepi iis: Unusquisque vestri adversus proximum suum ne malum cogitet in corde suo, et iuramentum mendax ne diligatis.* 9. Intellegere ergo debemus, cum non insipientes simus, sensum bonitatis patris nostri; loquitur enim nobis, nolens nos similiter illis errantes quaerere, quomodo accedamus ad ipsum. 10. Nobis igitur sic dicit: *Sacrificium Domino cor contritum, odor suavitatis Domino cor glorificans eum, qui plasmavit ipsum.* Accurate ergo, fratres, inquirere debemus de salute nostra, ne seducturus nos nequam irrepat in nos et nos eiciat a vita nostra.

III. Dicit ergo illis iterum de his rebus: *Quo ieiunatis mihi, dicit Dominus, ut hodie audiatur vox vestra in clamore? Non tale ieiunium ego elegi, dicit Dominus, non hominem animam suam humiliantem,* 2. *neque si flexeritis quasi circulum collum vestrum et saccum indueritis et cinerem straveritis, neque sic vocabitis ieiunium acceptum.* 3. Nobis autem dicit: *Ecce hoc ieiunium, quod ego elegi, dicit Dominus: solve omne vinculum iniustitiae, dissolve obligationes contractuum violentorum, dimitte fractos in remissione et*

offerentes. — *ἐκείνοις*] sc. Iudaeis, ut infra 3, 6; 4, 6; 8, 7; 9, 6 etc.

10. *κυρίῳ* pr. c. C L: *θῷ* S | *οὖν* c. S L: om C — Ps. 50, 19. Verba *ὀσμὴ κτλ.* in s. scriptura desunt et deprompta esse videntur e libro apocrypho. Laudantur etiam ab Irenaeo adv. haer. IV c. 17, 2 (ed. Stieren I 609) et a Clem. Al. Paed. III c. 12, 90 p. 306. Latinus verbis apocryphis suppressis versum psalmi totum proposuit. — *ὀσμὴ εὐ.*] Eph. 5, 2. Phil. 4, 18. Gen. 8, 21. Num. 29, 2. 8. 11. 13 etc. — *ὁ πονηρός*] i. e. Satanas.

III, 1—2. Ies. 58, 4. 5. — *ἐν* c. C L: om S | *λέγει κ. οὐκ ἄνθ. ταπεινοῦντα* c. S L: *ἡμέραν ἄνθρωπον ταπεινοῦντα* C LXX.

2. *οὐδ' ἂν* c. S Clem. Al. Paed. III c. 12, 90 p. 305: *οὐδὲ ἐὰν* C | *ἐνδύσησθε* c. C L: om S LXX | *κ. σπ. ὑποστρώσητε* om C.

3—5. Ies. 58, 6—10. — *κύριος* c. C coll L et Clem. Al. l. c.: add *ουκ ανθρωπον ταπεινουντα την ψυχην*

πᾶσαν ἄδικον συγγραφὴν διάσπα. Διάθρυπτε πεινῶσιν τὸν ἄρτον σου, καὶ γυμνὸν ἐὰν ἴδῃς περίβαλε· ἀστέγους εἴσαγε εἰς τὸν οἶκον σου, καὶ ἐὰν ἴδῃς ταπεινόν, οὐχ ὑπερόψῃ αὐτόν, οὐδὲ ἀπὸ τῶν οἰκείων τοῦ σπέρματός σου. 4. *Τότε ῥαγήσεται πρώϊμον τὸ φῶς σου, καὶ τὰ ἱμάτιά σου ταχέως ἀνατελεῖ, καὶ προπορεύσεται ἔμπροσθέν σου ἡ δικαιοσύνη, καὶ ἡ δόξα τοῦ θεοῦ περιστελεῖ σε·* 5. *τότε βοήσεις, καὶ ὁ θεὸς ἐπακούσεταί σου, ἔτι λαλοῦντός σου ἐρεῖ· Ἰδοὺ πάρειμι· ἐὰν ἀφέλῃς ἀπὸ σοῦ σύνδεσμον καὶ χειροτονίαν καὶ ῥῆμα γογγυσμοῦ, καὶ δῷς πεινῶντι τὸν ἄρτον σου ἐκ ψυχῆς σου καὶ ψυχὴν τεταπεινωμένην ἐλεήσῃς.* 6. Εἰς τοῦτο οὖν, ἀδελφοί, ὁ μακρόθυμος προβλέψας, ὡς ἐν ἀκεραιοσύνῃ πιστεύσει ὁ λαός, ὃν ἡτοίμασεν τῷ ἠγαπημένῳ αὐτοῦ, προεφανέρωσεν ἡμῖν περὶ πάντων, ἵνα μὴ προσρησσώμεθα ὡς προσήλυτοι τῷ ἐκείνων νόμῳ.

IV. Δεῖ οὖν ἡμᾶς περὶ τῶν ἐνεστώτων ἐπιπολὺ ἐρευνῶντας ἐκζητεῖν τὰ δυνάμενα ἡμᾶς σώζειν. Φύγωμεν οὖν τελείως ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων τῆς ἀνομίας, μήποτε καταλάβῃ ἡμᾶς τὰ ἔργα τῆς ἀνομίας· καὶ μισήσωμεν τὴν πλάνην τοῦ νῦν καιροῦ, ἵνα εἰς τὸν μέλλοντα ἀγαπηθῶμεν. 2. Μὴ δῶμεν τῇ ἑαυτῶν ψυχῇ ἄνεσιν, ὥστε ἔχειν αὐτὴν ἐξουσίαν μετὰ ἁμαρτωλῶν καὶ πονηρῶν συντρέχειν, μήποτε ὁμοιωθῶμεν αὐτοῖς. 3. Τὸ τέλειον σκάνδαλον ἤγγικεν, περὶ οὗ γέγραπται, ὡς Ἑνὼχ λέγει. Εἰς τοῦτο γὰρ ὁ δεσπότης συντέτμηκεν τοὺς καιροὺς καὶ τὰς ἡμέρας, ἵνα ταχύνῃ ὁ ἠγαπημένος αὐτοῦ καὶ ἐπὶ τὴν κληρονομίαν ἥξῃ. 4. Λέγει δὲ

αυτου αλλα S cf. v. 1 | *πάντα* c. C: *παν* S.

4. *ἱμάτια* c. S C L Iust. Dial. c. 15. Tert. de resurr. c. 27. Cypr. Testim. III c. 1; de op. et eleem. c. 4 etc.: *ἰάματα* LXX S** | *πορεύσεται* C | *δικαιοσύνη* c. S L: add *σου* C LXX.

5. *βοήσεις* c. S: *βοήσῃ* C LXX | *ἐπακούσεται* c. S: *εἰσακ.* C LXX | *ἐλεήσῃς* c. S (*ελαιησεις*): *ἐμπλήσῃς* C LXX — *χειροτονίαν*] sc. ad dandum falsum testimonium vel ad irridendum et decipiendum.

6. *τῷ* c. C L: *εν τω* S | *προεφαν.* c. C L: add *γαρ* S | *προσήλυτοι* c. C L: *επιλυτοι* S — *ἐν ἀκεραιοσύνῃ*] i. e. legis iudaicae opera non admiscendo. Harnack. Auctor de fide in cognitione perfecta loquitur et sensum allegoriae altiorem appellat simplicem. Cf. 6, 5; 8, 2. Müller ad h. l. — *ἠγαπημένῳ*] i. e. Christo. Cf. 4, 3. 8. Eph. 1, 6.

IV, 1. *ἐπιπολὺ* c. S; *πολὺ* C — *ἐνεστώτων*] Cf. 1, 8; 2, 1. — *φύγωμεν κτλ.*] Cf. II Clem. 10, 1. — *ὁ νῦν καιρός*] ut sequens *ὁ μέλλων* indicat, idem significat, quod in N. T. *ὁ κόσμος οὗτος* (Ioann. 16, 11), *ὁ ἐνεστὼς αἰών* (Gal. 1, 4), *ὁ αἰὼν οὗτος*

omnem syngrapham iniquam discerpe. Frange esurientibus panem tuum et cum nudum videris, operi eum; eos, qui sine tecto sunt, induc in domum tuam et cum videris humilem, ne despexeris eum neque avertas te ab iis, qui ex tuo semine sunt. 4. *Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et praeibit ante te iustitia et gloria Dei circumdabit te;* 5. *Tunc clamabis, et Deus exaudiet te, adhuc te loquente dicet: Ecce adsum; si abstuleris a te colligationem et manuum porrectionem et verbum murmurationis, et dederis esurienti panem tuum ex animo tuo et animae humiliatae miserearis.* 6. Ad hoc igitur, fratres, Deus longanimis providit, quomodo in simplicitate crediturus esset populus, quem paravit dilecto suo, et nos de omnibus praemonuit, ne tanquam proselyti affligeremur ad illorum legem.

IV. Itaque oportet nos de praesentibus plurimum scrutantes exquirere, quae nos possint salvare. Fugiamus ergo plane ab omnibus operibus iniquitatis, ne opera iniquitatis nos deprehendant, et odio habeamus errorem huius temporis, ut in futuro diligamur. 2. Ne demus animae nostrae spatium, ut potestatem habeat discurrendi cum peccatoribus et improbis, ne quando illis similes fiamus. 3. Perfectum scandalum appropinquavit, de quo scriptum est, ut Henoch dicit. Ad hoc enim Dominus abbreviavit tempora et dies, ut properaret dilectus suus et in hereditatem veniret. 4. Dicit autem sic

(I Cor. 2, 6. Eph. 1, 21), *ὁ αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου* (Eph. 2, 2) etc. i. e. tempus, quo in hac carne ambulamus, vel tempus ab Adam usque ad reditum Christi. *Πλάνη τοῦ ν. κ.* est igitur idem ac *opus iniquitatis*, nequitia quaecunque. Cf. 18, 2. — ἀγαπηθῶμεν] i. e. salvi fiamus. Cf. 4, 14; 21, 6.

2. *αὐτὴν* c. S: *τὴν* C.

3. *Ἐνὼχ* c. S C: *Daniel* L — *τὸ τ. σκάνδαλον*] Verba quidem ipsa in libro Enochi desiderantur. Sed auctor fortasse respicit 89, 61—64 et 90, 17. Enochus enim Barnabae, ut recte dixit Hilgenfeld, non tam *τὸ τ. σκάνδαλον* adventurum ipsum quam *τὸ τ. σκ. περὶ οὗ γέγραπται*, vel scriptione caelesti notatum, testari videtur. — *εἰς τοῦτο κτλ.*] Cf. Dan. 9, 24. 27. Matth. 24, 6. 22. Marc. 13, 7. 20.

4. *βασιλεῖαι* c. S L: *βασιλεῖς* C LXX | *ὄπισθεν* c. C L: add *αυτων* S LXX — Dan. 7, 24. Auctor locum non accurate laudavit, sed aliquot prophetae verba omisit, alia adiecit, praesertim *ὑφ' ἕν*. Haud dubie demonstrare voluit, Danielis phrophetiam suo tempore impletam esse. Nec tamen verbis satis perspicuis

οὕτως καὶ ὁ προφήτης· *Βασιλεῖαι δέκα ἐπὶ τῆς γῆς βασιλεύσουσιν, καὶ ἐξαναστήσεται ὄπισθεν μικρὸς βασιλεύς, ὃς ταπεινώσει τρεῖς ὑφ' ἓν τῶν βασιλέων.* 5. Ὁμοίως περὶ τοῦ αὐτοῦ λέγει Δανιήλ· *Καὶ εἶδον τὸ τέταρτον θηρίον τὸ πονηρὸν καὶ ἰσχυρὸν καὶ χαλεπώτερον παρὰ πάντα τὰ θηρία τῆς θαλάσσης, καὶ ὡς ἐξ αὐτοῦ ἀνέτειλεν δέκα κέρατα, καὶ ἐξ αὐτῶν μικρὸν κέρας παραφυάδιον, καὶ ὡς ἐταπείνωσεν ὑφ' ἓν τρία τῶν μεγάλων κεράτων.* 6. Συνιέναι οὖν ὀφείλετε. Ἔτι καὶ τοῦτο ἐρωτῶ ὑμᾶς ὡς εἷς ἐξ ὑμῶν ὤν, ἰδίως δὲ καὶ πάντας ἀγαπῶν ὑπὲρ τὴν ψυχήν μου, προσέχειν ἑαυτοῖς καὶ μὴ ὁμοιοῦσθαί τισιν ἐπισωρεύοντας ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν λέγοντας, ὅτι ἡ διαθήκη ἡμῶν ἡμῖν μένει. 7. Ἀλλ' ἐκεῖνοι οὕτως εἰς τέλος ἀπώλεσαν αὐτὴν λαβόντος ἤδη τοῦ Μωϋσέως. Λέγει γὰρ ἡ γραφή· *Καὶ ἦν Μωϋσῆς ἐν τῷ ὄρει νηστεύων ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα καὶ ἔλαβεν τὴν διαθήκην ἀπὸ τοῦ κυρίου, πλάκας λιθίνας γεγραμμένας τῷ δακτύλῳ τῆς χειρὸς τοῦ κυρίου.* 8. Ἀλλὰ ἐπιστραφέντες ἐπὶ τὰ εἴδωλα ἀπώλεσαν αὐτήν. Λέγει γὰρ οὕτως κύριος· *Μωϋσῆ Μωϋσῆ, κατάβηθι τὸ τάχος, ὅτι ἠνόμησεν ὁ λαός σου, οὓς ἐξήγαγες ἐκ γῆς Αἰγύπτου.* Καὶ συνῆκεν Μωϋσῆς καὶ ἔρριψεν τὰς δύο πλάκας ἐκ τῶν χειρῶν αὐτοῦ· καὶ συνετρίβη αὐτῶν ἡ διαθήκη, ἵνα ἡ τοῦ ἠγαπημένου Ἰησοῦ ἐγκατασφραγισθῇ εἰς τὴν καρδίαν ἡμῶν ἐν ἐλπίδι τῆς πίστεως αὐτοῦ. 9. Πολλὰ δὲ θέλων γράφειν, οὐχ ὡς διδάσκαλος, ἀλλ' ὡς πρέπει ἀγαπῶντι ἀφ' ὧν ἔχομεν μὴ ἐλλείπειν, γράφειν ἐσπούδασα, περίψημα ὑμῶν. Διὸ προσέχωμεν ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις· οὐδὲν γὰρ ὠφελήσει ἡμᾶς ὁ πᾶς χρόνος τῆς ζωῆς ἡμῶν καὶ τῆς πίστεως, ἐὰν μὴ νῦν ἐν τῷ ἀνόμῳ καιρῷ καὶ

usus est, unde tempus, quo scripsit, nunc certe explorari posset. Cf. Prolegomena c. 4.

5. *εἶδον* c. S L: *εἶδε* C | *τὸ πον.* c. C: *πονηρον* S | *θαλάσσης* c. C L: *γης* S — Dan. 7, 7. 8.

6. *ἔτι* c. C L: add *δε* S | *προσέχειν* c. C L: add *νυν* S | *επισωρευοντες* S | *ἡμῶν ἡμῖν μένει* em: *ημων μεν* S, *ὑμῶν ὑμῖν μένει* C, *illorum et nostrum est; nostrum est autem* L — Auctor lectores monet, ne Iudaeorum (*τισίν*) instar nimiam fiduciam in testamento collocantes peccatum temere parvi ducant. Cf. Sirach 5, 4—6. Iudaeos enim addit testamentum perdidisse. Simile quidquam etiam Christianis accidere posse, infra v. 9—14 exponitur.

7. *τοῦ* p. *χειρὸς* om C — Exod. 31, 18; 34, 28. Auctor duos scripturae versus quasi in unum contrahit.

8. *εριψεν* S — Exod. 32, 7. Deut. 9,

et propheta: *Decem regna in terra regnabunt, et postea resurget rex parvus, qui tres simul regum humiliabit.* 5. Similiter de eadem re dicit Daniel: *Et vidi quartam bestiam, nequam et fortem et saeviorem quam omnes bestias maris, et quomodo ex ea exorta fuerint decem cornua et ex illis parvulum cornu subnatum et quomodo simul humiliaverit tria magnorum cornuum.* 6. Intellegere ergo debetis. Adhuc et hoc rogo vos tanquam unus ex vobis, singulari amore etiam omnes amans plus quam animam meam, ut vobis attendatis neque similes fiatis quibusdam, peccata vestra accumulantes dicentes, quod testamentum nostrum nobis manet. 7. At illi sic in perpetuum perdiderunt testamentum a Mose iam acceptum. Dicit enim scriptura: *Et Moses fuit in monte ieiunans quadraginta dies ac quadraginta noctes et accepit testamentum a Domino, tabulas lapideas scriptas digito manus Domini.* 8. Sed ad idola se convertentes perdiderunt illud. Dicit enim sic Dominus: *Moses Moses, descende celeriter, quoniam peccavit populus tuus, quem e terra Aegypti eduxisti.* Et intellexit Moses et proiecit duas tabulas de manibus suis, et confractum est testamentum eorum, ut testamentum dilecti Jesu in corde nostro consignaretur in spe fidei ipsius. 9. Multa autem volens scribere, non ut doctor, sed ut decet diligentem nihil eorum quae habemus praeterire, scribere studui, peripsema vestri. Propterea adtendamus in novissimis diebus; nihil enim proderit nobis omne tempus vitae nostrae et fidei, nisi nunc in hoc tempore iniquo et

12. — *συνῆκεν*] sc. foedus, quod Dominus cum Iudaeis inierat, horum perfidia iam diremtum esse. — *ἔρριψεν κτλ.*] Exod. 32, 19.

9. *διὸ* h. l. c. L: ante *περίψημα* S C | *προσέχωμεν* c. L: *προσεχομεν* S C | *ἡμᾶς* c. C L: *ὑμας* S | *τ. ζωῆς ἡ. κ. τ. π.* c. L: *τῆς ζ. ἡμῶν* C, *τ. πιστεως ὑμων* S — *μὴ ἐλλείπειν*] etiam ad *γρ. ἐσπούδασα* referri potest. — *περίψημα ὑμῶν*] i. e. omnia pro vobis et facere et pati paratus. H. Cf. 6, 5. Ign. Eph. 8, 1; 18, 1. Eus. h. e. VII c. 22, 7. I Cor. 4, 13. Dionysius Alex. apud Eus. l. c. dicit, verbum ad officiosam comitatem declarandam vulgo adhibitum esse. — *διό*] Haec particula respicit ad finem v. 8. Verba praecedentia pro parenthesi habenda sunt. — *ὁ μέλας*] i. e. diabolus. Cf. 20, 1. Güdemann l. c. contulit מגויל Kidd. 30a.

τοῖς μέλλουσιν σκανδάλοις, ὡς πρέπει υἱοῖς θεοῦ, ἀντιστῶμεν. 10. Ἵνα οὖν μὴ σχῇ παρείσδυσιν ὁ μέλας, φύγωμεν ἀπὸ πάσης ματαιότητος, μισήσωμεν τελείως τὰ ἔργα τῆς πονηρᾶς ὁδοῦ. **Μὴ καθ' ἑαυτοὺς** ἐνδύνοντες μονάζετε ὡς ἤδη δεδικαιωμένοι, ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνερχόμενοι συνζητεῖτε περὶ τοῦ κοινῇ συμφέροντος. 11. Λέγει γὰρ ἡ γραφή· *Οὐαὶ οἱ συνετοὶ ἐν ἑαυτοῖς καὶ ἐνώπιον ἑαυτῶν ἐπιστήμονες.* Γενώμεθα πνευματικοί, γενώμεθα ναὸς τέλειος τῷ θεῷ. Ἐφ' ὅσον ἐστὶν ἐν ἡμῖν, μελετῶμεν τὸν φόβον τοῦ θεοῦ καὶ φυλάσσειν ἀγωνιζώμεθα τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ἵνα ἐν τοῖς δικαιώμασιν αὐτοῦ εὐφρανθῶμεν. 12. Ὁ κύριος *ἀπροσωπολήπτως κρινεῖ* τὸν κόσμον. Ἕκαστος καθὼς ἐποίησεν κομιεῖται. Ἐὰν ᾖ ἀγαθός, ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ προηγήσεται αὐτοῦ· ἐὰν ᾖ πονηρός, ὁ μισθὸς τῆς πονηρίας ἔμπροσθεν αὐτοῦ· 13. ἵνα μήποτε ἐπαναπαυόμενοι ὡς κλητοὶ ἐπικαθυπνώσωμεν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν, καὶ ὁ πονηρὸς ἄρχων λαβὼν τὴν καθ' ἡμῶν ἐξουσίαν ἀπώσηται ἡμᾶς ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ κυρίου. 14. Ἔτι δὲ κἀκεῖνο, ἀδελφοί μου, νοεῖτε· ὅταν βλέπετε μετὰ τηλικαῦτα σημεῖα καὶ τέρατα γεγονότα ἐν τῷ Ἰσραήλ, καὶ οὕτως ἐγκαταλελεῖφθαι αὐτούς· προσέχωμεν, μήποτε, ὡς γέγραπται, *πολλοὶ κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ* εὑρεθῶμεν.

V. Εἰς τοῦτο γὰρ ὑπέμεινεν ὁ κύριος παραδοῦναι τὴν σάρκα εἰς καταφθοράν, ἵνα τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν ἁγνισθῶμεν, ὅ ἐστιν ἐν τῷ ῥαντίσματι αὐτοῦ τοῦ αἵματος. 2. Γέγραπται γὰρ περὶ αὐτοῦ ἃ μὲν πρὸς τὸν Ἰσραήλ, ἃ δὲ πρὸς ἡμᾶς. Λέγει δὲ οὕτως· *Ἐτραυματίσθη διὰ τὰς ἀνομίας ἡμῶν καὶ μεμαλάκισται διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν· τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἡμεῖς ἰάθημεν· ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη καὶ ὡς ἀμνὸς ἄφωνος ἐναντίον τοῦ κείραντος αὐτόν.* 3. Οὐκοῦν ὑπερευχαριστεῖν ὀφείλομεν τῷ κυρίῳ, ὅτι καὶ

10. *οὖν* c. C: om S | *ἔργα* c. S L: praem *κακὰ* C — *φύγωμεν κτλ.*] Cf. I Clem. 9, 1. Polyc. Phil. 2, 1; 7, 2. — *μισήσωμεν κτλ.*] Cf. Ps. 118, 128. Opera viae iniquae enumerantur c. 20. — *μονάζετε*] Cf. Herm. Sim. IX c. 26, 3. Ut e sequentibus patet, auctor lectores monet, ne a fratribus se separent schisma facientes. — *ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνερχ.*] Cf. I Cor. 11, 20. Ign. Eph. 5, 3. I Clem. 34, 7.

11. Clem. Al. Strom. II c. 7, 35 p. 447. — *ἐν* a. *ἑαυτοῖς* c. C LXX coll Clem (*παρ'*): om S L | *τοῦ θεοῦ*: *κυρίου* C | *καὶ* om S — Ies. 5, 21. — *πνευματικοί*] Cf. Gal. 6, 1. — *ναός*] Cf. I Cor. 3, 16. 17. — *μελ. τ. φόβον*] Cf. 11, 5. Ies. 33. 18. — *φυλ. τ. ἐντολάς*] Cf. Deut. 5, 29; 6, 2. Ps. 118, 60. 63. 134 etc.

12. *ἡ* om C — *ἀπροσωπολ. κρινεῖ*]

scandalis futuris, ut decet filios Dei, resistamus. 10. Itaque ne niger habeat introitum, fugiamus ab omni vanitate, perfecto odio habeamus opera viae iniquae. Ne in vobismet ipsis involuti vobis solis vivatis tanquam iam iustificati, sed in unum convenientes conquiratis id, quod omnibus prodest. 11. Dicit enim scriptura: *Vae, qui sunt prudentes apud se ipsos et coram se sapientes.* Efficiamur spirituales, efficiamur Deo templum perfectum. Quantum in nobis est, meditemur timorem Dei et custodire contendamus mandata eius, ut in eius iustificationibus laetemur. 12. Dominus *sine acceptione personarum iudicabit* mundum. Unusquisque secundum quae fecit accipiet: si fuerit bonus, iustitia ipsius praecedet ante eum; si fuerit nequam, merces nequitiae coram eo; 13. ne quando requiescentes tanquam vocati obdormiamus in peccatis nostris et princeps nequam potestate in nos accepta avellat nos a regno Domini. 14. Adhuc autem et illud, fratres mei, intellegite: si post tanta signa ac prodigia, quae facta sunt in Israel, videritis, nihilominus illos derelictos esse: adtendamus, ne quando, sicut scriptum est, *multi vocati, pauci vero electi* inveniamur.

V. Propter hoc enim Dominus sustinuit carnem tradere in perniciem, ut remissione peccatorum sanctificaremur, quod est in aspersione sanguinis eius. 2. Scriptum est enim de eo tum ad Israel, tum ad nos. Dicit autem sic: *Vulneratus est propter iniquitates nostras et tribulatus est propter peccata nostra; livore eius nos sanati sumus. Tanquam ovis ad occisionem ductus est et sicut agnus mutus fuit coram tondente se.* 3. Maximas igitur gratias agere debemus Do-

I Petr. 1, 17. Cf. Rom. 2, 11. Gal. 2, 6. — ἕκαστος κτλ.] Cf. I Cor. 3, 8. Ps. 61, 13. — δικαιοσύνη κτλ.] Cf. Ies. 58, 8. — μισθὸς τ. πον.] Cf. II. Petr. 2, 13. — ἔμπροσθεν αὐτοῦ] Cf. Ies. 40, 10; 62, 11. Apoc. 22, 12.

13. ἵνα c. S C: praem προσέχωμεν L.

14. βλέπετε c. S cf. Winer § 42, 5: βλεπητε C — πολλοὶ κτλ.] Matth. 20, 16; 22, 14.

V, 1. καταφθορὰν c. S: φθορὰν C | ῥαντ. αὐτοῦ τ. αἵματος c. C L cf. I Petr. 1, 2: αιματι του ραντισματος αυτου S cf. Hebr. 12, 14.

2. Ies. 53, 5. 7. — ἃ μὲν — ἃ δέ] Verba prophetae et Iudaeis et Christianis dicta sunt; sed Christiani soli recte ea percipiunt. Cf. v. 3.

3. ἐσόφισεν] Cf. II Tim. 3, 15. II Petr. 1, 16. Ign. Smyrn. 1, 1. *Prae-*

τὰ παρεληλυθότα ἡμῖν ἐγνώρισεν καὶ ἐν τοῖς ἐνεστῶσιν ἡμᾶς ἐσόφισεν, καὶ εἰς τὰ μέλλοντα οὐκ ἐσμὲν ἀσύνετοι. 4. Λέγει δὲ ἡ γραφή· *Οὐκ ἀδίκως ἐκτείνεται δίκτυα πτερωτοῖς*. Τοῦτο λέγει, ὅτι δικαίως ἀπολεῖται ἄνθρωπος, ὃς ἔχων ὁδοῦ δικαιοσύνης γνῶσιν ἑαυτὸν εἰς ὁδὸν σκότους ἀποσυνέχει. 5. Ἔτι δὲ καὶ τοῦτο, ἀδελφοί μου· εἰ ὁ κύριος ὑπέμεινεν παθεῖν ὑπὲρ τῆς ψυχῆς ἡμῶν, ὢν παντὸς τοῦ κόσμου κύριος, ᾧ εἶπεν ὁ θεὸς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου· *Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμετέραν*· πῶς οὖν ὑπέμεινεν ὑπὸ χειρὸς ἀνθρώπων παθεῖν; **Μάθετε.** 6. Οἱ προφῆται, ἀπ' αὐτοῦ ἔχοντες τὴν χάριν, εἰς αὐτὸν ἐπροφήτευσαν· αὐτὸς δέ, ἵνα καταργήσῃ τὸν θάνατον καὶ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν δείξῃ, ὅτι ἐν σαρκὶ ἔδει αὐτὸν φανερωθῆναι, ὑπέμεινεν, 7. ἵνα τοῖς πατράσιν τὴν ἐπαγγελίαν ἀποδῷ καὶ αὐτὸς ἑαυτῷ τὸν λαὸν τὸν καινὸν ἑτοιμάζων ἐπιδείξῃ ἐπὶ τῆς γῆς ὤν, ὅτι τὴν ἀνάστασιν αὐτὸς ποιήσας κρινεῖ. 8. Πέρας γέ τοι διδάσκων τὸν Ἰσραὴλ καὶ τηλικαῦτα τέρατα καὶ σημεῖα ποιῶν, οὐχ ὅτι ἐκήρυσσον καὶ ὑπερηγάπησαν αὐτόν. 9. Ὅτε δὲ τοὺς ἰδίους ἀποστόλους τοὺς μέλλοντας κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον αὐτοῦ ἐξελέξατο, ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἁμαρτίαν ἀνομωτέρους, ἵνα δείξῃ, ὅτι *οὐκ ἦλθεν καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλούς*, τότε ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν εἶναι υἱὸν θεοῦ. 10. Εἰ γὰρ μὴ ἦλθεν ἐν σαρκί, πῶς ἂν ἐσώθησαν οἱ ἄνθρωποι βλέποντες αὐτόν, ὅτε τὸν μέλλοντα μὴ εἶναι ἥλιον, ἔργον τῶν χειρῶν αὐτοῦ ὑπάρχοντα, ἐμβλέποντες οὐκ ἰσχύου-

terita intellegenda esse videntur de morte Christi expiatoria, *praesentia* de doctrina eius vivificante, *futura* de iudicio venturo, quod mandata eius servantes effugiemus.

4. ὅς c. C: ὁ S L — Prov. 1, 17. *εἰς ὁδὸν σκ. ἀπ.*] i. e. caerimonias iudaicas retinet, quas vanas et inanes esse intellexit. Cf. v. 2.

5. *ὁ κύριος* c. S L: add *ἡμῶν* C | *ὑπὲρ* c. C L: *περὶ* S | *ᾧ*.. *ὁ θεὸς* c. S L: *ὡς*.. *ὁ κύριος* C — Gen. 1, 26. In plurali *ποιήσωμεν* auctor sicut fere omnes patres, e. g. Iust. Dial. c. 62. Theoph. ad Autol. II c. 18. Tertull. adv. Prax. c. 12. Orig. c. Cels. II c. 9, allocutionem videt, quam fecit Deus pater ad Deum filium.

6. *ἐπροφήτευσαν* c. S et V. T. quod fere ubique hanc formam habet: *προεφήτευσαν* C N. T. — *ἵνα — φανερωθῆναι*] parenthesis est. — *ὑπέμεινεν*] Subintellegas: et prophetiam implevit.

7. *τοῖς π.* c. C L: *καὶ τοῖς π.* S | *τὸν λαόν*: incipit G — *ἀνάστασιν*] sc. mortuorum, non ipsius, ut contextus (*κρινεῖ*) docet.

mino, quod et praeterita nobis ostendit et in praesentibus nos erudivit, et de futuris non sumus sine intellectu. 4. Dicit autem scriptura: *Non iniuste tenduntur retia avibus.* Hoc dicit, iuste perire hominem, qui cognitionem habens viae iustitiae sese convertat in viam tenebrarum. 5. Adhuc autem et hoc, fratres mei: si Dominus sustinuit pati pro anima nostra, cum sit totius mundi Dominus, cui dixit Deus in constitutione mundi: *Faciamus hominem ad imaginem et ad similitudinem nostram;* quomodo igitur per manum hominum pati sustinuit? Discite. 6. Prophetae ab eo gratiam habentes de eo prophetaverunt; ipse autem, quia in carne oportebat eum apparere, ut mortem destrueret et resurrectionem a mortuis ostenderet, sustinuit, 7. ut patribus promissum redderet, et ipse populum novum sibi parans, cum in terra esset, ostenderet, resurrectione facta se ipsum iudicaturum esse. 8. Porro docebat Israël ac tam magna prodigia et signa faciebat, non quia praedicabant et diligebant eum. 9. Cum autem apostolos suos ipsius evangelium praedicaturos eligeret, homines omni peccato iniquiores, ut ostenderet, se non venisse *vocare iustos*, *sed peccatores*, tunc palam fecit, se esse filium Dei. 10. Si enim non venisset in carne, quomodo servati fuissent homines videntes eum, cum adspicientes solem, qui aliquando non erit et opus est manuum eius, non valeant in radios

8. *οὐχ ὅτι* c. C: *non* L, om S G | *ἐκήρυσσον* em coll L *(crediderunt)*: *ἐκήρυσσεν* S C, *ἐκήρυξε* G | *ὑπερηγάπησεν* G — Sensus: Christus docebat etc., non quia Iudaei eum dilexerunt (neque praedicabant enim neque diligebant eum, sed ipsum quoque occisuri erant, sicut eius prophetas interfecerant), sed ut Iudaeis peccatorum summam expleret, ut dicitur infra 5, 11 et 14, 5.

9. Orig. c. Cels. I c. 63 ed. Bened. I 378. Hieron. adv. Pelag. III c. 2 (— *ἀνομωτέρους*). — *ἁμαρτωλοὺς* c. S C L: add *εἰς μετάνοιαν* G | *εἶναι* om C — *ἀποστόλους κτλ.*] Cf. 8, 3. — *οὐκ ἦλθεν κτλ.*] Matth. 9, 13.

10. *πῶς ἂν* c. G L coll S (*ουδ αν πως*): *οὐκ ἂν* C | *βλέποντες* c. S G: *ἐμβλ.* C | *ὅτε* c. S C L: *ὅτι* G | *τῶν* om G | *ἐμβλέποντες* c. S C L: *βλέποντες* G — Respicit ad v. 5 et 6. Eadem similitudine multi patres utuntur, ut Deum a nobis videri non posse demonstrent. Cf. Theoph. ad Aut. I c. 5. Minuc. Fel. Octav. c. 32. Orac. Sibyll. prooem. v. 10—14 (Galland. Biblioth. I 335).

σιν εἰς τὰς ἀκτῖνας αὐτοῦ ἀντοφθαλμῆσαι. 11. Οὐκοῦν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ εἰς τοῦτο ἦλθεν ἐν σαρκί, ἵνα τὸ τέλειον τῶν ἁμαρτιῶν ἀνακεφαλαιώσῃ τοῖς διώξασιν ἐν θανάτῳ τοὺς προφήτας αὐτοῦ. 12. Οὐκοῦν εἰς τοῦτο ὑπέμεινεν. Λέγει γὰρ ὁ θεὸς τὴν πληγὴν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ὅτι ἐξ αὐτῶν· *Ὅταν πατάξωσιν τὸν ποιμένα ἑαυτῶν, τότε ἀπολεῖται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης.* 13. Αὐτὸς δὲ ἠθέλησεν οὕτω παθεῖν· ἔδει γάρ, ἵνα ἐπὶ ξύλου πάθῃ. Λέγει γὰρ ὁ προφητεύων ἐπ' αὐτῷ· *Φεῖσαί μου τῆς ψυχῆς ἀπὸ ῥομφαίας*, καί· *Καθήλωσόν μου τὰς σάρκας, ὅτι πονηρευομένων συναγωγαὶ ἐπανέστησάν μοι.* 14. Καὶ πάλιν λέγει· *Ἰδού, τέθεικά μου τὸν νῶτον εἰς μάστιγας, τὰς δὲ σιαγόνας εἰς ῥαπίσματα· τὸ δὲ πρόσωπόν μου ἔθηκα ὡς στερεὰν πέτραν.*

VI. Ὅτε οὖν ἐποίησεν τὴν ἐντολήν, τί λέγει; *Τίς ὁ κρινόμενός μοι; Ἀντιστήτω μοι. Ἢ τίς ὁ δικαιούμενός μοι; Ἐγγισάτω τῷ παιδὶ κυρίου.* 2. *Οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς πάντες ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσεσθε, καὶ σὴς καταφάγεται ὑμᾶς.* Καὶ πάλιν λέγει ὁ προφήτης, ἐπεὶ ὡς λίθος ἰσχυρὸς ἐτέθη εἰς συντριβήν. *Ἰδού, ἐμβαλῶ εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτόν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον.* 3. Εἶτα τί λέγει; *Καὶ ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα.* Ἐπὶ λίθον οὖν ἡμῶν ἡ ἐλπίς; Μὴ γένοιτο· ἀλλ' ἐπεὶ ἐν ἰσχύϊ τέθεικεν τὴν σάρκα αὐτοῦ ὁ κύριος. Λέγει γάρ· *Καὶ ἔθηκέ με ὡς στερεὰν πέτραν.* 4. Λέγει δὲ πάλιν ὁ προφήτης· *Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας.* Καὶ πάλιν λέγει· *Αὕτη ἐστὶν ἡ*

11. *εἰς τοῦτο* om S | *ἁμαρτημάτων* C | *ἀνακεφ.* c. S C: *κεφαλαιώσῃ* G — Profert aliam causam adventus Christi, ut consummarentur peccata Iudaeorum addita Christi morte. Menard. Cf. 14. 5. Matth. 23. 31. 32.

12. *ὅτι* c. G S**: om S*C | *πατάξωσιν* c. S C: *πατάξω* G L | *ἑαυτῶν* om G | *ἀπολεῖται* c. C coll S (*ἀπόλλυται*): *σκορπισθήσεται* G L — Sensus: dicit enim Deus, corpori Christi ab illis plagam inflictam fuisse, per prophetam Zach. 13. 6. 7 (cf. Matth. 26. 31) enuntians: Cum ferierint pastorem suum, tunc ipsi peribunt.

13. *δὲ* om G | *καὶ* om G | *πον. συναγωγαὶ* c. G L: *συναγωγη πον.* S C LXX | *ἐπαν. μοι* c. S G L: *περιέσχον με* C LXX — *οὕτω*] sc. in cruce. — *ἔδει*] sc. *παθεῖν.* — *φεῖσαι κτλ.*] Ps. 21. 21. — *καθήλωσον κτλ.*] Ps. 118, 120. Ps. 21. 17.

14. *τὰς δὲ* c. S C: *καὶ τὰς* G L | *σιαγόνας* c. G C: add *μου* S L — Ies. 50. 6. 7. Cf. Iust. Apol. I c. 38. — — *πέτραν*] i. e. faciem meam non avertens.

VI. 1. *τὴν* om G | *τί* om C | *ἀ-*

illius obtueri. 11. Itaque filius Dei ideo in carne venit, ut summam peccatorum expleret iis, qui ad mortem persecuti sunt prophetas ipsius. 12. Ob hoc igitur passus est. Dicit enim Deus, plagam carnis eius ab illis esse: *cum percusserint pastorem suum, tunc oves gregis peribunt.* 13. Ipse autem sic pati voluit; oportuit enim, ut in ligno pateretur. Dicit enim, qui de illo prophetavit: *Parce animae meae a gladio*, et: *Clavis confige carnes meas, quia concilia malignantium insurrexerunt in me.* 14. Et rursus ait: *Ecce posui dorsum meum ad flagella, genas ad alapas; faciem autem meam posui sicut solidam petram.*

VI. Cum autem fecerit mandatum, quid ait? *Quis est, qui litiget mecum? Resistat mihi. Vel quis est, qui iudicium ineat adversum me? Adpropinquet puero Domini.* 2. *Vae vobis, quia vos omnes quasi vestimentum veterascetis, et tinea devorabit vos!* Et iterum dicit propheta, cum sicut lapis fortis positus esset in contritionem: *Ecce, immitto in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, angularem, honorabilem.* 3. Deinde quid loquitur? *Et qui crediderit in illum, vivet in aeternum.* In lapide ergo spes nostra? Absit; sed quia Dominus in fortitudine posuit corpus suum. Ait enim: *Et posuit me sicut solidam petram.* 4. Adhuc autem dicit propheta: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Et rursus ait: *Haec est dics magna et*

κινούμενος c. S C: *δικαζόμενος* G | *μοι* om C | *τῷ* om C — *ὅτε κτλ.*] Sensus: de tempore, quo patris mandatum exsecutus erit, ipse (Christus) dicit. Bene Müller contulit Hebr. 1, 6. — *τ. ἐντολήν*] sc. ut in carne pateretur. Vocabulum absolute positum est, pro *ἐντ. θεοῦ*, ut 7, 3. Prov. 19, 16. Eccles. 8, 5. Sirach 1, 26; 10, 19; 15, 15. Ign. Magn. 4. — *τίς κτλ.*] Ies. 50, 8. — *παῖς κ.*] i. e. Christus. Cf. 9, 2. Matth. 12, 18. Act. 3, 13. 26; 4, 27. 30. I Clem. 59, 2. 3. 4. Mart. Polyc. 14, 1; 20, 2. Diognet. 8, 9. 11 etc.

2. Ies. 50, 9. — *ἐπεὶ κτλ.*] Barnabas hic Ies. 8, 14 iuxta textum hebraicum respexisse videtur. — *ἰδοὺ κτλ.*] Ies. 28, 16. Cf. Rom. 9, 33. I Petr. 2, 6.

3. *τί* om C | *ὁ πιστ. εἰς* c. S C L: *ὃς ἐλπίσει ἐπ'* G | *τέθεικεν* c. S C: *ἔθηκε* G | *ὁ* om S — Ies. 28, 16. — *ἰσχύϊ*] *Σάρξ* Christi propter *ἰσχύν* a propheta *λίθος* vocatur. — *καὶ ἔθ. κτλ.*] Ies. 50, 7.

4. Ps. 117, 22. 24.

ἡμέρα ἡ μεγάλη καὶ θαυμαστή, ἣν ἐποίησεν ὁ κύριος. 5. Ἁπλούστερον ὑμῖν γράφω, ἵνα συνιῆτε· ἐγὼ περίψημα τῆς ἀγάπης ὑμῶν. 6. Τί οὖν λέγει πάλιν ὁ προφήτης; *Περιέσχεν με συναγωγὴ πονηρευομένων, ἐκύκλωσάν με ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον,* καί· *Ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον.* 7. Ἐν σαρκὶ οὖν αὐτοῦ μέλλοντος φανεροῦσθαι καὶ πάσχειν, προεφανερώθη τὸ πάθος. Λέγει γὰρ ὁ προφήτης ἐπὶ τὸν Ἰσραήλ· *Οὐαὶ τῇ ψυχῇ αὐτῶν, ὅτι βεβούλευνται βουλὴν πονηρὰν καθ᾿ ἑαυτῶν, εἰπόντες· Δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστίν.* 8. Τί λέγει ὁ ἄλλος προφήτης Μωϋσῆς αὐτοῖς; *Ἰδού, τάδε λέγει κύριος ὁ θεός· Εἰσέλθατε εἰς τὴν γῆν τὴν ἀγαθήν, ἣν ὤμοσεν κύριος τῷ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ, καὶ κατακληρονομήσατε αὐτήν, γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι.* 9. Τί δὲ λέγει ἡ γνῶσις, μάθετε. Ἐλπίσατε, φησίν, ἐπὶ τὸν ἐν σαρκὶ μέλλοντα φανεροῦσθαι ὑμῖν Ἰησοῦν. Ἄνθρωπος γὰρ γῆ ἐστιν πάσχουσα· ἀπὸ προσώπου γὰρ τῆς γῆς ἡ πλάσις τοῦ Ἀδὰμ ἐγένετο. 10. Τί οὖν λέγει· *Εἰς τὴν γῆν τὴν ἀγαθήν, γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι;* Εὐλογητὸς ὁ κύριος ἡμῶν, ἀδελφοί, ὁ σοφίαν καὶ νοῦν θέμενος ἐν ἡμῖν τῶν κρυφίων αὐτοῦ. Λέγει γὰρ ὁ προφήτης παραβολὴν κυρίου· τίς νοήσει, εἰ μὴ σοφὸς καὶ ἐπιστήμων καὶ ἀγαπῶν τὸν κύριον αὐτοῦ; 11. Ἐπεὶ οὖν ἀνακαινίσας ἡμᾶς ἐν τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν, ἐποίησεν ἡμᾶς ἄλλον τύπον, ὡς παιδίων ἔχειν τὴν ψυχήν, ὡς ἂν δὴ ἀναπλάσσοντος αὐτοῦ ἡμᾶς. 12. Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ περὶ ἡμῶν, ὡς λέγει τῷ υἱῷ· *Ποιήσωμεν κατ᾿ εἰκόνα καὶ καθ᾿ ὁμοίωσιν ἡμῶν τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἀρχέτωσαν τῶν θηρίων τῆς γῆς καὶ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης.* Καὶ εἶπεν κύριος,

5. Clem. Al. Strom. V c. 10, 64 p. 683 (— *συνιῆτε*). — *συνῆτε* C, *συνετε* S — *περίψημα*] Cf. 4, 9.

6. *περιέσχον* C — Ps. 21, 17; 117, 12; 21, 19 — *ἱματισμὸν κτλ.*] Cf. Ioann. 19, 24. Iust. Apol. I c. 38.

7. *προεφ.* c. S C: *προεφανεροῦτο* G — *ἐν σ. φανεροῦσθαι*] Cf. I Tim. 3, 16. — *οὐαὶ κτλ.*] Ies. 3, 9. 10. Cf. Sap. 2, 12. Iust. Dial. c. 17.

8—10. Clem. Al. Strom. V c. 10, 64 p. 683 sq. — *τί — προφήτης* c. S C (hic om *τί* cf. 6, 1. 3) Clem: *λέγει δὲ καὶ* G L — Exod. 33, 1. 3. Lev. 20, 24.

9. *δὲ* c. S C: om G L Clem | *φησὶν* om G | *γὰρ* a. *γῆ* om G — *γνῶσις*] Cf. 1, 5 not. — *γῆ π.*] est homo, quia Deus terram, e qua eum exstruxit, *formavit*: *γῆ πάσχουσα* = *γῆ πλᾶσιν πάσχουσα*, ut contextus docet; de industria vero auctor hoc vocabulum sibi elegit, ut Christi significaret passionem. **Harnack.**

mirabilis, quam fecit Dominus. 5. Simplicius vobis scribo, ut intellegatis, ego peripsema caritatis vestrae. 6. Quid vero porro dicit propheta? *Obsedit me concilium malignantium, circumdederunt me sicut apes favum*, et: *Super vestem meam miserunt sortem.* 7. Cum igitur in carne esset apparitурus et passurus, praemonstrata est ipsius passio. Namque in Israël dicit propheta: *Vae animae eorum, quia consilium malum inierunt adversus semetipsos, dicentes: Alligemus iustum, quoniam molestus nobis est.* 8. Quid dicit illis alius propheta Moses? *Ecce, ista ait Dominus Deus: Intrate in terram bonam, quam iuramento promisit Dominus Abrahae et Isaac et Iacob, et ut hereditatem possidete eam, terram fluentem lacte et melle.* 9. Quid autem dicat cognitio, discite. Sperate, inquit, in Iesum, qui in carne manifestandus est vobis. Homo enim est terra, quae patitur; ex substantia enim terrae formatus est Adam. 10. Quid ergo dicit: In *terram bonam, terram lacte ac melle fluentem?* Benedictus sit Dominus noster, fratres, qui sapientiam et intellegentiam occultorum suorum posuit in nobis. Dicit enim propheta parabolam Domini; quis intelleget, nisi sapiens et peritus et diligens Dominum suum? 11. Ubi igitur nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit, ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui nos reformavit. 12. Nam de nobis scriptura dicit, loquente patre ad filium: *Faciamus hominem ad imaginem et ad similitudinem nostram, et praesint bestiis terrae et volatilibus caeli et piscibus maris.* Et dixit Dominus videns pulcrum

10. Clem. Al. Strom. VI c. 8, 65 p. 777 (*παραβολὴν κτλ.*). — *εἰς* om G | *γῆν ῥ.* c. S C: *τὴν ῥ.* G L Clem | *ἀδελφοὶ* om G — Hic incipit secunda loci biblici Exod. 33, 1. 3 interpretatio allegorica seu gnostica. Terra illa (*πάσχουσα, ῥέουσα γ.κ.μ.*) 1) primum humanam Christi naturam denotabat; nunc 2) Christianos per salvatorem renatos = pueros Dei innuit. H. — *λέγει γὰρ κτλ.*] i. e. Moses Exod. 33, 1. 3 parabolam locutus est neque nisi sapientes et periti eam intellegunt. Hilgenfeld.

11. *ἐπεὶ*: *ἐκεῖ* con Hilgenf. | *παιδίων* c. S: *παιδίον* G C | *δὴ ἀναπλ. αὐτοῦ* c. S C: *δὲ (καὶ) ἀναπλασσομένους αὐτοὺς (αὐτὸς)* G — *ἀνακαινίσας*] Participium pro verbo finito. Cf. 19, 1.

12. *ἡμῶν* p. *πλάσμα* c. S C L: *ἄνθρωπον* G | *ταῦτα — υἱὸν* c. S G: om C L — Gen. 1, 26. 28. — *υἱόν*] sc. iam initio creationis de nobis dixit. H.

ἰδὼν τὸ καλὸν πλάσμα ἡμῶν· *Αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε καὶ πληρώσατε τὴν γῆν*. Ταῦτα πρὸς τὸν υἱόν. 13. Πάλιν σοι ἐπιδείξω, πῶς πρὸς ἡμᾶς λέγει. Δευτέραν πλάσιν ἐπ' ἐσχάτων ἐποίησεν. Λέγει δὲ κύριος· *Ἰδού, ποιῶ τὰ ἔσχατα ὡς τὰ πρῶτα*. Εἰς τοῦτο οὖν ἐκήρυξεν ὁ προφήτης· *Εἰσέλθατε εἰς γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς*. 14. Ἴδε οὖν, ἡμεῖς ἀναπεπλάσμεθα, καθὼς πάλιν ἐν ἑτέρῳ προφήτῃ λέγει· *Ἰδού, λέγει κύριος, ἐξελῶ τούτων*, τουτέστιν ὧν προέβλεπεν τὸ πνεῦμα κυρίου, *τὰς λιθίνας καρδίας καὶ ἐμβαλῶ σαρκίνας*· ὅτι αὐτὸς ἐν σαρκὶ ἔμελλεν φανεροῦσθαι καὶ ἐν ἡμῖν κατοικεῖν. 15. Ναὸς γὰρ ἅγιος, ἀδελφοί μου, τῷ κυρίῳ τὸ κατοικητήριον ἡμῶν τῆς καρδίας. 16. Λέγει γὰρ κύριος πάλιν· *Καὶ ἐν τίνι ὀφθήσομαι τῷ κυρίῳ τῷ θεῷ μου καὶ δοξασθήσομαι;* Λέγει· *Ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἐκκλησίᾳ ἀδελφῶν μου, καὶ ψαλῶ σοι ἀναμέσον ἐκκλησίας ἁγίων*. Οὐκοῦν ἡμεῖς ἐσμέν, οὓς εἰσήγαγεν εἰς τὴν γῆν τὴν ἀγαθήν. 17. Τί οὖν τὸ γάλα καὶ τὸ μέλι; Ὅτι πρῶτον τὸ παιδίον μέλιτι, εἶτα γάλακτι ζωοποιεῖται· οὕτως οὖν καὶ ἡμεῖς τῇ πίστει τῆς ἐπαγγελίας καὶ τῷ λόγῳ ζωοποιούμενοι ζήσομεν κατακυριεύοντες τῆς γῆς. 18. Προείρηκε δὲ ἐπάνω· *Καὶ αὐξανέσθωσαν καὶ πληθυνέσθωσαν καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων*. Τίς οὖν ὁ δυνάμενος νῦν ἄρχειν θηρίων ἢ ἰχθύων ἢ πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ; Αἰσθάνεσθαι γὰρ ὀφείλομεν, ὅτι τὸ ἄρχειν ἐξουσίας ἐστίν, ἵνα τις ἐπιτάξας κυριεύσῃ. 19. Εἰ οὖν οὐ γίνεται τοῦτο νῦν, ἄρα ἡμῖν εἴρηκεν, πότε· ὅταν καὶ αὐτοὶ τελειωθῶμεν κληρονόμοι τῆς διαθήκης κυρίου γενέσθαι.

VII. Οὐκοῦν νοεῖτε, τέκνα εὐφροσύνης, ὅτι πάντα ὁ καλὸς κύριος προεφανέρωσεν ἡμῖν, ἵνα γνῶμεν, ᾧ κατὰ πάντα εὐχαρι-

13. *πρὸς* om C | *λέγει* pr. c. C L S (hic add *κύριος*): om G | *δὲ* c. S C (hic add *ὁ*): om G L | *ποιῶ* c. S C L: *ποιήσω* G — *ἰδοὺ κτλ.*] Dressel haec verba ad II Cor. 5, 17 (cf. Ies. 43, 18. 19. Apoc. 21, 5) refert, Menard eorum sensum in Ies. 43, 18. Thren. 5, 21. Ier. 33, 7 invenit. Sed locus, qui etiam ab Hippolyto in Dan. c. 26 (ed. Lagarde p. 161, 20 sq.) respicitur, potius e libro apocrypho desumptus esse videtur. — *εἰς τοῦτο*] i. e. respectu secundae huius creationis (regenerationis christianae) praedicavit propheta: Intrate etc. i. e. renascimini. H.

14. *ἐμβαλῶ* c. S C: *βαλῶ* G | *ὅτι αὐτὸς* c. S C L: *αὐτοῖς· ὅτι* G — Ezech. 11, 19; 36, 26. — *τουτέστιν ὧν κτλ.*] i. e. Christianorum, in quibus prophetae verba impleta sunt. — *κατοικεῖν*] Cf. Eph. 3, 17.

figmentum nostrum: *Crescite et multiplicamini et replete terram.* Haec ad filium. 13. Iterum autem tibi ostendam, quomodo ad nos loquatur. Secundam creationem ultimis temporibus peregit. Dicit autem Dominus: *Ecce, facio novissima tamquam priora.* Hoc respiciens praedicavit propheta: *Intrate in terram lacte et melle fluentem et dominamini ei.* 14. Ecce igitur, nos denuo formati sumus, quemadmodum rursus in alio propheta dicit: *Ecce, inquit Dominus, auferam ab iis,* hoc est ab iis, quos spiritus Domini praevidebat, *corda lapidea, et immittam corda carnea.* Ipse enim in carne voluit apparere et habitare in nobis. 15. Templum enim sanctum, fratres mei, Domino est habitatio cordis nostri. 16. Etenim iterum Dominus ait: *In quo apparebo coram Domino Deo meo et glorificabor?* Ait: *Confitebor tibi in ecclesia fratrum meorum, et cantabo tibi in medio ecclesiae sanctorum.* Itaque nos sumus, quos introduxit in terram bonam. 17. Sed quare lac et mel? Quoniam infans primum melle, tunc lacte viviscit; ita igitur et nos fide, quam habemus promissis Dei, et verbo praedicationis vivificati vivemus terram possidentes. 18. Superius vero praedixit: *Et crescant et multiplicentur et praesint piscibus.* Quis potest nunc praeesse bestiis vel piscibus vel caeli volucribus? Scire enim debemus, quod praeesse potestatis est, ut quis imperando dominetur. 19. Quod si nunc non contingit, ergo nobis dixit, quando; cum et ipsi adeo perfecti erimus, ut heredes simus testamenti Domini.

VII. Intellegite ergo, filii laetitiae, bonum Dominum omnia nobis praemonstravisse, ut cognosceremus, cui in omnibus gratias

16. *τῷ* a. *κυρίῳ* om C | *λέγει* om S | *ἐκκλησίᾳ* c. S C L: add *ἐν μέσῳ* G — Ps. 41, 3; 21, 23. Notes, hisce verbis tertiam loci illius biblici explicationem allegoricam seu gnosticam incipere, quae terram illam de *ecclesia christiana* interpretatur. Cf. 6, 9. 10. H.

17. *τὸ* sec om G | *οὖν* om G | *ζήσωμεν* C — Lac et mel = *πίστις καὶ κήρυγμα*, quibus ecclesia nos nutrit. H.

18. *προείρηκε* c. C G: *προειρηκαμεν* S | *καὶ .. καὶ πληθυν.* c. S C: *ὅτι* G | *ἰχθύων: θηρίων* C | *νῦν* om S | *πετεινῶν* c. S G: praem *περὶ* C | *ἐξουσία* G.

19. *οὐ* c. S G: om C | *πότε* c. S G: *τότε* C — Sensus: in praesenti quidem imperium illud in volucres etc. non tenemus, sed promissam hanc dominationem aliquando recuperabimus. H.

στοῦντες ὀφείλομεν αἰνεῖν. 2. Εἰ οὖν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὢν κύριος καὶ μέλλων κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς, ἔπαθεν, ἵνα ἡ πληγὴ αὐτοῦ ζωοποιήσῃ ἡμᾶς· πιστεύσωμεν, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ οὐκ ἠδύνατο παθεῖν εἰ μὴ δι' ἡμᾶς. 3. Ἀλλὰ καὶ σταυρωθεὶς ἐποτίζετο ὄξει καὶ χολῇ. Ἀκούσατε, πῶς περὶ τούτου πεφανέρωκαν οἱ ἱερεῖς τοῦ ναοῦ. Γεγραμμένης ἐντολῆς· *Ὃς ἂν μὴ νηστεύσῃ τὴν νηστείαν, θανάτῳ ἐξολεθρευθήσεται*, ἐνετείλατο κύριος, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἔμελλεν τὸ σκεῦος τοῦ πνεύματος προσφέρειν θυσίαν, ἵνα καὶ ὁ τύπος ὁ γενόμενος ἐπὶ Ἰσαὰκ τοῦ προσενεχθέντος ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τελεσθῇ. 4. Τί οὖν λέγει ἐν τῷ προφήτῃ; *Καὶ φαγέτωσαν ἐκ τοῦ τράγου τοῦ προσφερομένου τῇ νηστείᾳ ὑπὲρ πασῶν τῶν ἁμαρτιῶν.* Προσέχετε ἀκριβῶς· *Καὶ φαγέτωσαν οἱ ἱερεῖς μόνοι πάντες τὸ ἔντερον ἄπλυτον μετὰ ὄξους.* 5. Πρὸς τί; Ἐπειδὴ ἐμὲ ὑπὲρ ἁμαρτιῶν μέλλοντα τοῦ λαοῦ μου τοῦ καινοῦ προσφέρειν τὴν σάρκα μου μέλλετε ποτίζειν χολὴν μετὰ ὄξους, φάγετε ὑμεῖς μόνοι, τοῦ λαοῦ νηστεύοντος καὶ κοπτομένου ἐπὶ σάκκου καὶ σποδοῦ, ἵνα δείξῃ, ὅτι δεῖ αὐτὸν παθεῖν ὑπ' αὐτῶν. 6. Ἃ ἐνετείλατο, προσέχετε. *Λάβετε δύο τράγους καλοὺς καὶ ὁμοίους καὶ προσενέγκατε, καὶ λαβέτω ὁ ἱερεὺς τὸν ἕνα εἰς ὁλοκαύτωμα ὑπὲρ ἁμαρτιῶν.* 7. Τὸν δὲ ἕνα τί ποιήσουσιν; *Ἐπικατάρατος*, φησίν, *ὁ εἷς.* Προσέχετε, πῶς ὁ

VII, 2. *κύριος* c. C G L: add *προεφανερωσεν ἵνα γνωμεν — ευχαρ.* ex v. 1 S — *μέλλων κρίνειν κτλ.*] Cf. II Tim. 4, 1. I Petr. 4, 5. Act. 10, 42. Polyc. Phil. 2, 1.

3. *πῶς* h. l. c. G L: p. *περὶ τ.* C, om S | *ναοῦ: λαοῦ* G | *ἐντολῆς*: add *αὐτοῦ* G | *τὴν* om C | *θυσ. τελεσθῇ* c. C G: *θυσιαν τελεσθηναι* S — *πεφανέρωκαν*] pro *πεφανερώκασιν*, ut saepius in N. T. Cf. Ioann. 17, 7. Apoc. 19, 3. — *ὃς ἂν κτλ.*] Lev. 23, 29. — *σκεῦος τ. πν.*] i. e. corpus suum. Sensus: mandato de ieiunio Dominus typum passionis suae praebere voluit. H.

4. *ἐκ* c. S G: *ἀπὸ* C — *καὶ φαγ. κτλ.*] Verba ipsa desunt in s. scriptura. Res autem legitur Num. 29, 11 et in Mischna Menach. 11, 7. Joma 7, 3, et Barnabas verba ad eam conformata Mosi prophetae attribuisse videtur. Cf. 12, 7. Praeter duos enim illos hircos, qui in festo expiatorio ad expiandum populum offerebantur et quorum alter peccatis populi onustus in desertum emittebatur, alter totus concremabatur (Lev. 16 sq.), tertius hircus offerebatur (cf. Ioseph. Flav. Antiq. III c. 10, 3) atque a sacerdotibus comedebatur. Tertullianus, qui Barnabam legisse videtur, errat dicens adv. Marc. III c. 7, alterum hircum

agere ac laudes offerre debeamus. 2. Si ergo Dei filius, qui est Dominus et iudicaturus est vivos ac mortuos, passus est, ut plaga ipsius vividos nos redderet; credamus, non potuisse filium Dei pati nisi propter nos. 3. Cruci vero affixus aceto ac felle potabatur. Audite, quomodo de hac re indicia dederint sacerdotes templi. Scripto praecepto: *Qui ieiunium non ieiunat, morte exterminabitur*, praecepit Dominus, quia et ipse pro peccatis nostris vas spiritus oblaturus erat in hostiam, ut et impleretur figura facta in Isaac, qui super altare fuit oblatus. 4. Quid igitur dicit apud prophetam? *Et manducent de hirco, qui in die ieiunii offertur pro omnibus peccatis.* Attendite diligenter: *Et manducent soli omnes sacerdotes exta non lota cum aceto.* 5. Ad quid? Quoniam me, pro novi populi delictis oblaturum carnem meam, potaturi estis felle cum aceto, comedite vos soli, dum populus ieiunat et plangit in sacco et cinere, ut ostendat, quod oporteat eum pati per illos. 6. Quae praecepit, attendite. *Sumite duos hircos pulcros et similes et offerte, et accipiat sacerdos unum in holocaustum pro peccatis.* 7. De altero vero quid facient? *Maledictus*, inquit *unus.* Attendite, quo pacto

sacerdotibus templi in pabulum datum esse. Cf. Krüger in Tüb. Theol. Quartalschrift 1852 p. 615 sq. Braunsberger, Der Ap. Barnabas 1876 p. 253—260. Güdemann, Religionsgeschichtliche Studien 1876 p. 104 sqq. — *κ. φαγ. οἱ ἱερεῖς κτλ.*] B. prophetae adhuc alia verba attribuit, ut typum Christi accuratius explicet. Respicientes quae in Mischna Menach. 11, 7 leguntur: sacerdotes Babylonici vel potius Alexandrini, ut Talmud Menach. 100a emendat, hircum comedebant crudum, Barnabae verba non tanquam falsa repudiare possumus. *Τὸ ἔντερον* non de intestino, sed de extis intellegendum est.

5) *ἐμὲ*: add *εἶδον* G | *ὑπέρ*: *περὶ* C | *μου* pr om G: C? | *σάκκῳ κ. σποδῷ* G | *πολλὰ* a. *παθεῖν* S | *ὑπ'*: *ὑπὲρ* G — *ἐμέ*] Dominus loquitur. — *λαοῦ τ. κ.*] Christianorum, non Iudaeorum. — *δείξῃ*] sc. populus.

6) *ἃ* c. S C: *πῶς οὖν* G | *ὁλοκ.*: add *τον ενα* S — Lev. 16, 7. 9. Verba *καλοὺς κ. ὁμοίους* desunt in s. scriptura; *parium* autem *et consimilium* hircorum mentio fit in Mischna Joma 6, 1 et a Iust. Dial. c. 40 ac Tertull. adv. Marc. III c. 7. Cf. Bähr, Symbolik des Mos. Cult. II 679.

7. *ποιησωσιν* S — *ἐπικατάρατος*] = לַעֲזָאזֵל. LXX: *ἀποπομπαῖος*. Lev. 16, 8. 10. Cf. Bähr l. c. p. 668.

τύπος τοῦ Ἰησοῦ φανεροῦται· 8. *Καὶ ἐμπτύσατε πάντες καὶ κατακεντήσατε καὶ περίθετε τὸ ἔριον τὸ κόκκινον περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ οὕτως εἰς ἔρημον βληθήτω.* Καὶ ὅταν γένηται οὕτως, ἄγει ὁ βαστάζων τὸν τράγον εἰς τὴν ἔρημον καὶ ἀφαιρεῖ τὸ ἔριον καὶ ἐπιτίθησιν αὐτὸ ἐπὶ φρύγανον τὸ λεγόμενον ῥαχή, οὗ καὶ τοὺς βλαστοὺς εἰώθαμεν τρώγειν ἐν τῇ χώρᾳ εὑρίσκοντες· οὕτω μόνης τῆς ῥαχῆς οἱ καρποὶ γλυκεῖς εἰσίν. 9. Τί οὖν τοῦτό ἐστιν; Προσέχετε· *Τὸν μὲν ἕνα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, τὸν δὲ ἕνα ἐπικατάρατον,* καὶ ὅτι τὸν ἐπικατάρατον ἐστεφανωμένον; Ἐπειδὴ ὄψονται αὐτὸν τότε τῇ ἡμέρᾳ τὸν ποδήρη ἔχοντα τὸν κόκκινον περὶ τὴν σάρκα καὶ ἐροῦσιν· Οὐχ οὗτός ἐστιν, ὅν ποτε ἡμεῖς ἐσταυρώσαμεν ἐξουθενήσαντες καὶ κατακεντήσαντες καὶ ἐμπτύσαντες; Ἀληθῶς οὗτος ἦν, ὁ τότε λέγων, ἑαυτὸν υἱὸν θεοῦ εἶναι. 10. Πῶς γὰρ ὅμοιος ἐκείνῳ; Εἰς τοῦτο ὁμοίους τοὺς τράγους καὶ ἴσους, ἵνα, ὅταν ἴδωσιν αὐτὸν τότε ἐρχόμενον, ἐκπλαγῶσιν ἐπὶ τῇ ὁμοιότητι τοῦ τράγου. Οὐκοῦν ἴδε τὸν τύπον τοῦ μέλλοντος πάσχειν Ἰησοῦ. 11. Τί δέ, ὅτι τὸ ἔριον εἰς μέσον τῶν ἀκανθῶν τιθέασιν; Τύπος ἐστὶν τοῦ Ἰησοῦ τῇ ἐκκλησίᾳ κείμενος, ὅτι ὃς ἐὰν θέλῃ τὸ ἔριον ἆραι τὸ κόκκινον, δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν διὰ τὸ εἶναι φοβερὰν τὴν ἄκανθαν, καὶ θλιβέντα κυριεῦσαι αὐτοῦ. Οὕτω, φησίν, οἱ θέλοντές με ἰδεῖν καὶ ἅψασθαί μου τῆς βασιλείας, ὀφείλουσιν θλιβέντες καὶ παθόντες λαβεῖν με.

8. *ἐπιτίθησιν* c. S G: *τίθησιν* C | *αὐτὸ* om G | *ῥαχὴ* c. C: *ραχηλ* S, *ραχιλ* G, *rubus* L | *βλαστοὺς* c. S G: *καρποὺς* C | *τρώγειν*: *ἐσθίειν* C | *οὕτω* c. S C G: *ταύτης* L et edd plerique | *ῥαχῆς* c. C: *ραχους* S G — *καὶ ἐμπτύσατε κτλ.*] In Mischna Ioma 6, 4—6 legimus: Babylonii vel Alexandrini, ut Talmud Ioma 66b emendat, hirco crines vellicabant clamantes: Sume (peccata nostra) et exi. Nonnulli ex principibus Hierosolymae deducebant eum usque ad proximam casam. Erant autem decem casae usque ad Zuck (vel montem arduum), quo ducebatur. Qui in casa erant, deducebant eum ad proximam quamque casam. Ab ultima autem casa usque ad montem arduum nemo eum deducebat; sed procul stabant spectantes, quid faceret. Baiulus vero hirci, cum eum ad montem Zuck perduxisset, dividebat linguam (sic enim appellabatur lana, quae hirci emissarii capiti appensa erat) coccineam; dimidium ad rupem (nimirum in spinam illuc crescentem), dimidium inter cornua hirci alligabat et deiciebat eum. Cf. Iust. Dial. c. 40. Tert. adv. Marc. III c. 7. adv. Iud. c. 14. — *βλαστούς*] i. e. germina in sensu ampliori = fructus.

9. *τοῦτό ἐστιν* c. S C: *καὶ τοῦτο* G | *ἐπί*: *εἰς* C | *κ. ὅτι τ. ἐπικ.* om C

figura Jesu manifestetur. 8. *Et conspuite illum omnes ac lancinate et imponite lanam coccineam circa caput eius, et sic in desertum emittatur.* Et cum ita factum fuerit, qui portat hircum, abducit eum in eremum et aufert ab illo lanam et ponit eam super fruticem, qui vocatur rubus, cuius germina in agris reperta solemus manducare; sic solius rubi fructus dulces sunt. 9. Quid igitur hoc est? Attendite: *Unum quidem super altare, alterum vero maledictum*, et quare, qui maledictus est, coronatur? Quia videbunt eum illa die habentem circa carnem talarem coccineam et dicent: Nonne hic est, quem nos aliquando despectum, compunctum et consputum crucifiximus? Vere ille est, qui tunc se dicebat esse filium Dei. 10. Quantopere enim similis illi? Ideo similes hircos et aequales postulavit, ut, cum viderint eum tunc venientem, percellantur de hirci similitudine. Vide igitur figuram Iesu passuri. 11. Quam ob rem vero lanam in medio spinarum ponunt? Id est figura Iesu ecclesiae proposita, quia, qui voluerit lanam coccineam auferre, cum spina formidabilis sit, multa patiatur oportet et afflictatus potiatur illius. Sic, inquit, qui volunt me videre et ad regnum meum pervenire, debent per afflictiones et tormenta possidere me.

et duo codd G ob homoeoteleuton | *ἐπειδή*: *ἐπεὶ δὲ* G | *ποτε* c. S G: *τότε* C | *κ. κατακεντ.* om S | *ἐμπτύσαντες* c. S C L: *ἐμπαίξαντες* G | *θεοῦ* c. C G: *τοῦ θ.* S — *τὸν μὲν κτλ.*] Cf. Lev. 16, 8. — *ὅτι*] = cur. Cf. 8, 5; 10, 1. — *ἐστεφ.*] Cf. Matth. 27, 29. — *τῇ ἡμέρᾳ*] sc. iudicii. — *ποδήρη κτλ.*] Cf. Matth. 27, 28. 30. — *ἐροῦσιν κτλ.*] Cf. II Clem. 17, 5. Sap. 5, 3—5.

10. *ὅμ. ἐκείνῳ* c. S C: *ὁμοίως* G | *καὶ* c. L: *καλοὺς* S C et duo codd G, ceteri *καλ. καί* | *ἐκπλαγῶσιν* c. S C: *ἐκπλαγήσονται* G | *τ. τύπον*: praem *τὸν τράγον* S.

11. *εἰς* c. G: *εἰς τὸ* C, om S | *κείμενος* c. C G L: *θεμενος* S | *ὅτι* c. S L: *ἵνα* G, om C | *ὃς* (*ως* S) *ἐὰν* c. S G: *ὅστις ἂν* C | *δεῖ*: *εδει* S | *αὐτοῦ* om G — B. postquam v. 9 et 10 allegorico modo demonstravit, lanam coccineam significare Christum chlamide purpurea indutum ad iudicium redeuntem, nunc exponit, lanam inter spinas positam typum esse afflictionum, quibus, qui ad Dei regnum pervenire velint, afficiantur. — *κυρ. αὐτοῦ*] i. e. occupare lanam. — *φησίν*] sc. Iesus. Nonnulli putaverunt, certam aliquam Christi sententiam seu scriptam (Matth. 16, 24; 20. 22) seu non scriptam vel locum libri alicuius apocryphi (IV Esra 7, 14) hic proferri. Revera sententia praecedens recapitulatur.

VIII. Τίνα δὲ δοκεῖτε τύπον εἶναι, ὅτι ἐντέταλται τῷ Ἰσραὴλ προσφέρειν δάμαλιν τοὺς ἄνδρας, ἐν οἷς εἰσὶν ἁμαρτίαι τέλειαι, καὶ σφάξαντας κατακαίειν, καὶ αἴρειν τότε τὴν σποδὸν παιδία καὶ βάλλειν εἰς ἄγγη καὶ περιτιθέναι τὸ ἔριον τὸ κόκκινον ἐπὶ ξύλον (ἴδε πάλιν ὁ τύπος ὁ τοῦ σταυροῦ καὶ τὸ ἔριον τὸ κόκκινον) καὶ τὸ ὕσσωπον, καὶ οὕτως ῥαντίζειν τὰ παιδία καθ' ἕνα τὸν λαόν, ἵνα ἁγνίζωνται ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν; 2. Νοεῖτε, πῶς ἐν ἁπλότητι λέγει ὑμῖν. Ὁ μόσχος ὁ Ἰησοῦς ἐστίν, οἱ προσφέροντες ἄνδρες ἁμαρτωλοὶ οἱ προσενέγκαντες αὐτὸν ἐπὶ τὴν σφαγήν. Εἶτα οὐκέτι ἄνδρες, οὐκέτι ἁμαρτωλῶν ἡ δόξα. 3. Οἱ δὲ ῥαντίζοντες παῖδες οἱ εὐαγγελισάμενοι ἡμῖν τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν καὶ τὸν ἁγνισμὸν τῆς καρδίας, οἷς ἔδωκεν τοῦ εὐαγγελίου τὴν ἐξουσίαν, οὖσιν δεκαδύο εἰς μαρτύριον τῶν φυλῶν (ὅτι δεκαδύο φυλαὶ τοῦ Ἰσραήλ), εἰς τὸ κηρύσσειν. 4. Διὰ τί δὲ τρεῖς παῖδες οἱ ῥαντίζοντες; Εἰς μαρτύριον Ἀβραάμ, Ἰσαάκ, Ἰακώβ, ὅτι οὗτοι μεγάλοι τῷ θεῷ. 5. Ὅτι δὲ τὸ ἔριον ἐπὶ τὸ ξύλον; Ὅτι ἡ βασιλεία Ἰησοῦ ἐπὶ ξύλῳ, καὶ ὅτι οἱ ἐλπίζοντες ἐπ' αὐτὸν ζήσονται εἰς τὸν αἰῶνα. 6. Διὰ τί δὲ ἅμα τὸ ἔριον καὶ τὸ ὕσσωπον; Ὅτι ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ ἡμέραι ἔσονται πονηραὶ καὶ ῥυπαραί, ἐν αἷς ἡμεῖς σωθησόμεθα· ὅτι καὶ ὁ ἀλγῶν σάρκα διὰ τοῦ ῥύπου τοῦ ὑσσώπου ἰᾶται. 7. Καὶ διὰ τοῦτο οὕτως γενόμενα ἡμῖν μέν ἐστιν φανερά, ἐκείνοις δὲ σκοτεινά, ὅτι οὐκ ἤκουσαν φωνῆς κυρίου.

IX. Λέγει γὰρ πάλιν περὶ τῶν ὠτίων, πῶς περιέτεμεν ἡμῶν

VIII, 1. *ἐντέταλται: ἐντέλλεται* G | *εἰσὶν* om G | *τὴν σπ. π.* c. C G L: *τὰ π. σποδὸν* S | *ἐπὶ ξ.* — *κόκκινον* om duo codd G | *ὁ* a. *τοῦ στ.* om C | *τὸν ὕσσ.* G | *ἀπὸ* c. S C: *ὑπὸ* G — *ἐντέταλται*] Cf. Num. 19. Mischna Para 3, 1—11. Krüger l. c p. 621—627. Braunsberger l. c. p. 268—278. Güdemann l. c. p. 212—216. — *ἐν οἷς κτλ.*] Mischna Para 3, 1 narrat, sacerdotem septem dies ante vaccae combustionem purificatum esse, et s. scriptura Num. 19, 7. 8 docet, eum vaccam mactando ac comburendo una cum illis, qui eum adiuvabant, impurum evasisse. Si Barnabam audieris, illi viri iam antea impuri fuisse videntur. Sed de industria verba sua elegit; voluit enim non solum de levitica impuritate loqui, sed etiam de peccatis, sc. eorum, quorum typum illos viros habuit, interfectorum Iesu. — *ῥαντίζειν τ. π.*] B. von loquitur de aspersione sanguinis vaccae rubrae, quae a sacerdote solo fiebat (Num. 19, 4), sed de aspersione aquae cinere permistae, quae a mundo quoque (Num. 19, 19) fieri potuit. Cf. Mischna Para 3, 3. 4. — *καθ' ἕνα τ. λ.*] i. e. singulos, qui immundi facti purificandi erant.

VIII. Quam autem figuram putatis esse, quod praeceptum est Israël, ut homines, in quibus peccata abundant, iuvencam offerant et eam mactatam comburant, utque tunc pueri tollant cinerem et in vasa mittant et ligno alligent lanam coccineam (ecce iterum figura crucis et lana coccinea) et hyssopum et sic populum singulatim pueri aspergant, ut a peccatis purgentur? 2. Aspicite, quomodo in simplicitate vobis loquatur Dominus. Vitulus Iesus est; homines nequam, qui offerunt, sunt ii, qui Dominum ad necem obtulerunt. Deinde non amplius viri nec amplius peccatorum honor. 3. Pueri vero aspergentes sunt ii, qui nuntiaverunt nobis remissionem peccatorum et purificationem cordis, quibus dedit evangelii praedicandi potestatem, quique sunt duodecim in testimonium tribuum, quia apud Israëlitas duodecim erant tribus. 4. At cur tres pueri aspergentes? Nempe in testimonium Abrahae, Isaac, Iacob, quod hi magni fuerunt coram Deo. 5. Cur vero lana in ligno? Quia dominium Iesus in ligno est et quia, qui in illum sperant, vivent in aeternum. 6. Quare autem simul lana et hyssopum? Quoniam in regno illius erunt dies mali ac sordidi, in quibus nos servabimur: quandoquidem, qui corpore aegrotat, per sordes hyssopi curatur. 7. Et propter hoc, quae ita se habent, nobis manifesta sunt, illis autem obscura, quia non audierunt vocem Domini.

IX. Loquitur enim iterum de auribus, quomodo cor nostrum

2. *ἐν* om G | *λέγει*: *λεγεται* S | *μόσχος*: add *οὖν* G | *ὁ* .. *ἐστιν* om C | *τὴν* om G — *λέγει*] sc. Dominus, qui sensum scripturae absconditum nobis reclusit. — *μόσχος*] Hieronymus in Ezech. 43, 19 hoc Barnabae dictum laudat. — *εἶτα κτλ.*] Sensus esse videtur: relinquamus viros istos, quorum honor erat vaccae oblatio, et transeamus ad pueros, qui Christi praecones repraesentant. Hilgenfeld.

3. *δὲ* om S* C | *οἱ* om G | *εὐαγγελισάμενοι* c. S L: *-ζόμενοι* C G | *τ. καρδίας* om C | *δεκαδύο* c. G: *δώδεκα* C, *ιβ* S | *αἱ* a. *φυλαὶ* G.

4. *καὶ* a. *Ἰσαὰκ* et *Ἰακὼβ* G.

5. *ξύλῳ* c. C G (*τῷ ξ.*): *ξυλον* S | *καὶ ὅτι* c. S C: *διότι* G — *ἡ βασιλεία κτλ.*] Iust. Dial. c. 73 laudat Ps. 95, 10 hoc modo: . . . *ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου.* Cf Tert. adv. Marc. III c. 19; adv. Iud. c. 10.

6. *καὶ* p. *ὅτι* om S | *ὁ* om G — *ῥύπου*] respondet vocabulo *ῥυπαραὶ* et B. de ***sorde hyssopi*** ob cinerem aquae admistum (v. 1) loqui videtur.

IX, 1. *τὴν* c. C S: *καὶ τὴν* G | *ὁ* a. *κύριος* G | *περιτμηθήσεσθε* G — Ps. 17, 45. Ies. 33, 13. Ier. 4, 4.

τὴν καρδίαν. Λέγει κύριος ἐν τῷ προφήτῃ· *Εἰς ἀκοὴν ὠτίου ὑπήκουσάν μου.* Καὶ πάλιν λέγει· *Ἀκοῇ ἀκούσονται οἱ πόρρωθεν, ἃ ἐποίησα γνώσονται·* καί· *Περιτμήθητε,* λέγει κύριος, *τὰς καρδίας ὑμῶν.* 2. Καὶ πάλιν λέγει· *Ἄκουε Ἰσραήλ, ὅτι τάδε λέγει κύριος ὁ θεός σου.* Καὶ πάλιν τὸ πνεῦμα κυρίου προφητεύει· *Τίς ἐστιν ὁ θέλων ζῆσαι εἰς τὸν αἰῶνα; Ἀκοῇ ἀκουσάτω τῆς φωνῆς τοῦ παιδός μου.* 3. Καὶ πάλιν λέγει· *Ἄκουε οὐρανέ, καὶ ἐνωτίζου γῆ, ὅτι κύριος ἐλάλησεν ταῦτα εἰς μαρτύριον.* Καὶ πάλιν λέγει· *Ἀκούσατε λόγον κυρίου, ἄρχοντες τοῦ λαοῦ τούτου.* Καὶ πάλιν λέγει· *Ἀκούσατε, τέκνα, φωνῆς βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ.* Οὐκοῦν περιέτεμεν ἡμῶν τὰς ἀκοάς, ἵνα ἀκούσαντες λόγον πιστεύσωμεν ἡμεῖς. 4. Ἀλλὰ καὶ ἡ περιτομή, ἐφ' ᾗ πεποίθασιν, κατήργηται. Περιτομὴν γὰρ εἴρηκεν οὐ σαρκὸς γενηθῆναι· ἀλλὰ παρέβησαν, ὅτι ἄγγελος πονηρὸς ἐσόφιζεν αὐτούς. 5. Λέγει δὲ πρὸς αὐτούς· *Τάδε λέγει κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν* (ὧδε εὑρίσκω ἐντολήν)· *Μὴ σπείρητε ἐπ' ἀκάνθαις, περιτμήθητε τῷ κυρίῳ ὑμῶν.* Καὶ τί λέγει; *Περιτμήθητε τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν καὶ τὸν τράχηλον ὑμῶν οὐ σκληρυνεῖτε.* Λάβε πάλιν· *Ἰδού, λέγει κύριος, πάντα τὰ ἔθνη ἀπερίτμητα ἀκροβυστίᾳ, ὁ δὲ λαὸς οὗτος ἀπερίτμητος καρδίᾳ.* 6. Ἀλλ' ἐρεῖς· Καὶ μὴν περιτέτμηται ὁ λαὸς εἰς σφραγῖδα. Ἀλλὰ καὶ πᾶς Σύρος καὶ Ἄραψ καὶ πάντες οἱ ἱερεῖς τῶν εἰδώλων. Ἆρα οὖν κἀκεῖνοι ἐκ τῆς διαθήκης αὐτῶν εἰσίν. Ἀλλὰ καὶ οἱ Αἰγύπτιοι ἐν περιτομῇ εἰσίν. 7. Μάθετε οὖν, τέκνα ἀγάπης, περὶ πάντων πλουσίως, ὅτι Ἀβραάμ, πρῶτος περιτομὴν δούς, ἐν πνεύματι προβλέψας εἰς τὸν Ἰησοῦν περιέτεμεν, λαβὼν τριῶν γραμμάτων δόγματα. 8. Λέγει γάρ· *Καὶ*

2. *καὶ — προφητεύει* c. G L: om S C | *τίς: τίς δὲ* C | *τοὺς αἰῶνας* C — Ier. 7, 2. 3. Ps. 33, 13. Verba *ἀκοῇ κτλ.* in Ps. 33 desunt; B. forsan Exod. 15, 26 vel Deut. 15, 5 respexit.

3. *τῆς* a. *φωνῆς* G | *ἔτεμεν* C | *ἀκ. λόγον* c. C G L: *ακουσωμεν λ. και μη μονον* S | *ἡμεῖς* om G — Ies. 1, 2. 10; 40. 3.

4. *ἀλλὰ κ. ἡ* c. S C: *ἡ γὰρ* G | *ᾗ* c. C G: *ης* S | *ἐπεπείθεισαν* C — *παρέβησαν*] i. e. Iudaei prophetarum verba male intellegentes carnis circumcisionem instituerunt, quam Dominus prohibuerat.

5. *δὲ* c. C L: om S G | *σπειρετε* S | *κυρίῳ: θεω* S | *τὴν σκλ.* c. S C: *τὴν σκληρὸν τῆς καρδίας* G | *σκληρυνεῖτε* c. S C (hic add c. LXX *ἔτι*): *μὴ σκληρύνητε* G | *λάβε* c. S C: *καὶ* G | *ἀπερίτμητα* om S | *ἀκροβυστίᾳ* c. C -*στίαν* S (LXX), -*στα* G | *καρδίας* S LXX — Ier. 4, 3. Deut. 10, 16 Ier. 9, 25. 26. — *ἐντολήν*] sc. ne car-

2. *μιᾷ — ὑποτασσόμενοι* c. L[1] coll A: *μιᾷ ὑποταγῇ ἦτε κατηρτισμένοι τῷ αὐτῷ νοΐ καὶ τῇ αὐτῇ γνώμῃ καὶ τὸ αὐτὸ λέγητε* (*λέγετε* G[2]) *πάντες περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἵνα ἐπιτασσόμενοι* (*ὑποτ.* G[2]) G[1] G[2] cf. I Cor. 1, 10 - *ὀναίμην*] Cf. Magn. 2, 12. Rom. 5, 2. Polyc. 1, 1; 6, 2. Paul. ad Philem. 20.

III, 1. *τις* c. G[1] L[1]: *τι* G[2] A cf. Gal. 2, 6; 6, 3 | *ὀνόματι* c. G[1] (G[2]): add *Χριστοῦ* L[1] (L[2]), *propter veritatis nomen* A | *ὑπαλειφθῆναι* c. G[1]: *ὑποληφθῆναι* L[1], *ὑπομνησθῆναι* G[2] -- *οὐ διατάσσομαι*] Cf. Trall. 3, 3. Rom. 4, 3. — *ὀνόματι*] sc. Christi. Eandem omissionem habes 7, 1. Philad. 10, 1. Act. 5, 41. III Ioann. 7. II Clem. 13, 1. Tert. de idol. c. 14. — *συνδιδασκαλῖται*] non sunt *συνδιδάσκαλοι*, sed *συσχολασταί* (Epiph. h. 44 c. 1), quibus idem est magister vel una schola et disciplina (*διδασκαλεῖον*). Idem autem omnium magister est Christus (15, 1). Zahn. — *ὑπαλειφθῆναι*] i. e. ungi, excitari, instrui, ad certamen praeparari. Pearson.

2. *καὶ γὰρ — εἰσὶν* om S | *ἀδιάκριτον* c. G[1]: *ἀσύγκριτον* L[1], *ἀληθινὸν* A | *ἡμῶν* e. L[1] A: *ὑμῶν* G[1] |

διὰ τοῦτο προέλαβον παρακαλεῖν ὑμᾶς, ὅπως συντρέχητε τῇ γνώμῃ τοῦ θεοῦ. Καὶ γὰρ Ἰησοῦς Χριστός, τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τοῦ πατρὸς ἡ γνώμη, ὡς καὶ οἱ ἐπίσκοποι, οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες, ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν.

IV. Ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῇ τοῦ ἐπισκόπου γνώμῃ, ὅπερ καὶ ποιεῖτε. Τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, τοῦ θεοῦ ἄξιον, οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. Διὰ τοῦτο ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν καὶ συμφώνῳ ἀγάπῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ᾄδεται. 2. Καὶ οἱ κατ' ἄνδρα δὲ χορὸς γίνεσθε, ἵνα σύμφωνοι ὄντες ἐν ὁμονοίᾳ, χρῶμα θεοῦ λαβόντες ἐν ἑνότητι, ᾄδητε ἐν φωνῇ μιᾷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ πατρί, ἵνα ὑμῶν καὶ ἀκούσῃ καὶ ἐπιγινώσκῃ δι' ὧν εὖ πράσσετε μέλη ὄντας τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Χρήσιμον οὖν ἐστίν, ὑμᾶς ἐν ἀμώμῳ ἑνότητι εἶναι, ἵνα καὶ θεοῦ πάντοτε μετέχητε.

V. Εἰ γὰρ ἐγὼ ἐν μικρῷ χρόνῳ τοιαύτην συνήθειαν ἔσχον πρὸς τὸν ἐπίσκοπον ὑμῶν, οὐκ ἀνθρωπίνην οὖσαν, ἀλλὰ πνευματικήν, πόσῳ μᾶλλον ὑμᾶς μακαρίζω τοὺς ἐγκεκραμένους αὐτῷ, ὡς ἡ ἐκκλησία Ἰησοῦ Χριστῷ καὶ ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρί, ἵνα πάντα ἐν ἑνότητι σύμφωνα ᾖ; 2. Μηδεὶς πλανάσθω· ἐὰν μή τις ᾖ ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ θεοῦ. Εἰ γὰρ ἑνὸς καὶ δευτέρου προσευχὴ τοσαύτην ἰσχὺν ἔχει, πόσῳ μᾶλλον ἥ τε τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας; 3. Ὁ οὖν μὴ ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ αὐτό, οὗτος ἤδη ὑπερηφανεῖ καὶ ἑαυτὸν διέκρινεν. Γέγραπται γάρ· *Ὑπερηφάνοις ὁ θεὸς ἀντιτάσσεται.* Σπουδάσωμεν οὖν μὴ ἀντιτάσσεσθαι τῷ ἐπισκόπῳ, ἵνα ὦμεν θεῷ ὑποτασσόμενοι.

VI. Καὶ ὅσον βλέπει τις σιγῶντα ἐπίσκοπον, πλειόνως αὐτὸν

πέρατα G[1]: add *τῆς γῆς* L[1] (A) | *ἐν* om L[1] — *δ. τοῦτο κτλ.*] Cf. Philem. 8—10. — *γνώμῃ*] et sententiam et voluntatem hic significat. — *τὸ ἀδ. ἡμῶν ζῆν*] i. e. vita, quae a nobis separari nequit. Cf. Magn. 15. Trall. 1, 1. Rom. et Philad. inscr. — *κ. τ. πέρατα*] = *ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ*. Cf. Rom. 6, 1. Vocem obscuram hunc sensum habere contextus docere videtur. Ign. enim dicit, ut Christum sententiam esse patris, sic episcopos, scilicet omnes seu episcopatum, sententiam Christi.

IV—VII. Deest apud S.

1. *ὡς χορδαὶ κ.*] Cf. Philad. 1, 2.

2. *γίνεσθε* c. G[1] (G[2]) : *ἐγένεσθε* L[1] | *ᾄδετε* G[1] | *ἐπιγινώσκῃ* c. L[1] A : *ἐπιγινώσκων* G[1] | *ὧν* c. G[1] : *οὗ* L[1] | *μετέχετε* G[1]

V, 1. *αὐτῷ* c. G[2] A : *οὕτως* G[1] L[1] — *ἀνθρωπίνην*] i. e. *κατὰ σάρκα* i. e.

caritas non sinat me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut uniamini in sententia Dei. Etenim Iesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia patris est, ut et episcopi, per tractus terra constituti, in sententia Iesu Christi sunt.

IV. Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordae citharae. Propter hoc in consensu vestro et concordi caritate Iesus Christus canitur. 2. Sed et vos singuli chorus estote, ut consoni per concordiam, melos Dei recipientes in unitate, cantetis voce una per Iesum Christum patri, quo et vos audiat et agnoscat ex iis, quae bene operamini, membra esse vos filii ipsius. Utile itaque est, in immaculata unitate vos esse, ut et semper participetis Deo.

V. Si enim ego brevi temporis spatio talem consuetudinem contraxi cum episcopo vestro, quae non humana, sed spiritualis est; quanto vos beatiores iudico, coniunctos ei sicuti ecclesia Iesu Christo et sicut Iesus Christus patri, ut omnia per unitatem consentiant? 2. Nemo erret: nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantam vim habet, quanto magis illa, quae episcopi est et totius ecclesiae? 3. Qui igitur in conventum non venit, hic iam superbia elatus est et seipsum separavit atque iudicavit. Scriptum est enim: *Superbis Deus resistit.* Studeamus igitur episcopo non resistere, ut simus subiecti Deo.

VI. Et quamdiu quis episcopum tacentem videt, tanto

qualem homines saeculo addicti exercent. H.

2—3. Sacra Parallela Rupefucaldina in opp. Ioann. Dam. ed. Lequien II 772 (— *ἀντιτάσσεται*). — *ἐντὸς τ. θυσιαστηρίου*] Cf. Trall. 7.

3—VI, 1. Parall. Rupef. l. c. II 779. Anton. Melissa II serm. 3. Fragment. syr. Curet. Corp. Ign. 197, 232 (*σπουδάσωμεν κτλ.*) — *θεῷ* c. L[1] Par Ant: *θεοῦ* G[1] — *ὑπερηφάνοις κτλ.*] Prov. 3, 34. Iac. 4, 6. I Petr. 5, 5.

VI, 1. Parall. Rupef. l. c. II 750 (*πάντα — πέμψαντα*). — *δῆλον ὅτι* c. L[1]: *δηλονότι* G[1] | *προσβλέπειν* c. G[2] Par Ant L[1]: *προβλ.* G[1] — *σιγῶντα*] i. e. non punientem auctoritatis suae contemptores. Cf. 15, 1. Philad. 1, 1. H. — *πάντα κτλ.*] Ignatius verba Evangelii: *Τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος, . . ὃν κατέστησεν*

φοβείσθω· πάντα γάρ, ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι, ὡς αὐτὸν τὸν πέμψαντα. Τὸν οὖν ἐπίσκοπον δῆλον ὅτι ὡς αὐτὸν τὸν κύριον δεῖ προσβλέπειν. 2. Αὐτὸς μὲν οὖν Ὀνήσιμος ὑπερεπαινεῖ ὑμῶν τὴν ἐν θεῷ εὐταξίαν, ὅτι πάντες κατὰ ἀλήθειαν ζῆτε καὶ ὅτι ἐν ὑμῖν οὐδεμία αἵρεσις κατοικεῖ· ἀλλ' οὐδὲ ἀκούετέ τινος πλέον, εἴπερ Ἰησοῦ Χριστοῦ λαλοῦντος ἐν ἀληθείᾳ.

VII. Εἰώθασι γάρ τινες δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα περιφέρειν, ἄλλα τινὰ πράσσοντες ἀνάξια θεοῦ· οὓς δεῖ ὑμᾶς ὡς θηρία ἐκκλίνειν. Εἰσὶν γὰρ κύνες λυσσῶντες, λαθροδῆκται· οὓς δεῖ ὑμᾶς φυλάσσεσθαι ὄντας δυσθεραπεύτους. 2. Εἷς ἰατρός ἐστιν, σαρκικός τε καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος θεός, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινή, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ θεοῦ, πρῶτον παθητὸς καὶ τότε ἀπαθής, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν.

VIII. Μὴ οὖν τις ὑμᾶς ἐξαπατάτω, ὥσπερ οὐδὲ ἐξαπατᾶσθε, ὅλοι ὄντες θεοῦ. Ὅταν γὰρ μηδεμία ἔρις ἐνήρειστσι ἐν ὑμῖν ἡ δυναμένη ὑμᾶς βασανίσαι, ἄρα κατὰ θεὸν ζῆτε. Περίψημα ὑμῶν, καὶ ἁγνίζομαι ὑπὲρ ὑμῶν Ἐφεσίων, ἐκκλησίας τῆς διαβοήτου τοῖς αἰῶσιν. 2. Οἱ σαρκικοὶ τὰ πνευματικὰ πράσσειν οὐ δύνανται οὐδὲ

ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ (Luc. 12, 42 cf. Matth. 24, 45) speciatim ad episcopos refert. Eodem modo dictum illud interpretatur Irenaeus adv. haer. IV c. 26, 5.

2. *εὐταξίαν* c. G[1] G[2]: *ἐπιτ.* L[1] *εἴπερ* c. G[1]: *ἥπερ* L[1], *εἰ μὴ περὶ* A — *εἴπερ Ἰησοῦ κτλ.*] Opponitur Christus re vera (*ἐν ἀληθείᾳ* = *ἀληθῶς* cf. 17, 2. Rom. 8, 2) loquens Christo, qui dicere ac docere aliquid dicitur a doctoribus haereticis. Confidit Ign. Ephesios, si quidem Christum per apostolos, episcopos, doctores quoslibet pios loquentem audiant veramque eius loquelam perceperint (cf. 15, 2), alieni doctoris ne audiendi quidem, nedum recipiendi cupidos esse. Zahn.

VII, 1. Parall. Rupef. l. c. II 778 — *ὄνομα*] Cf. 3, 1. — *ὡς θηρία*] Cf. Smyrn. 4, 1. Eus. h. e. IV c. 24, 2 — *φυλάσσεσθαι κτλ.*] i. e. haeretici cum vix corrigendi sint, relinquendi sunt uni et corporum et animarum medico Christo.

2. Athan. de synod. c. 47. Theodoret. Dialog. I ed. Migne IV 88. Gelasius de duabus in Chr. naturis (Magna bibl. patr. Paris. 1654. IV. I 423). Severus Antioch. Curet. 218, 219. Fragm. syr. Curet. ib. — *γεννητὸς κ. ἀγέννητος* c. G[1] L[1] (G[2]) coll Theod. (*γέννητος ἐξ ἀγεννήτου*): *γένητος κ. ἀγένητος* edd nonnulli | *ἐν ἀθανάτῳ* G[1] L[1] | *ζωὴ ἀληθινὴ* c. L[1] Athan Theod Sev Sf: *ζωῇ ἀληθινῇ* G[1] | *Ἰησοῦς — ἡμῶν* c. A Sf Theod

magis eum revereatur; quemcumque enim paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum. 2. Et ipse quidem Onesimus supra modum laudat vestrum decentem divinumque ordinem, quod omnes secundum veritatem vivatis et quod inter vos nullus sit haeresi locus; sed neque auditis aliquem amplius, si quidem Iesus Christus re vera ad vos loquitur.

VII. Solent enim nonnulli malo dolo nomen quidem circumferre, alia quaedam patrantes indigna Deo; quos oportet vos ut feras evitare. Sunt enim canes rabidi, clam mordentes; quos a vobis vitari oportet ut morbo difficulter curabili laborantes. 2. Medicus autem unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne exsistens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, Iesus Christus Dominus noster.

VIII. Ne quis igitur vos seducat, sicut nec seducimini; toti namque estis Dei. Cum enim nulla lite implicemini, quae vos discruciare possit, profecto secundum Deum vivitis. Peripsema vestri sum, et immolor pro vobis Ephesiis, ecclesia celeberrima in saeculis. 2. Carnales spiritualia exercere nequeunt

Sev (L[1]) : om G[1] — *γεννητὸς κ. ἀγένν.*] Genitus ab Ignatio Christus vocatur, quatenus ex Maria virgine per virtutem et voluntatem Dei carnem sumpsit (Sm. 1, 1); ingenitus autem, quatenus Deus est et una cum patre ante saecula exsistit (Polyc. 3, 2). Zahn contulit Hippol. refut. IX c. 10 ed. Gott. p. 448, ubi Deus a Noetianis *ἀγέννητος καὶ γεννητός, ἀθάνατος καὶ θνητὸς* dicitur, et Tertull. de carne Christi c. 5, ubi similia de Christo praedicantur.

VIII, 1. *μὴ — θεοῦ*: om S | *ἐνήρεισται* con Z: *ἐνείρισται* G[1], *ἐνείλικται* L[1], *plantata est* S A | *ὑπὲρ* con Z coll S A *(pro vobis)*: *ὑπὸ* L[1], om G[1] — *περίψημα*] Cf. 18, 1. Barn. 4, 9. Non sordes vel purgamentum (I Cor. 4, 13), ut editores plerique hunc locum interpretati sunt, sed piaculum se declarat Ignatius. — *ἁγνίζομαι κτλ.*] Locus ab aliis aliter explicatus. H. interpretatus est: *lustrandus* (*ἁγνίζωμαι*) *a vestra Ephesiorum ecclesia;* Nirschl: *sanctificor in vobis.* Sin autem ante *ὑμῶν* excidit praepositio *ὑπέρ*, quam habent versiones orientales quamque Ignatium scripsisse Latinus quoque prodit, verbum aeque ac praecedens rectius de piaculo intellegitur.

2. Antioch. Monach. hom. 112 (Migne Patrol. gr. LXXXIX 1783). Ioann. Dam. S. Parallela opp. ed. Lequien II 687 (– *σαρκικά*). — *πράσ-*

οἱ πνευματικοὶ τὰ σαρκικά, ὥσπερ οὐδὲ ἡ πίστις τὰ τῆς ἀπιστίας οὐδὲ ἡ ἀπιστία τὰ τῆς πίστεως. Ἃ δὲ καὶ κατὰ σάρκα πράσσετε, ταῦτα πνευματικά ἐστιν· ἐν Ἰησοῦ γὰρ Χριστῷ πάντα πράσσετε.

IX. Ἔγνων δὲ παροδεύσαντάς τινας ἐκεῖθεν, ἔχοντας κακὴν διδαχήν· οὓς οὐκ εἰάσατε σπεῖραι εἰς ὑμᾶς, βύσαντες τὰ ὦτα, εἰς τὸ μὴ παραδέξασθαι τὰ σπειρόμενα ὑπ' αὐτῶν, ὡς ὄντες λίθοι ναοῦ πατρός, ἡτοιμασμένοι εἰς οἰκοδομὴν θεοῦ πατρός, ἀναφερόμενοι εἰς τὰ ὕψη διὰ τῆς μηχανῆς Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅς ἐστιν σταυρός, σχοινίῳ χρώμενοι τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ· ἡ δὲ πίστις ὑμῶν ἀναγωγεὺς ὑμῶν, ἡ δὲ ἀγάπη ὁδὸς ἡ ἀναφέρουσα εἰς θεόν. 2. Ἐστὲ οὖν καὶ σύνοδοι πάντες, θεοφόροι καὶ ναοφόροι, χριστοφόροι, ἁγιοφόροι, κατὰ πάντα κεκοσμημένοι ἐν ταῖς ἐντολαῖς Ἰησοῦ Χριστοῦ· οἷς καὶ ἀγαλλιῶμαι, ὅτι ἠξιώθην δι' ὧν γράφω προσομιλῆσαι ὑμῖν καὶ συγχαρῆναι, ὅτι κατ' ἄλλον βίον οὐδὲν ἀγαπᾶτε εἰ μὴ μόνον τὸν θεόν.

X. Καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων δὲ ἀνθρώπων ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε. Ἔστιν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐλπὶς μετανοίας, ἵνα θεοῦ τύχωσιν. Ἐπιτρέψατε οὖν αὐτοῖς κἂν ἐκ τῶν ἔργων ὑμῖν μαθητευθῆναι. 2. Πρὸς τὰς ὀργὰς αὐτῶν ὑμεῖς πραεῖς, πρὸς τὰς μεγαλορρημοσύνας αὐτῶν ὑμεῖς ταπεινόφρονες, πρὸς τὰς βλασφημίας αὐτῶν ὑμεῖς τὰς προσευχάς, πρὸς τὴν πλάνην αὐτῶν ὑμεῖς ἑδραῖοι τῇ πίστει, πρὸς τὸ ἄγριον αὐτῶν ὑμεῖς ἥμεροι, μὴ σπουδάζοντες ἀντιμιμήσασθαι αὐτούς. 3. Ἀδελφοὶ αὐτῶν εὑρεθῶμεν τῇ ἐπιεικείᾳ· μιμηταὶ δὲ τοῦ κυρίου σπουδάζωμεν εἶναι (τίς πλέον ἀδικηθείς,

σετε bis c. G[1] S A: *πράσσεται* L[1]

IX. Substantiam capitis exhibet Antiochus Monachus hom. 1 (Migne Patrol. gr. LXXXIX 1431).

1. Parall. Rupef. II 785 (*ἡ δὲ πίστις κτλ.*). — *ἔγνων* — *ἡτοιμασμένοι*: om S — *ἐκεῖθεν* i. e. ab Epheso. Ne opponas, quod Ign. 6, 2 nullam haeresim Ephesi esse dixit. Neque enim contendit, haereticos invenisse, qui ipsos sequerentur. Ubi haereticis occurrerit, Ignatius non dicit. Sed conicere licet, Philadelphiae eum illos cognovisse, quam urbem in itinere suo attigit. Cf. Prolegom. c. 1. — *β. τ. ὦτα*] Cf. Trall. 9, 1. — *ἀναφερόμενοι κτλ.*] Cf. Hippolyt. de Chr. et Antichr. c. 59 (ed. Lagarde 31, 3 sq.). Method. de cruce (Opp. Gretseri II 403). Iren. fragm. 28 (ed. Stieren I 842).

2. Deest apud S | *χριστοφόροι* c. G[1]: *καὶ χρ.* L[1] | *ἐν ταῖς* c. G[1] L[1] Ant: om G[1] | *ἄλλον*: *ὅλον* con Markland — *σύνοδοι* (= *συνοδῖται*) *κτλ.*] Ign. his verbis utens, ut Pearson (Anno-

neque spirituales carnalia, sicut nec fides, quae incredulitatis sunt, nec incredulitas, quae fidei. Quae vero et secundum carnem agitis, ea spiritualia sunt; in Iesu Christo enim omnia agitis.

IX. Cognovi autem nonnullos, qui inde mihi obviam venerunt quique habent perversam doctrinam; quos non permisistis seminare inter vos, et obturastis aures, ne reciperetis, quae ab ipsis sunt disseminata, ut qui lapides sitis templi patris, praeparati in Dei patris aedificium, sublati in alta per machinam Iesu Christi, quae est crux, spiritu sancto pro fune utentes; fides autem vestra vos sursum trahit, caritas vero via deducens ad Deum. 2. Estis igitur et viae comites omnes, deiferi et templiferi, christiferi, sanctiferi, per omnia ornati in praeceptis Iesu Christi; propter quos exsulto, quod dignus habitus sim, per ea, quae scribo, colloqui vobiscum et simul gaudere; quia ratione alterius vitae habita nihil diligitis praeter solum Deum.

X. Sed et pro aliis hominibus indesinenter orate. Est enim ipsis spes paenitentiae, ut Deum nanciscantur. Permittite itaque ipsos saltem ex operibus a vobis erudiri. 2. Sitis vos adversus iras eorum mites, adversus magniloquentias eorum humiles, eorum maledictis opponite vos preces, adversus errorem eorum vos firmi permanete in fide, adversus efferos mores illorum vos mansueti sitis, non studentes ipsos imitari. 3. Fratres eorum inveniamur per benignitatem, imitatores autem Domini studeamus esse (quis maiorem iniuriam passus est un-

tat. p. 27) opinatur, pompas et processiones Ephesiorum gentilium prae oculis habuisse videtur. — *κατ' ἄλλον βίον*] i. e. secundum vitam christianam, quae *alia* est a vita naturali. Smith. Lectio, quam interpolator quoque habuisse videtur, difficilis quidem est, sed sensu non caret.

X, 1. *ἄλλων*] i. e. qui nondum sunt Christi discipuli.

2—3. Antioch. Mon. hom. 116. Migne 1794 (— *ἀδικηθείς*). — *προσευχάς*] sc. *ἀντιτάξατε*, quod addit G[2]. — *ἑδραῖοι τ. π.*] Cf. Col. 1, 23. Polyc. Phil. 10, 1. — *μὴ σπουδάζοντες κτλ.*] Smith et alii haec verba cum *ἀδελφοὶ κτλ.* in v. 3 coniunxerunt.

3. *ἀδικηθεὶς* — *ἀθετηθεὶς* con H: *ἀδικηθεῖ -θεῖ -θεῖ* G[1], *ἀδικηθῇ κτλ.* L[1] (S) | *ἵνα* — *πνευματικῶς*: ⁚om S | *μένητε* c. L[1]: *μένετε* G[1] — *βοτάνη*] Cf. Philad. 3, 1. Trall. 6 (11, 1).

τίς ἀποστερηθείς, τίς ἀθετηθείς;), ἵνα μὴ τοῦ διαβόλου βοτάνη τις εὑρεθῇ ἐν ὑμῖν, ἀλλ' ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ καὶ σωφροσύνῃ μένητε ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ σαρκικῶς καὶ πνευματικῶς.

XI. Ἔσχατοι καιροί· λοιπὸν αἰσχυνθῶμεν, φοβηθῶμεν τὴν μακροθυμίαν τοῦ θεοῦ, ἵνα μὴ ἡμῖν εἰς κρίμα γένηται. Ἢ γὰρ τὴν μέλλουσαν ὀργὴν φοβηθῶμεν, ἢ τὴν ἐνεστῶσαν χάριν ἀγαπήσωμεν· ἓν τῶν δύο· μόνον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εὑρεθῆναι εἰς τὸ ἀληθινὸν ζῆν. 2. Χωρὶς τούτου μηδὲν ὑμῖν πρεπέτω, ἐν ᾧ τὰ δεσμὰ περιφέρω, τοὺς πνευματικοὺς μαργαρίτας, ἐν οἷς γένοιτό μοι ἀναστῆναι τῇ προσευχῇ ὑμῶν, ἧς γένοιτό μοι ἀεὶ μέτοχον εἶναι, ἵνα ἐν κλήρῳ Ἐφεσίων εὑρεθῶ τῶν χριστιανῶν, οἳ καὶ τοῖς ἀποστόλοις πάντοτε συνῄνεσαν ἐν δυνάμει Ἰησοῦ Χριστοῦ.

XII. Οἶδα, τίς εἰμι καὶ τίσιν γράφω. Ἐγὼ κατάκριτος, ὑμεῖς ἠλεημένοι· ἐγὼ ὑπὸ κίνδυνον, ὑμεῖς ἐστηριγμένοι. 2. Πάροδός ἐστε τῶν εἰς θεὸν ἀναιρουμένων· Παύλου συμμύσται, τοῦ ἡγιασμένου, τοῦ μεμαρτυρημένου, ἀξιομακαρίστου, οὗ γένοιτό με ὑπὸ τὰ ἴχνη εὑρεθῆναι, ὅταν θεοῦ ἐπιτύχω, ὃς ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

XIII. Σπουδάζετε οὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν θεοῦ καὶ εἰς δόξαν. Ὅταν γὰρ πυκνῶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ γίνεσθε, καθαιροῦνται αἱ δυνάμεις τοῦ Σατανᾶ, καὶ λύεται ὁ ὄλεθρος αὐτοῦ ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν τῆς πίστεως. 2. Οὐδέν ἐστιν ἄμεινον εἰρήνης, ἐν ᾗ πᾶς πόλεμος καταργεῖται ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων.

XI—XIV, 1. Deest apud S.

1. Parall. Rupefuc. l. c. II 777. — *ἓν τῶν δύο* c. G[1] L[1]: *ἐν τῷ νῦν βίῳ* G[3] A Par | *εὑρεθῆναι* c. G[1] G[2]: *εὑρεθῶμεν* A Par, *εὑρίσκεται* L[1] — *ἔσχατοι κ.*] I Ioann. 2, 18. I Cor. 7, 29.

2. *ᾧ* c. L[1] G[2]: *τῷ* G[1] | *ἐν κλήρῳ* c. L[1] G[2]: *ἐνὶ κλ.* G[1] | *συνῄνεσαν* c. G[1] L[1]: *συνῆσαν* Z c. G[2] A — *μαργαρίτας*] Cf. Polyc. ad Phil. 1, 1. Eus. h. e. V c. 1, 35.

XII, 1. Cf. 3, 1. I Cor. 4, 10.

2. *ὅταν*: *ὅτ' ἂν* aut *ὅτάν* G[1] hic et alibi — *πάροδος κτλ.*] i. e. a vobis, per quorum civitatem transitus est ab Oriente Romam, roborantur ii, qui ob Deum interficiuntur, e. g. Paulus (Act. 20, 17 sqq.) et nunc ego H. Nec tamen silentio praetereundum est, et Paulum et Ignatium Romam iter facientes non tam Ephesum quam eos vidisse, qui ab urbe missi erant. — *συμμύσται*] i. e. cum s. Paulo initiati estis mysteriis divini consilii et christianae veritatis Cf. Eph. 1, 9; 3, 3. H. — *ἐν πάσῃ ἐπ.*]. Pearson et alii hanc vocem a

quam, quis magis destitutus, quis magis contemptus?), ne herba aliqua diaboli in vobis inveniatur, sed in omni puritate et temperantia maneatis in Iesu Christo carnaliter et spiritualiter.

XI. Novissima sunt tempora: reliquum est, ut revereamur et timeamus Dei longanimitatem, ne in iudicium nobis cedat. Aut enim futuram timeamus iram, aut praesentem gratiam diligamus; unum ex duobus; modo in Christo Iesu inveniamur ad veram vitam vivendam. 2. Sine ipso nihil vos deceat, in quo vincula circumfero, spirituales margaritas, in quibus resurgere mihi contingat oratione vestra, cuius me opto semper fieri participem, ut inveniar in sorte Ephesiorum christianorum, qui et apostolis semper consenserunt in virtute Iesu Christi.

XII. Scio, quis sim et quibus scribam. Ego condemnatus, vos misericordiam assecuti; ego periculo obnoxius, vos confirmati. 2. Transitus estis eorum, qui ita interficiuntur, ut ad Deum veniant; Pauli symmystae, qui sanctificatus, martyrium consecutus et digne beatus est, ad cuius vestigia contingat mihi ut inveniar, quando Dei particeps fio, qui in omni epistula memor vestri est in Christo Iesu.

XIII. Date itaque operam, ut crebriores congregemini ad gratias Deo agendas et ad eum laudandum. Quando enim crebri in eundem locum convenitis, labefactantur vires Satanae et concordia vestrae fidei solvitur exitium, quod ille infert. 2. Nihil praestantius pace est, qua aboletur omne bellum caelestium et terrenorum.

Pauli epistulam ad Ephesios referentes grammaticae legibus ac re ipsa repugnantibus verterunt: *in tota epistula.* Sed cum apostolus Ephesi Corinthiis (I Cor. 16, 8) et verisimiliter etiam Galatis scripserit, Ephesiorum ecclesiam Timotheo commendaverit (I Tim. 1, 3), Onesiphori et Trophimi Ephesiorum II Tim. 1, 16–18; 4, 19. 20 meminerit, nihil obstat, quominus statuamus, Ignatium rem verissimam paulum exaggerantem dixisse: *in omni epistula.*

Cf. Zahn, Ignatius v. A. p. 607.

XIII. Fragm. syr. Curet. 197, 232.

1. Parall. Rupefuc. l. c. II 778 (*ὅταν κτλ.*). — *πυκνότερον κτλ.*] Hoc loco Ign. non crebriores conventus fieri vult, ut Polyc. 4, 2, sed Ephesios potius admonet, id quod maxime e verbis *ὅταν γ. πυκνῶς κτλ.* elucet, ut, quotiescunque conventum faciant, crebri et ad unum omnes conveniant. Cf. 5, 2.

2. Ioann. Dam. II 354. Anton. Melissa II serm. 67.

XIV. Ὧν οὐδὲν λανθάνει ὑμᾶς, ἐὰν τελείως εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν ἔχητε τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶν ἀρχὴ ζωῆς καὶ τέλος· ἀρχὴ μὲν πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη. Τὰ δὲ δύο ἐν ἑνότητι γενόμενα θεός ἐστιν, τὰ δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκἀγαθίαν ἀκόλουθά ἐστιν. 2. Οὐδεὶς πίστιν ἐπαγγελλόμενος ἁμαρτάνει, οὐδὲ ἀγάπην κεκτημένος μισεῖ. *Φανερὸν τὸ δένδρον ἀπὸ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ*· οὕτως οἱ ἐπαγγελλόμενοι Χριστοῦ εἶναι δι' ὧν πράσσουσιν ὀφθήσονται. Οὐ γὰρ νῦν ἐπαγγελίας τὸ ἔργον, ἀλλ' ἐν δυνάμει πίστεως, ἐάν τις εὑρεθῇ εἰς τέλος.

XV. Ἄμεινόν ἐστιν σιωπᾶν καὶ εἶναι, ἢ λαλοῦντα μὴ εἶναι. Καλὸν τὸ διδάσκειν, ἐὰν ὁ λέγων ποιῇ. Εἷς οὖν διδάσκαλος, ὃς *εἶπεν, καὶ ἐγένετο*· καὶ ἃ σιγῶν δὲ πεποίηκεν, ἄξια τοῦ πατρός ἐστιν. 2. Ὁ λόγον Ἰησοῦ κεκτημένος ἀληθῶς δύναται καὶ τῆς ἡσυχίας αὐτοῦ ἀκούειν, ἵνα τέλειος ᾖ, ἵνα δι' ὧν λαλεῖ πράσσῃ καὶ δι' ὧν σιγᾷ γινώσκηται. 3. Οὐδὲν λανθάνει τὸν κύριον, ἀλλὰ καὶ τὰ κρυπτὰ ἡμῶν ἐγγὺς αὐτῷ ἐστιν. Πάντα οὖν ποιῶμεν ὡς αὐτοῦ ἐν ἡμῖν κατοικοῦντος, ἵνα ὦμεν αὐτοῦ ναοὶ καὶ αὐτὸς ᾖ ἐν ἡμῖν θεὸς ἡμῶν, ὅσπερ καὶ ἔστιν καὶ φανήσεται πρὸ προσώπου ἡμῶν, ἐξ ὧν δικαίως ἀγαπῶμεν αὐτόν.

XVI. *Μὴ πλανᾶσθε*, ἀδελφοί μου. Οἱ οἰκοφθόροι *βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν*. 2. Εἰ οὖν οἱ κατὰ σάρκα ταῦτα πράσσοντες ἀπέθανον, πόσῳ μᾶλλον, ἐάν τις πίστιν θεοῦ ἐν κακῇ

XIV. Parall. Rupef. l. c. II 785.

1. *τά*: *ταῦτα* L[1] | *θεός* c. L[1] Par: *θεοῦ* G[1] — *πίστιν κτλ.*] Cf. Sm. 6, 1. — *ἀρχὴ κτλ.*]. Cf. Barn. 1, 6. I Tim. 1, 4. 5. — *θεός ἐστιν*] i. e. Deum possidet, qui fidem et caritatem habet. Zahn contulit 17, 2, ubi Christum Dei cognitionem esse Ign. dicit (Sm. 10, 2. I Ioann, 4, 8. 16).

2. Antioch. Mon. hom. 57 Migne 1606 (— *ὀφθήσονται*). — *οὐδεὶς* — *ὀφθήσονται*: om S | *Χριστοῦ* c. A G[2] Par Ant: *Χριστιανοί* G[1] L[1] | *εἰς τέλος* c. L[1] S A Par: *καὶ εἰς τ.* G[1] — *φανερὸν κτλ.*] Matth. 12, 33. — *οὐ γὰρ κτλ.*] i. e. non sola professione, sed vi fidei fit, ut quis perseveret usque in finem. Cf. Iac. 2, 20. 26. Gal. 5, 5. H. et Nirschl interpretati sunt: nunc non professione opus est, i. e. nunc non omnia sola professione fidei adimpleta sunt, sed id agitur, num quis in virtute fidei inveniatur usque ad finem.

XV. Antioch. Mon. hom. 22 Migne 1502 sq. (— *αὐτῷ ἐστιν* v. 3). Syrus haec tantum exhibet: *ἄμεινον* — — *μὴ εἶναι* (v. 1), *ἵνα δι' ὧν* — *γινώσκηται* (v. 2), . posteriora verba male cum antecedentibus coniungens.

1. Fragm. syr. Curet. 197, 232 (— *ποιῇ*). — *εἶναι*] sc. Christi (14, 2) vel Christianum. — *καλὸν κτλ.*] Cf. Paul.

XIV. Quorum nihil vos latet, si perfecte habueritis in Iesum Christum fidem et caritatem, quae initium vitae et finis sunt: principium quidem fides, finis vero caritas. Haec autem duo in unum coeuntia Deus sunt, omnia vero alia ad probitatem consectanea sunt. 2. Nullus fidem profitens peccat, neque caritatem possidens odit. *Manifesta est arbor ex fructu suo;* similiter qui profitentur se Christi esse, ex iis, quae faciunt, cernentur. Non enim nunc professionis opus est, sed in virtute fidei, si quis inveniatur usque ad finem.

XV. Melius est tacere et esse, quam loquentem non esse. Bonum est docere, si, qui dicit, faciat. Unus igitur doctor, qui *dixit, et factum est*; sed et quae silens fecit, digna patre sunt. 2. Qui verbum Iesu possidet, vere potest et silentium ipsius audire, ut perfectus sit, ut per ea, quae loquitur, operetur et per silentium suum cognoscatur. 3. Nihil latet Dominum, sed et arcana nostra prope ipsum sunt. Omnia itaque faciamus quasi ipso in nobis habitante, ut illius simus templa et ipse sit in nobis Deus noster, qui et est et apparebit ante faciem nostram, prout iuste diligimus ipsum.

XVI. *Ne erretis,* fratres mei. Familiarum perturbatores *regnum Dei non hereditabunt.* 2. Si autem ii, qui secundum carnem haec operati sunt, morte sunt affecti; quanto magis,

Rom. 2, 21. — εἶπεν κτλ.] Ps. 32, 9; 148, 5; 104, 31. 34. 40. — ἃ σιγῶν κτλ.] i. e. quae Christus ab omni ostentatione alienus perfecit.

2. λαλῇ πράσσει G[1] — δι' ὧν λαλεῖ κτλ.] Similiter dicit Hieronymus ep. 24 c. 5 de Asella: *sermo silens et silentium loquens.*

3. Fragm. syr. Curet. 201, 236. — ὥσπερ em coll L1 (ὥσπερ): ὅπερ G[1] — ἐγγὺς κτλ.] Cf. I Clem. 27, 3. — ἐν ἡμῖν κατ.] Cf. Apoc. 21, 3 (II Cor. 6, 16). Barn. 6, 14. 15; 16, 1 sqq. — ἔστιν κτλ.] Cf. I Ioann. 3, 2. — ἐξ ὧν] = καθώς (Xenoph. Anab. I 9, 28). Ign. non admonitionem profert, sed condicionem, sine qua nemo Christum redeuntem tamquam Deum suum visurus et experturus sit. Cf. Ioann. 14, 21. Zahn.

XVI—XVII. Deest apud S.

XVI. Parall. Rupef. l. c. II 772.

1. I Cor. 6, 9. 10 (Eph. 5, 5). Vox οἰκοφθόροι omne genus fornicariorum denotat. Paulus l. c. nominat πόρνους, μοιχούς, μαλακούς, ἀρσενοκοίτας. Vocem ad perturbatores ecclesiae non esse tranferendam, e sequentibus patet.

2. τις c. L[1] coll G[2]: om G[1] Par — ἀπέθανον] Moses praecepit, ut adulteri lapidarentur. Lev. 20, 10. Ioann. 8, 5. — πῦρ κτλ.] Cf. Matth. 25, 41.

διδασκαλίᾳ φθείρῃ, ὑπὲρ ἧς Ἰησοῦς Χριστὸς ἐσταυρώθη; Ὁ τοιοῦτος, ῥυπαρὸς γενόμενος, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον χωρήσει, ὁμοίως καὶ ὁ ἀκούων αὐτοῦ.

XVII. Διὰ τοῦτο μύρον ἔλαβεν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ὁ κύριος, ἵνα πνέῃ τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφθαρσίαν. Μὴ ἀλείφεσθε δυσωδίαν τῆς διδασκαλίας τοῦ ἄρχοντος τοῦ αἰῶνος τούτου, μὴ αἰχμαλωτίσῃ ὑμᾶς ἐκ τοῦ προκειμένου ζῆν. 2. Διὰ τί δὲ οὐ πάντες φρόνιμοι γινόμεθα, λαβόντες θεοῦ γνῶσιν, ὅ ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός; Τί μωρῶς ἀπολλύμεθα, ἀγνοοῦντες τὸ χάρισμα, ὃ πέπομφεν ἀληθῶς ὁ κύριος;

XVIII. Περίψημα τὸ ἐμὸν πνεῦμα τοῦ σταυροῦ, ὅ ἐστιν σκάνδαλον τοῖς ἀπιστοῦσιν, ἡμῖν δὲ σωτηρία καὶ ζωὴ αἰώνιος. *Ποῦ σοφός; Ποῦ συζητητής;* Ποῦ καύχησις τῶν λεγομένων συνετῶν; 2. Ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν θεοῦ ἐκ σπέρματος μὲν Δαυίδ, πνεύματος δὲ ἁγίου· ὃς ἐγεννήθη καὶ ἐβαπτίσθη, ἵνα τῷ πάθει τὸ ὕδωρ καθαρίσῃ.

XIX. Καὶ ἔλαθεν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρ-

XVII. Antioch. Mon. hom. 1. Migne 1435.

1. Cf. Matth. 26, 7. Ioann. 12, 3. — *τοῦ ἄρχοντος κτλ.*] Cf. 19, 1. Magn. 1, 3. Trall. 4, 2. Rom. 7, 1. Philad. 6, 2. Ioann. 12, 31; 16, 11.

2. *ὃ* c. G[1]: *ὃς* L[1] — *χάρισμα*] Sicuti in I Ioann. 2, 27 loco vocis *χρίσμα* bis positae nonnulli *χάρισμα* scripserunt, hic quoque eandem vocem olim perperam immutatam esse suspicatur Zahn. Scholion apud Matthaeium (epp. cath. p. 120): *χρίσμα τὸ πνευματικὸν χάρισμα λέγει τῆς γνώσεως.*

XVIII—XIX, 1. Timoth. Aelur. Curet. 211, 243 sq. (*ποῦ σοφὸς κτλ.*). Apud S initium tantum (*περίψημα — αἰώνιος*) exstat idemque legitur in fragm. syr. Curet. 219, 250.

1. *περίψημα* c. G[1]L[1]: con *προσκύνημα* Bunsen et Nolte coll S (*spiritus meus flexis genibus crucem veneratur*) A. Cf. 8, 1. — *σκάνδαλον κτλ.*] Cf. I Cor. 1, 18. — *π. σοφὸς κτλ.*] I Cor. 1, 20.

2. Theodoret. Dialog. I ed. Migne IV 82. Codex 950 bibliothecae Paris. fol. 165, a Jacobson collatus, qui etiam c. 19 exhibet. — *ὑπό*: *ἐκ* L[1] G[2] | *Δαυίδ*: *Δαβίδ* G[1] ubique — *κατ' οἰκονομίαν*] Cf. Col. 1, 25. Eph. 1, 10; 3, 9 (I Tim. 1, 4. I Cor. 9, 17). Vox *οἰκ.* apud patres cum singularem providentiae Dei dispensationem generatim (cf. Diognet. 4, 5. Iust. Dialog. c. 107: *διὰ τῆς οἰκονομίας τοῦ ἐκ τῆς γῆς ἀνατεῖλαι.* 134: *οἰκονομίαι τινὲς μεγάλων μυστηρίων ἐν ἑκάστῃ τινὶ τοιαύτῃ πράξει ἀπετελοῦντο.* 141), tum speciatim Dei decretum salutare seu spectans ad salutem hominum per Christum procuratam (cf. Clem. Al. Strom. II c.

si quis fidem Dei prava doctrina corrumpat, pro qua Iesus Christus crucifixus est? Talis, inquinatus factus, in ignem inexstinguibilem ibit; similiter et qui audit ipsum.

XVII. Ob id Dominus in capite suo accepit unguentum, ut ecclesiae spiret incorruptionem. Ne ungamini tetro odore doctrinae principis huius saeculi, ne captivos vos abducat a proposita vita. 2. Cur vero non omnes prudentes sumus, accepta Dei cognitione, quod est Iesus Christus? Quid fatue perimus, non agnoscentes donum, quod vere misit Dominus?

XVIII. Piaculum meus spiritus est crucis, quae incredulis scandalum, nobis vero salus est et vita aeterna. *Ubi sapiens? Ubi disputator?* Ubi gloriatio eorum, qui dicuntur prudentes? 2. Deus enim noster Iesus Christus in utero gestatus est a Maria iuxta dispensationem Dei ex semine quidem David, spiritu autem sancto; qui natus est et baptizatus, ut passione aquam purificaret.

XIX. Et principem huius mundi latuit Mariae virginitas et

5, 20 p. 439: *οἰκονομία σωτήριος*. Iust. Dialog. c. 67. 87) et saepe idque praesertim apud patres posteriores incarnationem ipsam (cf. Iust. Dial. c. 45; 120. Theodoret. Dial. II c. 9: *τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ θεοῦ λόγου καλοῦμεν οἰκονομίαν*) vel mortem Domini (cf. Iust. Dial. c. 30: *τῇ τοῦ γενομένου πάθους αὐτοῦ οἰκονομίᾳ*. c. 31; 107; Epiph. h. 51 c. 25: *ἡ οἰκονομία τοῦ πάθους*). Tatianus c. Graec. c. 5, Hippolytus c. Noëtum c. 8; 14, Tertullianus adv. Prax. c. 2 (*Nos vero . . unicum quidem Deum credimus: sub hac tamen dispensatione, quam oeconomiam dicimus, ut unici Dei sit et filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit etc.*); 3; 8 *οἰκονομίαν* etiam in mysterio trinitatis statuunt. Cf. Otto, Corpus Apolog. ed. tert. I. II 370 sq. Gass, Das patristische Wort *οἰκονομία*, in Zeitschr. f. wiss. Theol. ed. Hilgenfeld 1874 p. 465—504. De alia notione vide infra 20, 1.

XIX, 1. Euseb. Quaest. ad Steph. I c. 2 (Mai Nov. patr. bibl. IV. I 220) Fragm. syr. Curet. 219, 250. Andreas Cret. or. IV in nativ. Mar. (Migne Patr. gr. XCVII 854). Initium versus laudant Theophilus (?) comment. in Evang. lib. I (Otto Corp. Apol. VIII 280), Origenes hom. VI in Luc. (ed. Bened. III 938), Basil. M. (?) hom. in s. Christi generat. (ed. Bened. II 598), Hieronymus in Matth. 1, 18. Iobius Monach. apud Phot. Bibl. cod. 222. — *θάνατος*] Diabolus cum id ageret, ut Dominum perderet et Iudam ad eum prodendum impelleret, Christum mortuum esse ignorare non potuit. Nihilominus mors Domini aeque ac virginitas Mariae mysteriis adnume-

θενία Μαρίας καὶ ὁ τοκετὸς αὐτῆς, ὁμοίως καὶ ὁ θάνατος τοῦ κυρίου· τρία μυστήρια κραυγῆς, ἅτινα ἐν ἡσυχίᾳ θεοῦ ἐπράχθη. Πῶς οὖν ἐφανερώθη τοῖς αἰῶσιν; Ἀστὴρ ἐν οὐρανῷ ἔλαμψεν ὑπὲρ πάντας τοὺς ἀστέρας, καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ ἀνεκλάλητον ἦν καὶ ξενισμὸν παρεῖχεν ἡ καινότης αὐτοῦ, τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἄστρα ἅμα ἡλίῳ καὶ σελήνῃ χορὸς ἐγένετο τῷ ἀστέρι, αὐτὸς δὲ ἦν ὑπερβάλλων τὸ φῶς αὐτοῦ ὑπὲρ πάντα· ταραχή τε ἦν, πόθεν ἡ καινότης ἡ ἀνόμοιος αὐτοῖς. 3. Ὅθεν ἐλύετο πᾶσα μαγεία καὶ πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας· ἄγνοια καθῃρεῖτο, παλαιὰ βασιλεία διεφθείρετο θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς· ἀρχὴν δὲ ἐλάμβανεν τὸ παρὰ θεῷ ἀπηρτισμένον. Ἔνθεν τὰ πάντα συνεκινεῖτο διὰ τὸ μελετᾶσθαι θανάτου κατάλυσιν.

XX. Ἐάν με καταξιώσῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῇ προσευχῇ ὑμῶν καὶ θέλημα ᾖ, ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλιδίῳ, ὃ μέλλω γράφειν ὑμῖν, προσδηλώσω ὑμῖν, ἧς ἠρξάμην οἰκονομίας εἰς τὸν καινὸν ἄνθρωπον Ἰησοῦν Χριστόν, ἐν τῇ αὐτοῦ πίστει καὶ ἐν τῇ αὐτοῦ ἀγάπῃ, ἐν πάθει αὐτοῦ καὶ ἀναστάσει· 2. μάλιστα ἐὰν ὁ κύριός

rari potuit. Quamdiu enim Christus a mortuis non resurrexit, diabolum fugit, eum, qui est vita aeterna, re vera non mori et mortem, quam subiret, toti mundo esse vitam. Cf. Zahn, Ignatius p. 484 sqq. Uhlhorn (Zeitschrift für hist. Theol. 1851 p. 48 sqq.) et alii locum interpretati sunt non de nativitate et morte Christi in terris peracta, sed de nativitate et morte, quae in divino consilio ante saecula decreta et constituta (*μυστήρια, ἅτινα ἐν ἡσυχίᾳ θεοῦ ἐπράχθη*), postea vero mundo annuntiata est (*κραυγῆς*). — *τρία μυστ. κτλ.*] *Tacente* quidem *Deo* (cf. 15, 2) ista mysteria patrata sunt, sed tanta voce praedicantur, ut sonus in omnem terram exeat (Ps. 18, 5). Cf. Test. XII patr. X c. 7: *ὁ ὕψιστος ἐπισκέψεται τὴν γῆν . . . ἐν ἡσυχίᾳ συντρίβων τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος δι' ὕδατος.*

2. S ex hoc versu nil nisi *a stella* exhibet et, cum haec verba cum antecedentibus coniungat, stellam *auctorem mysteriorum* declarat | *χορὸς* c. L[1] cod Par: *χωρὸς* G[1] | *τε* c. G[1] G[2]: *δὲ* L[1] — *ἀστὴρ κτλ.*] Similia leguntur in Protoevang. Iacobi c. 21 (Thilo, Cod. apocr. p. 256) et in Clem. Al. fragm. 74 ed. Potter p. 986. — *χορός*] Cf. Gen. 37, 9.

3. Sever. Ant. Curet. 218, 249 (*ἄγνοια κτλ.*). — *καθῃρεῖτο* c. G[2]: *καθῃρῆτο* G[1] | *ἀπηρτισμένον*: hic desinit S — Postquam exposuit Ign., mysterium incarnationis signo magno hominibus annuntiatum esse, quae regnum Christi in terra effecerit dicit. Cf. Tertull. de idolol. c. 9. Orig. c. Cels. I c. 60 ed. Bened. I 374. — *ἀπηρτισμένον*] i. e. adventus Christi in terris. — *συνεκινεῖτο*] sc. in regno Satanae, quia Christus venit, ut auctorem mortis superaret.

partus ipsius, similiter et mors Domini; tria mysteria clamoris, quae in silentio Dei patrata sunt. 2. Quomodo igitur manifestatus est saeculis? Stella in caelo fulsit splendore exsuperans omnes stellas, et lux illius ineffabilis erat et stuporem incussit ipsius novitas, omnia autem reliqua astra una cum sole et luna chorus fuere stellae, ipsa vero lumen suum extendebat super omnia; et perturbatio erat, unde prodiret novitas illis dissimilis. 3. Quare soluta est omnis magia et omne vinculum malitiae est abolitum; ignorantia destructa est, vetus regnum est labefactatum Deo humanitus manifestato in novitatem vitae aeternae; initium vero nunc sumsit, quod ab initio apud Deum paratum erat. Inde omnia commovebantur, quia ille mortis abolitionem meditabatur.

XX. Si me dignatus fuerit Iesus Christus propter orationem vestram et voluntas sit, in secundo libello, quem scripturus sum vobis, persequar quam incepi expositionem de novo homine Iesu Christo et dicam de eius fide et de eius caritate, de passione ipsius et resurrectione; 2. maxime si Dominus mihi reve-

XX—XXI. Deest apud S.

1. *προσδηλώσω* c. G[1]: *προδ.* Nolte c. L[1] A — *θέλημα*] sc. Dei. Cf. Sm. 11, 1. Paul. Rom. 2, 18. — *προσδηλώσω κτλ.*]. Ex versione patet, quomodo hunc locum intellegam. *Οἰκονομία* hic, ut Zahn vidit, non est *dispositio Dei* (18, 2), sed *hominis oeconomi dispensatio* (6, 1), sc. doctoris expositio, qui bona domus divinae, quae administranda accepit, et thesauros scientiae distribuit. Cf. Theoph. ad Autol. II c. 12 (*τὴν ἐξήγησιν καὶ οἰκονομίαν*), c. 29 (*τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐξηγήσεως*); Clem. Al. Paedag. I c. 9, 80 p. 146 (*οἰκονομεῖσθαι*). I Tim. 1, 4. Ign. igitur non, ut nonnulli putaverunt, demonstrare vult, quomodo Christus spiritualiter formetur in nobis, sed postquam de nativitate Domini dixit, de eius virtutibus et de rebus ab eo gestis tractare cogitat. Verba *πίστει* et *ἀγ.* eodem modo quo *πάθει* et *ἀν.* ad illum referenda nec de fide et caritate intellegenda sunt, quam nos in eum habemus. Qua re impeditus sit, quominus disputationem in hac epistula perficiat, non dicit Ignatius. Sed cf. Polyc. 8, 1.

2. Theodoret. Dialog. I ed. Migne IV 82 Gelas. Rom. de duabus nat. cf. 7, 2 not. Fragm. syr. Curet. 201 sq., 236 (*ὅτι — θεοῦ*). — *ὅτι* c. G[1] L[1] cf. A Theod: *τι* Z post *ἀποκαλύψῃ τι* punctum ponens | *κλῶντες* c. L[1] G[2]: *κλῶντος* G[1] — *μάλιστα κτλ.*] Scribam vobis epistulam alteram, praesertim si Deo favente nuntius mihi contigerit, hac epistula concordiam vestram magis confirmatam esse. — *πάντες ἐξ ὀν.*] i. e. omnes singuli. Cf. Polyc. 4, 2. — *ἄρτον κλῶντες*] Cf. Act. 2, 46. — *φάρμακον*

μοι ἀποκαλύψῃ, ὅτι οἱ κατ᾽ ἄνδρα κοινῇ πάντες ἐν χάριτι ἐξ ὀνόματος συνέρχεσθε ἐν μιᾷ πίστει καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, τῷ κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαυίδ, τῷ υἱῷ ἀνθρώπου καὶ υἱῷ θεοῦ, εἰς τὸ ὑπακούειν ὑμᾶς τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ἀπερισπάστῳ διανοίᾳ, ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅς ἐστιν φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ διὰ παντός.

XXI. Ἀντίψυχον ὑμῶν ἐγὼ καὶ ὧν ἐπέμψατε εἰς θεοῦ τιμὴν εἰς Σμύρναν, ὅθεν καὶ γράφω ὑμῖν, εὐχαριστῶν τῷ κυρίῳ, ἀγαπῶν Πολύκαρπον ὡς καὶ ὑμᾶς. Μνημονεύετέ μου, ὡς καὶ ὑμῶν Ἰησοῦς Χριστός. 2. Προσεύχεσθε ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Συρίᾳ, ὅθεν δεδεμένος εἰς Ῥώμην ἀπάγομαι, ἔσχατος ὢν τῶν ἐκεῖ πιστῶν, ὥσπερ ἠξιώθην εἰς τιμὴν θεοῦ εὑρεθῆναι. Ἔρρωσθε ἐν θεῷ πατρὶ καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, τῇ κοινῇ ἐλπίδι ἡμῶν.

ΜΑΓΝΗΣΙΕΥΣΙΝ ΙΓΝΑΤΙΟΣ.

Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος, τῇ εὐλογημένῃ ἐν χάριτι θεοῦ πατρὸς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ σωτῆρι ἡμῶν, ἐν ᾧ ἀσπάζομαι τὴν ἐκκλησίαν τὴν οὖσαν ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ καὶ εὔχομαι ἐν θεῷ πατρὶ καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ πλεῖστα χαίρειν.

I. Γνοὺς ὑμῶν τὸ πολυεύτακτον τῆς κατὰ θεὸν ἀγάπης, ἀγαλλιώμενος προειλόμην ἐν πίστει Ἰησοῦ Χριστοῦ προσλαλῆσαι ὑμῖν. 2. Καταξιωθεὶς γὰρ ὀνόματος θεοπρεπεστάτου, ἐν οἷς περι-

ἀθανασίας] Cf. Sm. 7, 1. Iren. adv. haer. IV c. 18, 5. V c. 2, 2. 3.

XXI, 1. *ὧν* c. $L^1 G^2$: *ὃν* G^1 A *καὶ* a. *ὑμῶν* c. $G^1 G^2$ A: om L^1 — *ἀντίψυχον*] Hoc vocabulum, Sm. 10, 2. Polyc. 2, 3; 6, 1 repetitum, fere idem significare videtur ac *περίψημα* (8, 1; 18, 1, Barn. 4, 9). Respiciens verbum *ἀντιψύχειν* H. interpretatus est: Vicissim recreationem habeatis in me etc., alii aliter.

2. *ὥσπερ*] coniungas cum *δεδεμένος*. — *εὑρεθῆναι εἰς*] Cf. Rom. 2, 2. Act. 8, 40.

Tit. *Ἰγνάτιος* c. G^1: om $L^1 G^2$ A

laverit, quod vos ad unum omnes nominatim per gratiam convenitis in una fide et in uno Iesu Christo, qui secundum carnem ex genere David filius est hominis et filius Dei, ut oboediatis episcopo et presbyterio mente indivulsa, frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum, ne moriamur, sed vivamus semper in Iesu Christo.

XXI. Paratus sum animam meam ponere pro vobis et pro iis, quos ad honorem Dei misistis Smyrnam, unde et scribo vobis, gratias agens Domino, diligens Polycarpum ut et vos. Memineritis mei, sicut et vestri Iesus Christus. 2. Orate pro ecclesia, quae est in Syria, unde vinctus Romam abducor, novissimus fidelium eorum, qui ibi sunt, cum dignus sim habitus inveniri ad honorem Dei. Valete in Deo patre et in Iesu Christo, communi spe nostra.

MAGNESIIS IGNATIUS.

Ignatius, qui et Theophorus, benedictae gratia Dei patris in Christo Iesu salvatore nostro, in quo saluto ecclesiam, quae Magnesiae est ad Maeandrum, optoque in Deo patre et in Iesu Christo plurimam salutem.

I. Cum caritatem vestram religiosam perbene ordinatam cognovissem, exsultans in fide Iesu Christi vos alloqui decrevi. 2. Ornatus enim honorificentissimo nomine in vinculis, quae

Inscr. *Χριστῷ Ἰησοῦ* c. L^1 G^2 A: *Ἰησ. Χρ.* G^1 | *ἐν* a. *Ἰησοῦ* om L^1

I, 1. *ἐν πίστει*] i. e. animo fide christiana pleno. Wocher.

2. Antiochus Mon. hom. 1 Migne 1431 (*πίστεως — προκέκριται*). — *ἴδω* c. G^1 L^1 G^2 A: *ἰδὼν* con Z respiciens 2, 1; 6, 1 | *τοῦ*: *εἰς τὸ* (?) L^1 | *ἡμῶν* c. G^1 cf. A: *ἡμᾶς* Z c. L^1 | *τε*: 8 L^1 — *ὀνόματος θεοπ.*] sc. Christiani s. Christi. Errare videntur qui putant, Ignatium aut ad titulum *Martyris* seu *Confessoris* aut ad titulum *Theophori* aut ad *dignitatem episcopalem* respicere. Zahn respiciens 2, 1 et Polyc. 1, 1 *καταξιωθεὶς κτλ.* interpretatur: cum nomen honorificentissimum, sc. Damam, Magnesiorum episcoporum, apud me receperim. — *τοῦ — ζῆν*] Cf. Sm. 4,

φέρω δεσμοῖς ᾄδω τὰς ἐκκλησίας, ἐν αἷς ἕνωσιν εὔχομαι σαρκὸς καὶ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ διὰ παντὸς ἡμῶν ζῆν, πίστεώς τε καὶ ἀγάπης, ἧς οὐδὲν προκέκριται, τὸ δὲ κυριώτερον Ἰησοῦ καὶ πατρός· ἐν ᾧ ὑπομένοντες τὴν πᾶσαν ἐπήρειαν τοῦ ἄρχοντος τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ διαφυγόντες θεοῦ τευξόμεθα.

II. Ἐπεὶ οὖν ἠξιώθην ἰδεῖν ὑμᾶς διὰ Δαμᾶ τοῦ ἀξιοθέου ὑμῶν ἐπισκόπου καὶ πρεσβυτέρων ἀξίων Βάσσου καὶ Ἀπολλωνίου καὶ τοῦ συνδούλου μου διακόνου Ζωτίωνος, οὗ ἐγὼ ὀναίμην, ὅτι ὑποτάσσεται τῷ ἐπισκόπῳ ὡς χάριτι θεοῦ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς νόμῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

III. Καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν θεοῦ πατρὸς πᾶσαν ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν, καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους οὐ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ, οὐκ αὐτῷ δέ, ἀλλὰ τῷ πατρὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῷ πάντων ἐπισκόπῳ. 2. Εἰς τιμὴν οὖν ἐκείνου τοῦ θελήσαντος ἡμᾶς πρέπον ἐστὶν ἐπακούειν κατὰ μηδεμίαν ὑπόκρισιν· ἐπεὶ οὐχὶ τὸν ἐπίσκοπον τοῦτον τὸν βλεπόμενον πλανᾷ τις, ἀλλὰ τὸν ἀόρατον παραλογίζεται. Τὸ δὲ τοιοῦτον οὐ πρὸς σάρκα ὁ λόγος, ἀλλὰ πρὸς θεὸν τὸν τὰ κρύφια εἰδότα.

IV. Πρέπον οὖν ἐστὶν μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριστιανούς, ἀλλὰ

1. — *πίστεως — προκέκρ.*] Cf. Sm. 6, 1.

II. *Ζωτίωνος* c. G[1] cf. L[1] *(Zononem)*: *Σωτ.* Voss et alii | *πρεσβυτερίῳ* c. G[1]: *-έρῳ* L[1], *-έροις* A | *Χριστοῦ*: add L[1] similiter ac Eph. 1, 1 *glorificato Deum patrem Domini Iesu Christi.* — *ἐπεὶ οὖν κτλ.*] Apodosis sequitur c. 6; quo fit, ut c. 3—5 parenthesin magnam esse putes inde ortam, quod in fine c. 2 Ign. de subiectione diaconi Zotionis loquens simile obsequium erga episcopum ab omnibus Magnesiis postulare properaverit. H. — *χάριτι*] Benignitati seu gratiae divinae constitutionem episcoporum debemus; ergo qui episcopo oboediunt, gratiae divinae se subiciunt. H. — *νόμῳ*] sc. illi praecepto Christi, quo presbyteri in ecclesia constituti sunt. H.

III, 1. Cf. I Tim. 4. 12. *συχρᾶσθαι*] Hoc verbum *familiarius uti* aut *abuti* (= *καταχρᾶσθαι*) significat et eundem fere sensum habet *προσλαμβάνειν*. — *κατὰ δύναμιν θ.*] i. e. respectu divinae potentiae, quae illum episcopum constituit. — *φαιν. νεωτερικὴν τ.*] Vix est dubium, quid Ign. dicere velit. Magnesiis in memoriam revocat, presbyteros iuvenili episcopi aetate non abuti. Sed verba ipsa difficilia sunt ad explicandum. Rothe (Anfänge der christl. Kirche p. 436—441) et Uhlhorn (Zeitf. hist. Theol. 1851 p. 328—330) ea

circumfero, laudo ecclesias, quibus unionem opto cum carne et spiritu Iesu Christi, qui sempiterna est vita nostra, et unionem in fide et caritate, cui nihil praeferendum, maxime vero unionem cum Iesu et patre, in quo omnem principis huius saeculi vim sustinentes et evadentes Deo potiemur.

II. Cum itaque dignus sim habitus, ut videam vos per Damam episcopum vestrum Deo dignum et per dignos presbyteros Bassum et Apollonium et per conservum meum Zotionem diaconum, quo utinam fruar, quia subditus est episcopo ut benignitati Dei et presbyterio ut legi Iesu Christi.

III. Sed et vos decet non familiarius uti aetate episcopi, sed respectu potentiae Dei patris omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum cognovi et sanctos presbyteros non abuti iuvenili eius condicione conspicua, sed ut prudentes in Deo cedere ei, non ei autem, sed patri Iesu Christi, omnium episcopo. 2. In honorem igitur illius, qui amat nos, decet oboedire sine ulla hypocrisi; quia non episcopum hunc visibilem quis fallit, sed invisibilem decipere conatur. Quidquid vero est eiusmodi, non ad carnem refertur, sed ad Deum, qui abscondita cognoscit.

IV. Decet itaque non modo vocari Christianos, sed etiam esse; quemadmodum nonnulli episcopum quidem nominant, sed

de ordine episcopali nuper demum instituto intellegunt, Smith de rerecenti ordinatione, Pearson (Vindic. praef.) et H. de iuvenili episcopi condicione, et hic vertit germanice: *sichtliche Jugendlichkeit.* Zahn respiciens Luc. Tyrann. c. 17 (*τυραννικὴ κόλασις = τὸ τύραννον κολάζεσθαι*) interpretatur: ordinatio hominis iuvenis i. e. *τὸ τάσσεσθαι* vel *τετάχθαι νεώτερον.* Mihi vox *φαινομένην* postulare videtur, ut *ν. τάξις* ad aetatem referatur.

2–IV. Par. Rupef. l. c. II 779. — *ἐπεὶ οὐχὶ* c. Par L[1] (A): *ἐπεὶ οὐχ ὅτι* G[1], *οὐ γὰρ* G[2] | *τὸ δὲ τοιοῦτον* c. G[1] L[1] (G[2]): *τῷ δὲ τοιούτῳ* Par et edd plures — *τ. θελ. ἡμᾶς*] i. e. Dei, qui elegit nos, quos amaret et ad salutem promoveret. cf. Rom. inscr. et 8, 1, qui dicendi modus a LXX interpretibus (= חפץ) ad N. T. scriptores (Matth. 9, 13. I Petr. 3, 10. Col. 2, 18) migravit. Zahn.

IV. Par. Rupefuc. l. c. II 789 (— *καὶ εἶναι*). — *καὶ* p. *ὥσπερ* c. G[1] Par: om L[1] — *καλοῦσιν*] i. e. iusta auctoritate constitutum fatentur, illo tamen inconsulto omnia, quae ad ecclesiam pertinent, agunt. Cf. Sm. 8, 2. — *διὰ τὸ μὴ κτλ.*] i. e. quod non *firma* fide neque *stabili* ordine iuxta *praeceptum* Christi et apostolorum ad sacros coetus se conferant. Smith. — *ἐντολήν*] sc. Christi. Cf. Barn. 6, 1.

καὶ εἶναι· ὥσπερ καί τινες ἐπίσκοπον μὲν καλοῦσιν, χωρὶς δὲ αὐτοῦ πάντα πράσσουσιν. Οἱ τοιοῦτοι δὲ οὐκ εὐσυνείδητοί μοι εἶναι φαίνονται διὰ τὸ μὴ βεβαίως κατ' ἐντολὴν συναθροίζεσθαι.

V. Ἐπεὶ οὖν τέλος τὰ πράγματα ἔχει καὶ πρόκειται τὰ δύο ὁμοῦ, ὅ τε θάνατος καὶ ἡ ζωή, καὶ ἕκαστος **εἰς τὸν ἴδιον τόπον** μέλλει χωρεῖν· 2. ὥσπερ γάρ ἐστιν νομίσματα δύο, ὃ μὲν θεοῦ, ὃ δὲ κόσμου, καὶ ἕκαστον αὐτῶν ἴδιον χαρακτῆρα ἐπικείμενον ἔχει, οἱ ἄπιστοι τοῦ κόσμου τούτου, οἱ δὲ πιστοὶ ἐν ἀγάπῃ χαρακτῆρα θεοῦ πατρὸς διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ ἐὰν μὴ αὐθαιρέτως ἔχωμεν τὸ ἀποθανεῖν εἰς τὸ αὐτοῦ πάθος, τὸ ζῆν αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν.

VI. Ἐπεὶ οὖν ἐν τοῖς προγεγραμμένοις προσώποις τὸ πᾶν πλῆθος ἐθεώρησα ἐν πίστει καὶ ἠγάπησα, παραινῶ, ἐν ὁμονοίᾳ θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράσσειν, προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν καὶ ἐν τέλει ἐφάνη. 2. Πάντες οὖν ὁμοήθειαν θεοῦ λαβόντες ἐντρέπεσθε ἀλλήλους καὶ μηδεὶς κατὰ σάρκα βλεπέτω τὸν πλησίον, ἀλλ' ἐν Ἰησοῦ Χσιστῷ ἀλλήλους διαπαντὸς ἀγαπᾶτε. Μηδὲν ἔστω ἐν ὑμῖν, ὃ δυνήσεται ὑμᾶς μερίσαι, ἀλλ' ἑνώθητε τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς προκαθημένοις εἰς τύπον καὶ διδαχὴν ἀφθαρσίας.

VII. Ὥσπερ οὖν ὁ κύριος ἄνευ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἐποίησεν,

V, 1. *πρόκειται* c. G² L¹: *ἐπίκειται* G¹, *posita sunt* A — Apodosis et huius versus et sequentis deest vel potius repetenda est ex c. 6. - *ἴδιον τόπον*] Act. 1, 25. I Clem. 5, 4. 7. Polyc. ad Phil. 9, 2.

2—VI, 1. Fragm. syr. Curet. 197, 232 (*οἱ ἄπιστοι κτλ.*). — *ἔχωμεν*: *ἔχομεν* G¹? — *πιστοὶ κτλ.*] Zahn contulit Clem. Al. fragm. 86 ed. Potter p. 989.

VI, 1. Severus Ant. adv. impium Grammat. Curet. 213, 245 (*σπουδάζετε κτλ.*). — *ἠγάπησα* c. G¹ G²: *ἀγάπῃ* L¹ A Sf | *τόπον* bis c. G¹ L¹ G² Sev: *τύπον* bis Z c. Sf (?), *tamquam Deus* A — *ὁμόνοια θεοῦ*] i. e. concordia quae a Deo postulatur vel voluntati Dei consentanea est. Eadem vel similis verborum structura saepius apud Ignatium invenitur. Cf. 6, 2; 15. Philad. inscr.; 1, 2. Polyc. 1, 3. — *τ. ἐπισκόπου — θεοῦ*] Cf. 3, 1. Rom. 9, 1. Polyc. 8, 3. Vox quam habet versio syriaca, *tûfsâ*, cum *τόπον* tum *τύπον* significat (Michaelis, Lexicon syr. p. 355) et Cureton *εἰς τόπον* (*in the place*) vertit. Quam interpretationem rectam esse vix dubium est, cum omnes reliqui testes *εἰς τό-*

omnia sine eo faciunt. Tales vero non bona conscientia mihi praediti esse videntur, quia non firmiter secundum praeceptum congregantur.

V. Quia autem res finem habent et duo simul proposita sunt, mors et vita, et unusquisque *in proprium locum* iturus est; 2. quemadmodum enim sunt numismata duo, alterum quidem Dei, alterum autem mundi, et unumquodque proprium characterem habet impositum, infideles characterem mundi huius, fideles autem in caritate characterem Dei patris per Iesum Christum, per quem nisi propensa nobis est voluntas mori iuxta ipsius passionem, nec vita ipsius in nobis est.

VI. Cum itaque in personis supra dictis omnem multitudinem in fide conspexissem ac dilexissem, hortor, ut in concordia Dei omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud patrem erat et in fine apparuit. 2. Omnes igitur, acceptis iisdem divinis moribus, vos mutuo revereamini et nemo secundum carnem spectet proximum, sed in Iesu Christo vos invicem semper diligatis. Nihil sit in vobis, quod possit vos dirimere, sed uniamini episcopo et praesidentibus in typum et demonstrationem immortalitatis.

VII. Quemadmodum igitur Dominus sine patre, ipsi unitus,

χον exhibeant. Versio armeniaca, cum secundum versionem syriacam facta sit, nihil probat. — *τ. πρεσβυτέρων — ἀποστόλων*] Cf. Trall. 2, 2; 3, 1. Philad. 5, 1. Sm. 8, 1. Const. ap. II c. 26. 28.

2 – VII, 1. Par. Rupef. 1 c. II 780 (*μηδὲν ἔστω — ἰδίᾳ ὑμῖν*). Fragm. syr. Curet. 200, 234 (*ἀλλ' ἑνώθητε — — ὑμῖν*).

2. Par. Rupef. cf. Cot. ad h. l. (– *ἀγαπᾶτε*). — *ἐντρέπεσθε* c. G[1] A Par: *ἐντρεπώμεθα* L[1] | *ἀλλήλους* c. Par coll Trall. 3, 1. 2. Sm. 8, 1: *ἀλλήλοις* G[1] | *τὸν πλησίον* c. G[1] Par: *τῷ πλ.* G[1] *τύπον* c. G[1] L1 Sf (A): *τόπον* Par — *ἑνώθητε κτλ.*] i. e. unitas cum episcopo est typus vitae illius, quam sancti vivunt Deo uniti, simulque alii, unitatem vestram cum episcopo conspicientes, ad persuasionem de vita illa adducuntur. H.

VII. Antiochus Mon. hom. 80 Migne 1674 (*ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ κτλ.*).

1. *ὅ ἐστιν* c. L[1] Ant: *εἷς ἐστιν* G[1] — *ὥσπερ κτλ.*] Cf. Ioann. 5, 19. 30; Const. ap. II c. 26. 27. 31. — *ἰδίᾳ*] i. e. extra communionem episcopi et presbyterorum, in conventiculis. Smith. — *ὅ ἐστιν 'Ι. Χρ.*] i. e. quod

ἡνωμένος ὤν, οὔτε δι' ἑαυτοῦ οὔτε διὰ τῶν ἀποστόλων· οὕτως μηδὲ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων μηδὲν πράσσετε· μηδὲ πειράσητε εὔλογόν τι φαίνεσθαι ἰδίᾳ ὑμῖν, ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτὸ μία προσευχή, μία δέησις, εἷς νοῦς, μία ἐλπὶς ἐν ἀγάπῃ, ἐν τῇ χαρᾷ τῇ ἀμώμῳ, ὅ ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός, οὗ ἄμεινον οὐδέν ἐστιν. 2. Πάντες ὡς εἰς ἕνα ναὸν συντρέχετε θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ἐπὶ ἕνα Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν ἀφ' ἑνὸς πατρὸς προελθόντα καὶ εἰς ἕνα ὄντα καὶ χωρήσαντα.

VIII. Μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις μηδὲ μυθεύμασιν τοῖς παλαιοῖς ἀνωφελέσιν οὖσιν. Εἰ γὰρ μέχρι νῦν κατὰ νόμον Ἰουδαϊσμὸν ζῶμεν, ὁμολογοῦμεν χάριν μὴ εἰληφέναι. 2. Οἱ γὰρ θειότατοι προφῆται κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν ἔζησαν. Διὰ τοῦτο καὶ ἐδιώχθησαν, ἐμπνεόμενοι ὑπὸ τῆς χάριτος αὐτοῦ, εἰς τὸ πληροφορηθῆναι τοὺς ἀπειθοῦντας, ὅτι εἷς θεός ἐστιν, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀπὸ σιγῆς προελθών, ὃς κατὰ πάντα εὐηρέστησεν τῷ πέμψαντι αὐτόν.

IX. Εἰ οὖν οἱ ἐν παλαιοῖς πράγμασιν ἀναστραφέντες εἰς

(sc. *μία προσευχὴ κτλ.*) ut fiat, Iesus vult et efficit.

2. *πάντες* c. L[1] G[2] A: add *οὖν* G[1] Ant | *εἰς ἕνα* c. L[1] A: *εἰς* G[1], *εἷς εἰς τὸν* G[2] | *ἐπὶ ἕνα* c. L[1] A: praem *ὡς* G[1] G[2] — *προελθόντα*] sc. in mundum. Cf. Ioann. 8, 42; 16, 28. — *εἰς ἕνα ὄντα κτλ.*] Cf. Ioann 1, 1. 2. 18. Cum vox *ὄντα* post *προελθόντα* et ante *χωρήσαντα* posita sit, sensus est: Iesus apud patrem, apud quem erat ante saecula (6, 1), eo quoque tempore versabatur, quo in mundo erat. Cf. Nirschl ad h. l.

15. Designantur *fideles in sceleribus conversati*, cf. c. 5, 6; c. 10, 3. 4.
16. Designantur *fideles sancti et iusti*, cf. c. 2, 4; c. 3, 8. — *τ. πλεῖον μέρος*] Cf. c. 2, 9. Maior igitur Christianorum pars Hermae aut sancte vivere aut ad paenitentiam reverti videbatur.
17. *ἕτεροι κτλ.* c. L[1] L[2] coll A: om G — Designantur *confessores*, cf. c. 2, 2. 3; c. 3, 7.
18. *ὡσεὶ* c. G: om L A — Designantur *martyres*, cf. c. 2, 1; c. 3. 6.
2, 1. *στεφάνους*] Cf. Apoc. 2, 10; 3, 11; 4, 4 etc. I Cor. 9, 25. II Tim. 4, 8. Iac. 1, 12. I Petr. 5, 4. Origenes in Ezech. hom. I c. 5 (ed. Be-

rigebant virgas suas paene totas virides, minima autem virgarum pars erat arida, cacumen ipsum; scissuras autem habebant in sese; etiam hi seorsum statuebantur. 15. Aliarum erat minima pars viridis, reliqua autem virgarum pars arida; etiam hi seorsum statuebantur. 16. Alii veniebant virgas aridas afferentes, sicut acceperunt ab angelo; maior autem populi pars eiusmodi virgas porrigebat. Angelus vero de iis valde gavisus est; etiam hi seorsum statuebantur. 17. Alii porrigebant virgas suas aridas et pampinos habentes; etiam hi seorsum statuebantur, et de his angelus valde gavisus est. 18. Alii porrigebant virgas suas virides et pampinos habentes, pampini earum autem velut fructum quendam habebant. Et valde hilares erant homines illi, quorum virgae tales inventae sunt. Et angelus de his exsultabat, et pastor de his valde hilaris erat.

2. Iussit autem angelus Domini coronas afferri. Et allatae sunt coronae velut ex palmis factae, et coronavit viros, qui virgas porrexerant habentes pampinos et fructum quendam, et dimisit eos in turrim. 2. Sed et alios misit in turrim, qui virgas virides porrexerant et habentes pampinos, pampinis autem fructum non habentibus, dans iis sigillum. 3. Vestem autem omnes eandem habebant candidam sicut nix, qui ibant in turrim. 4. Et eos, qui virgas porrexerunt virides, sicut acceperant, dimisit, dans iis vestem et sigillum. 5. Quae cum angelus consummasset, dicit pastori: Ego vado; tu autem hos dimittes in muros, sicut quis dignus est habitare. Diligenter vero considera virgas eorum, et sic dimitte; diligenter considera. Vide, inquit, ne quis te fallat. Sin autem quis te

ned. III 358) scribit: *Scriptum est in quodam libro, quia salignam omnes credentes accipiant coronam.* — *πύργον*] Cf. Vis. III c. 2, 5 sqq. In turrim omnes mittuntur, qui servaverunt legem aut, si deliquerunt, paenitentiam egerunt. Cf. c. 3, 5; c. 6, 6; c. 7, 3. 5; c. 8, 2. 3. 5; c. 9, 2. 4; c. 10, 1. 4.

2. *σφραγῖδα* c. L A: *-δας* G — *σφραγίς*] hic non est baptismus, ut c. 6, 3. Sim. IX c. 16, 3. 4. 5. 7 (cf. II Clem. 7, 6 not.), sed ornamentum confessoribus ac iustis (v. 4) proprium. Cf. Apoc. 7, 2—8; 9, 4.

3. *ἱματ. λευκόν*] Cf. Apoc. 3, 4. 5. 18; 4, 4; 6, 11; 7, 13.

4. *κ. σφραγῖδα* c. L^2 A: *κ. -δας* G, om L^1

5. *τούτους*] sc. fideles peccatores,

οὕτως ἀπόλυσον· ἐπιμελῶς δὲ κατανόησον. Βλέπε, μή τίς σε παρέλθῃ, φησίν. Ἐὰν δέ τίς σε παρέλθῃ, ἐγὼ αὐτοὺς ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον δοκιμάσω. Ταῦτα εἰπὼν τῷ ποιμένι ἀπῆλθε. 6. Καὶ μετὰ τὸ ἀπελθεῖν τὸν ἄγγελον λέγει μοι ὁ ποιμήν· Λάβωμεν πάντων τὰς ῥάβδους καὶ φυτεύσωμεν αὐτάς, εἴ τινες ἐξ αὐτῶν δυνήσονται ζῆσαι. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, τὰ ξηρὰ ταῦτα πῶς δύνανται ζῆσαι; 7. Ἀποκριθείς μοι λέγει· Τὸ δένδρον τοῦτο ἰτέα ἐστὶ καὶ φιλόζωον τὸ γένος· ἐὰν οὖν φυτευθῶσι καὶ μικρὰν ἰκμάδα λαμβάνωσιν αἱ ῥάβδοι, ζήσονται πολλαὶ ἐξ αὐτῶν· εἶτα δὲ πειράσωμεν καὶ ὕδωρ αὐταῖς παραχέειν. Ἐάν τις αὐτῶν δυνηθῇ ζῆσαι, συγχαρήσομαι αὐταῖς· ἐὰν δὲ μὴ ζήσῃ, οὐχ εὑρεθήσομαι ἐγὼ ἀμελής. 8. Ἐκέλευσε δέ μοι ὁ ποιμὴν καλέσαι, καθώς τις αὐτῶν ἐστάθη. Ἦλθον τάγματα τάγματα καὶ ἐπεδίδουν τὰς ῥάβδους τῷ ποιμένι· ἐλάμβανε δὲ ὁ ποιμὴν τὰς ῥάβδους καὶ κατὰ τάγματα ἐφύτευσεν αὐτὰς καὶ μετὰ τὸ φυτεῦσαι ὕδωρ αὐταῖς πολὺ παρέχεεν, ὥστε ἀπὸ τοῦ ὕδατος μὴ φαίνεσθαι τὰς ῥάβδους. 9. Καὶ μετὰ τὸ ποτίσαι αὐτὸν τὰς ῥάβδους λέγει μοι· [Ἄγωμεν] καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας ἐπανέλθωμεν καὶ ἐπισκεψώμεθα τὰς ῥάβδους πάσας· ὁ γὰρ κτίσας τὸ δένδρον τοῦτο θέλει πάντας ζῆν τοὺς λαβόντας ἐκ τοῦ δένδρου τούτου κλάδους. Ἐλπίζω δὲ κἀγώ, ὅτι λαβόντα τὰ ῥαβδία ταῦτα ἰκμάδα καὶ ποτισθέντα ὕδατι ζήσονται τὸ πλεῖστον μέρος αὐτῶν.

3. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, τὸ δένδρον τοῦτο γνώρισόν μοι τί ἐστιν· ἀποροῦμαι γὰρ περὶ αὐτοῦ, ὅτι τοσούτων κλάδων κοπέντων ὑγιές ἐστι τὸ δένδρον καὶ οὐδὲν φαίνεται κεκομμένον ἀπ' αὐτοῦ· ἐν τούτῳ οὖν ἀποροῦμαι. 2. Ἄκουε, φησί· τὸ δένδρον τοῦτο τὸ

cf. c. 1, 6 not. — *εἰς τ. τείχη*] Cf. c. 6, 6; c. 7, 3; c. 8. 3. — *ἐπὶ τὸ θυσ.*] Cf. Ies. 56, 7. Ezech. 43, 27.

7. *εἶτα — παραχέειν* c. G: *temptabo enim et suffundam eis aquam* L[1], similiter L[2] A | *αὐταῖς* c. G A: *ei* L[1] (L[2]) — *φιλόζωον*] Hilarius Pictav. ad Ps. 136, 2 (ed. Migne I 780): *Lignorum salicum natura ea est, ut arefacta licet, si modo aquis adluantur, virescant; deinde excisa atque in humido fixa radicibus sese ipsa demergant.*

8. *φυτεῦσαι* c. G coll A: add *omnes* L | *ὥστε — ῥάβδους* c. G: *ita ut tegerentur ab aqua neque ab ea exstarent* L[1], similiter L[2] A — *τάγμ. τάγματα*] = *κατὰ τάγματα*. Cf. c. 4, 2. Marc. 6, 7. 39. 40. Aeschyl. Pers. 981. Winer § 37, 3; 54, 1.

9. *ἄγωμεν* c. L (A): om G

8, 2. *νόμος . . υἱὸς θεοῦ*] Alii quoque inter veteres Christum *νόμον* vocant. Cf. Iust. Dialog. c. 11. 43. 51. 118. Clem. Al. Strom. I c.

fefellerit, ego eos supra altare probabo. Haec cum pastori dixisset, abiit. 6. Postquam autem angelus abiit, pastor mihi dicit: Sumamus virgas omnium easque plantemus, si quae ex iis forte possint vivere. Dico ei: Domine, aridae hae quomodo possunt vivere? 7. Respondens mihi dicit: Haec arbor salix est et genus amat vitam; si virgae igitur plantatae fuerint acceperintque paulum humoris, multae ex iis vivent; deinde temptemus etiam aquam iis suffundere. Si qua earum poterit vivere, gratulabor illis; quodsi non vixerit, ego non inveniar neglegens. 8. Iussit autem pastor me vocare eos, sicut quisque eorum steterat. Venerunt singuli ordines et porrigebant virgas pastori. Accipiebat autem pastor virgas et plantavit eas secundum ordinem et cum plantasset, aquam iis suffudit multam, ita ut virgae prae aqua non viderentur. 9. Et postquam virgas irrigavit, ait mihi: Eamus et post paucos dies revertamur et visitemus virgas omnes; qui enim hanc arborem creavit, vult omnes vivere, qui ramos acceperunt ex hac arbore. Spero autem ego quoque, postquam virgulae hae humorem acceperunt fueruntque irrigatae aqua, maximam earum partem victuram esse.

3. Dico ei: Domine, haec arbor quid sit, demonstra mihi; incertus enim sum de ea, quod tot ramis praecisis sana est arbor neque quidquam de ea praecisum esse videtur; in hoc igitur incertus sum. 2. Audi, inquit: arbor haec magna, quae

29, 182 p. 427; II c. 15, 68 p. 465. Praedic. Paul. et Petri apud Hilgenfeld, Nov. Test. extra can. rec. IV 59. Inde autem, quod Hermas salicem legem Dei orbi annuntiatam nominat, nequaquam colligendum est, eum Michaelem non eundem cum filio Dei habuisse. Sim. IX non solum vir ille magnitudine praestans, sed etiam petra et porta filius Dei est (cf. c. 12, 1. 8). — *κηρυχθεὶς εἰς τ. π. τ. γῆς*] Cf. Sim. IX c. 17, 1; c. 25, 2. Rom. 1, 8. Col. 1, 6. 23. Zahn (G. G. A. 1878 p. 62) contulit Iren. fragm. 31 (ed. Stieren I 843): *μέγιστον δένδρον γεννηθεὶς ἐξέτεινε* (sc. *ὁ Χριστὸς*) *τοὺς ἑαυτοῦ κλάδους εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς. Ἐκ τούτου προκύψαντες οἱ δώδεκα ἀπόστολοι, κλάδοι ὡραῖοι καὶ εὐθαλεῖς γενηθέντες, σκέπη ἐγενήθησαν τοῖς ἔθνεσιν κτλ.* Cf. etiam quae Harnack ad h. l. adnotavit. — *οἱ δὲ ὑ. τ. σκέπην*] Cf. Marc. 4, 32. Matth. 13, 32. Luc. 13, 19.

μέγα τὸ σκεπάζον πεδία καὶ ὄρη καὶ πᾶσαν τὴν γῆν νόμος θεοῦ ἐστὶν ὁ δοθεὶς εἰς ὅλον τὸν κόσμον· ὁ δὲ νόμος οὗτος υἱὸς θεοῦ ἐστὶ κηρυχθεὶς εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς· οἱ δὲ ὑπὸ τὴν σκέπην λαοὶ ὄντες οἱ ἀκούσαντες τοῦ κηρύγματος καὶ πιστεύσαντες εἰς αὐτόν· 3. ὁ δὲ ἄγγελος ὁ μέγας καὶ ἔνδοξος Μιχαὴλ ὁ ἔχων τὴν ἐξουσίαν τούτου τοῦ λαοῦ καὶ διακυβερνῶν [αὐτούς]. Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ διδοὺς αὐτοῖς τὸν νόμον εἰς τὰς καρδίας τῶν πιστευόντων· ἐπισκέπτεται οὖν αὐτούς, οἷς ἔδωκεν, εἰ ἄρα τετηρήκασιν αὐτόν. 4. Βλέπεις δὲ ἑνὸς ἑκάστου τὰς ῥάβδους· αἱ γὰρ ῥάβδοι ὁ νόμος ἐστί. Βλέπεις οὖν πολλὰς ῥάβδους ἠχρειωμένας, γνώσῃ δὲ αὐτοὺς πάντας τοὺς μὴ τηρήσαντας τὸν νόμον καὶ ὄψει ἑνὸς ἑκάστου τὴν κατοικίαν. 5. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, διατί οὓς μὲν ἀπέλυσεν εἰς τὸν πύργον, οὓς δὲ σοὶ κατέλειψεν; Ὅσοι, φησί, παρέβησαν τὸν νόμον, ὃν ἔλαβον παρ' αὐτοῦ, εἰς τὴν ἐμὴν ἐξουσίαν κατέλιπεν αὐτοὺς εἰς μετάνοιαν· ὅσοι δὲ ἤδη εὐηρέστησαν τῷ νόμῳ καὶ τετηρήκασιν αὐτόν, ὑπὸ τὴν ἰδίαν ἐξουσίαν ἔχει αὐτούς. 6. Τίνες οὖν, φημί, κύριε, εἰσὶν οἱ ἐστεφανωμένοι καὶ εἰς τὸν πύργον ὑπάγοντες; [Ὅσοι, φησίν, ἀντεπάλαισαν τῷ διαβόλῳ καὶ κατεπάλαισαν αὐτόν, ἐστεφανωμένοι εἰσίν]· οὗτοί εἰσιν οἱ ὑπὲρ τοῦ νόμου παθόντες· 7. οἱ δὲ ἕτεροι καὶ αὐτοὶ χλωρὰς τὰς ῥάβδους ἐπιδεδωκότες καὶ παραφυάδας ἐχούσας, καρπὸν δὲ μὴ ἐχούσας, οἱ ὑπὲρ τοῦ νόμου θλιβέντες, μὴ παθόντες δὲ μηδὲ ἀρνησάμενοι τὸν νόμον αὐτῶν. 8. Οἱ δὲ χλωρὰς ἐπιδεδωκότες, οἵας ἔλαβον, σεμνοὶ καὶ δίκαιοι καὶ λίαν πορευθέντες ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ καὶ *τὰς ἐντολὰς κυρίου πεφυλακότες*. Τὰ δὲ λοιπὰ γνώσῃ, ὅταν κατα-

3. *αὐτοὺς* c. L A: om G | *αὐτοῖς* c. G (Hg): *αὐτοῦ* A (Gh), om L | *αὐτοὺς* c. L A: *αὐτὸς* G | *ἔδωκεν* c. G: add *legem* L (A) – Cf. adnot. ad c. 1, 2. — *ἐξουσίαν κτλ.*] Cf. Sim. V c. 6, 1. 4. Dan. 12, 1: *Μιχαὴλ ὁ ἄρχων ὁ μέγας, ὁ ἑστηκὼς ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τοῦ λαοῦ σου.* Cf. insuper de Michaele Dan. 10, 13. 21. Iud. 9. Apoc. 12, 7. Henoch 9, 1; 20, 5: *Michael unus ex sanctis angelis, scilicet praepositus optimae parti hominum, populo.* Hist. Iosephi c. 13: *Michael magnus, angelorum sanctorum princeps* (cf. c. 22. 23). Tischendorf, Evang. apocr. ed. II (1876) p. 127. 133. Respicit hunc locum aliosque Origenes in Matth. comment. XIV c. 21 (ed. Bened. III 644) scribens: *εἰ δὲ χρὴ τολμήσαντα καὶ ἀπό τινος φερομένης μὲν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γραφῆς, οὐ παρὰ πᾶσι δὲ ὁμολογουμένης εἶναι θείας, τὸ τοιοῦτον παραμυθήσασθαι, ληφθείη ἂν τὸ ἀπὸ τοῦ Ποιμένος περί τινων ἅμα μὲν τῷ πιστεύειν ὑπὸ τῷ Μιχαὴλ γινομένων.*

campos tegit et montes et omnem terram, lex Dei est data toti mundo; haec vero lex est filius Dei praedicatus in finibus terrae; populi autem commorantes sub umbra sunt ii, qui audierunt praedicationem et crediderunt in eum; 3. angelus autem magnus ac gloriosus est Michael, qui habet potestatem huius populi gubernatque eos. Hic enim est, qui iis legem inserit in corda credentium; visitat ergo eos, quibus dedit, an custodierint eam. 4. Vides autem virgas uniuscuiusque; virgae enim lex sunt. Vides igitur multas virgas inutiles factas cognoscesque eos omnes, qui legem non servaverunt, et videbis habitationem uniuscuiusque. 5. Dico ei: Domine, quare alios dimisit in turrim, alios tibi reliquit? Quotquot, inquit, transgressi sunt legem, quam acceperunt ab eo, eos meae potestati reliquit paenitentiae causa; quotquot autem legi iam satisfecerunt eamque servaverunt, eos sub propria potestate habet. 6. Qui igitur, inquam, domine, sunt ii, qui coronati sunt euntque in turrim? Quotquot, inquit, luctati sunt cum diabolo et vicerunt eum, coronati sunt; hi sunt ii, qui pro lege passi sunt; 7. alii autem, qui ipsi quidem virgas virides porrexerunt et habentes pampinos, fructum vero non habentes, ii sunt, qui propter legem afflicti sunt, neque vero passi sunt neque abnegaverunt legem suam. 8. Qui virgas virides porrexerunt, quales acceperunt, hi sunt sancti et iusti et qui in pura mente ambulaverunt et *mandata Domini custodierunt.* Reliquas autem cognosces, cum consideravero has virgas, quae plantatae et irrigatae sunt.

διὰ δὲ φιληδονίαν ἀποπιπτόντων ἐκείνου καὶ γινομένων ὑπὸ τὸν τῆς τρυφῆς (cf. Sim. VI c. 2, 1), *εἶτα ὑπὸ τὸν τῆς τιμωρίας* (cf. Sim. VI c. 3, 2), *μεθ' ὃν ὑπὸ τὸν τῆς μετανοίας.* — *νόμον*] Cf. Sim. V c. 5, 3; c. 6, 3. Si vox *αὐτοῦ*, quam praemisit versio aethiopica, profecto ab Herma scripta fuisset, haud dubie ad Michaelem (*αὐτοῦ* = *ἑαυτοῦ* cf. Winer § 22, 5) referenda esset. Sed lectio codicis graeci praeferenda esse videtur. Etiam Sim. V c. 6, 3 Hermas non de lege filii dicit, sed de lege, quam accepit filius a patre.

4. *νόμος*] Singulae virgae significant legem evangelii a singulis receptam. H.

5. *ἀπέλυσεν*] sc. Michael.

6. *ὅσοι — ἐστεφ. εἰσίν* c. L² L¹ A: om G | *οὗτοι κτλ.* c. G: ***hi autem sunt qui, ut servarent eam legem, perpessi sunt iniqua*** L¹, similiter L², cf. A

7. *ἕτεροι* om L

νοήσω τὰς ῥάβδους ταύτας τὰς πεφυτευμένας καὶ πεποτισμένας.

4. Καὶ μετὰ ἡμέρας ὀλίγας ἤλθομεν εἰς τὸν τόπον, καὶ ἐκάθισεν ὁ ποιμὴν εἰς τὸν τόπον τοῦ ἀγγέλου κἀγὼ παρεστάθην αὐτῷ. Καὶ λέγει μοι· Περίζωσαι ὠμόλινον [καὶ διακόνει μοι. Περιεζωσάμην ὠμόλινον] ἐκ σάκκου γεγονὸς καθαρόν. 2. Ἰδὼν δέ με περιεζωσμένον καὶ ἕτοιμον ὄντα τοῦ διακονεῖν αὐτῷ, Κάλει, φησί, τοὺς ἄνδρας, ὧν εἰσὶν αἱ ῥάβδοι πεφυτευμέναι, κατὰ τὸ τάγμα, ὥς τις ἔδωκε τὰς ῥάβδους. Καὶ ἀπῆλθον εἰς τὸ πεδίον καὶ ἐκάλεσα πάντας· καὶ ἔστησαν τάγματα τάγματα. 3. Λέγει αὐτοῖς· Ἕκαστος τὰς ἰδίας ῥάβδους ἐκτιλάτω καὶ φ[ερέ]τω πρός με. 4. Πρῶτοι ἐπέδωκαν οἱ τὰς ξηρὰς καὶ κεκομμένας ἐσχηκότες, καὶ ὡσαύτως εὑρέθησαν ξηραὶ καὶ κεκομμέναι· ἐκέλευσεν αὐτοὺς χωρὶς σταθῆναι. 5. Εἶτα ἐπέδωκαν οἱ τὰς ξηρὰς καὶ μὴ κεκομμένας ἔχοντες· τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν ἐπέδωκαν τὰς ῥάβδους χλωράς, τινὲς δὲ ξηρὰς καὶ κεκομμένας ὡς ὑπὸ σητός· τοὺς ἐπιδεδωκότας οὖν χλωρὰς ἐκέλευσε χωρὶς σταθῆναι, τοὺς δὲ ξηρὰς καὶ κεκομμένας ἐπιδεδωκότας ἐκέλευσε μετὰ τῶν πρώτων σταθῆναι. 6. Εἶτα ἐπέδωκαν οἱ τὰς ἡμιξήρους καὶ σχισμὰς ἐχούσας· καὶ πολλοὶ ἐξ αὐτῶν χλωρὰς ἐπέδωκαν καὶ μὴ ἐχούσας σχισμάς· τινὲς δὲ χλωρὰς καὶ παραφυάδας ἐχούσας καὶ εἰς τὰς παραφυάδας καρπούς, οἵους εἶχον οἱ εἰς τὸν πύργον πορευθέντες ἐστεφανωμένοι· τινὲς δὲ ἐπέδωκαν ξηρὰς καὶ βεβρωμένας, τινὲς δὲ ξηρὰς καὶ ἀβρώτους, τινὲς δὲ οἷαι ἦσαν ἡμίξηροι καὶ σχισμὰς ἔχουσαι· ἐκέλευσεν αὐτοὺς ἕνα ἕκαστον χωρὶς σταθῆναι, τοὺς μὲν πρὸς τὰ ἴδια τάγματα, τοὺς δὲ χωρίς.

5. Εἶτα ἐπεδίδουν οἱ τὰς ῥάβδους χλωρὰς μὲν ἔχοντες, σχισμὰς δὲ ἐχούσας· οὗτοι πάντες χλωρὰς ἐπέδωκαν καὶ ἔστησαν εἰς τὸ ἴδιον τάγμα. Ἐχάρη δὲ ὁ ποιμὴν ἐπὶ τούτοις, ὅτι πάντες ἠλλοιώθησαν καὶ ἀπέθεντο τὰς σχισμὰς αὐτῶν. 2. Ἐπέδωκαν δὲ καὶ οἱ τὸ ἥμισυ χλωρόν, τὸ δὲ ἥμισυ ξηρὸν ἔχοντες· τινῶν οὖν εὑρέθησαν αἱ ῥάβδοι ὁλοτελῶς χλωραί, τινῶν ἡμίξηροι, τινῶν ξηραὶ καὶ βεβρωμέναι, τινῶν δὲ χλωραὶ καὶ παραφυάδας ἔχουσαι·

8. *τ. ἐντολὰς κτλ.*] Cf. Mand. VII, 1 not.

4, 1. *τ. ἀγγέλου*: add *magni* L | *κ. διακόνει — ὠμόλινον* c. L[1] L[2] A: om G

2. *ὥς τις* c. L A: *ὅστις* G | *τάγ. τάγματα* em Gh coll c. 2, 8 L A: *πάντα τὰ τάγματα* G

3. *ἕκαστος*: hic desinit alterum codicis Lipsiensis folium (cf. Mand.

4. Et paucos post dies venimus in locum, et consedit pastor in loco angeli, et ego constiti iuxta eum. Et dicit mihi: Praecinge te sabano et ministra mihi. Praecinxi me sabano mundo, quod e sacco factum fuerat. 2. Cum autem praecinctum me videret ac paratum ministrandi ei, ait: Voca viros, quorum sunt virgae plantatae, secundum ordinem, sicut quis dedit virgas. Et abii in campum et vocavi omnes; et constiterunt singuli ordines. 3. Dicit iis: Unusquisque suam virgam extrahat et afferat ad me. 4. Primi tradiderunt qui aridas virgas et praecisas habuerant, et similiter inventae sunt aridae et praecisae; iussit eos seorsum stare. 5. Deinde porrexerunt qui aridas et non praecisas habuerant; aliqui autem ex iis porrexerunt virgas virides, aliqui aridas et praecisas velut a tinea. Eos igitur, qui virides porrexerunt, iussit seorsum stare, eos autem, qui aridas et praecisas tradiderunt, iussit stare cum primis. 6. Deinde porrexerunt ii, qui semiaridas et habentes scissuras habuerant; et multi ex iis virides porrexerunt nec scissuras habentes; aliqui vero virides et pampinos habentes et in pampinis fructus, quales habebant qui in turrim abierunt coronati; alii porrexerunt aridas et corrosas, alii aridas et non corrosas, alii semiaridas et scissuras habentes. Iussit eos unumquemque stare seorsum, alios ad suos ordines, alios seorsum.

5. Deinde porrexerunt qui habuerant virides quidem virgas, sed scissuras habentes; hi omnes virides tradiderunt ac steterunt in suo ordine. Pastor autem de iis gavisus est, quod omnes mutati sunt et scissuras suas deposuerunt. 2. Porrexerunt vero ii quoque, qui dimidium viride, dimidium aridum habuerant; quorumdam igitur virgae inventae sunt plane virides, quorumdam semiaridae, quorumdam aridae et corrosae, quorumdam virides et pampinos habentes. Hi omnes dimissi

XII c. 4, 7); quae sequuntur, iterum ex apographo Simonidis desumpta sunt | *φερέτω* c. L A: *φ*[*ησά*]*τω* G
4. *καὶ ὡσαύτως* em Gh coll L[1] (*aeque* duo codd, *et quae* ceteri): *οἱ* (supra notato *αἱ*) *οὕτως* G, *sicut antea non* A, om totum colon L[2] — *καὶ ὡσ. κτλ.*] Cf. c. 6, 4.
6. *καρπούς, οἵους*: *καρπόν, οἷον* L A | *σταθῆναι*: *στῆναι* G
5, 4. *εἶτα κτλ.* c. L[1] L[2] A: om G

οὗτοι πάντες ἀπελύθησαν ἕκαστος πρὸς τὸ τάγμα αὐτοῦ. 3. Εἶτα ἐπέδωκαν οἱ τὰ δύο μέρη χλωρὰ ἔχοντες, τὸ δὲ τρίτον ξηρόν· πολλοὶ ἐξ αὐτῶν χλωρὰς ἐπέδωκαν, πολλοὶ δὲ ἡμιξήρους, ἕτεροι δὲ ξηρὰς καὶ βεβρωμένας· οὗτοι πάντες ἔστησαν εἰς τὸ ἴδιον τάγμα. 4. [Εἶτα ἐπέδωκαν οἱ τὰ δύο μέρη ξηρὰ ἔχοντες, τὸ δὲ τρίτον χλωρόν· πολλοὶ ἐξ αὐτῶν ἡμιξήρους ἐπέδωκαν, τινὲς δὲ ξηρὰς καὶ βεβρωμένας, τινὲς δὲ ἡμιξήρους καὶ σχισμὰς ἐχούσας, ὀλίγοι δὲ χλωράς· οὗτοι πάντες ἔστησαν εἰς τὸ ἴδιον τάγμα]. 5. Ἐπέδωκαν δὲ οἱ τὰς ῥάβδους χλωρὰς ἐσχηκότες, ἐλάχιστον δὲ [ξηρὸν] καὶ σχισμὰς ἐχούσας· ἐκ τούτων τινὲς χλωρὰς ἐπέδωκαν, τινὲς δὲ χλωρὰς καὶ παραφυάδας ἐχούσας· ἀπῆλθον καὶ οὗτοι εἰς τὸ τάγμα αὐτῶν. 6. Εἶτα ἐπέδωκαν οἱ ἐλάχιστον ἔχοντες χλωρόν, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη ξηρά· τούτων αἱ ῥάβδοι εὑρέθησαν τὸ πλεῖστον μέρος χλωραὶ καὶ παραφυάδας ἔχουσαι καὶ καρπὸν ἐν ταῖς παραφυάσι, καὶ ἕτεραι χλωραὶ ὅλαι. Ἐπὶ ταύταις ταῖς ῥάβδοις ἐχάρη ὁ ποιμὴν λίαν, ὅτι οὕτως εὑρέθησαν. Ἀπῆλθον δὲ οὗτοι ἕκαστος εἰς τὸ ἴδιον τάγμα.

6. Μετὰ τὸ πάντων κατανοῆσαι τὰς ῥάβδους τὸν ποιμένα λέγει μοι· Εἶπόν σοι, ὅτι τὸ δένδρον τοῦτο φιλόζωόν ἐστι. Βλέπεις, φησί, πόσοι μετενόησαν καὶ ἐσώθησαν; Βλέπω, φημί, κύριε. Ἵνα ἴδῃς, φησί, τὴν πολυευσπλαγχνίαν τοῦ κυρίου, ὅτι μεγάλη καὶ ἔνδοξός ἐστι, καὶ ἔδωκε πνεῦμα τοῖς ἀξίοις οὖσι μετανοίας. 2. Διατί οὖν, φημί, κύριε, πάντες οὐ μετενόησαν; Ὧν εἶδε, φησί, τὴν καρδίαν μέλλουσαν καθαρὰν γενέσθαι καὶ δουλεύειν αὐτῷ ἐξ ὅλης καρδίας, τούτοις ἔδωκε τὴν μετάνοιαν· ὧν δὲ εἶδε τὴν δολιότητα καὶ πονηρίαν, μελλόντων ἐν ὑποκρίσει μετανοεῖν, ἐκείνοις οὐκ ἔδωκε μετάνοιαν, μήποτε πάλιν βεβηλώσωσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ. 3. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, νῦν οὖν μοι δήλωσον τοὺς τὰς ῥάβδους ἐπιδεδωκότας, ποταπός τις αὐτῶν ἐστί, καὶ τὴν τούτων κατοικίαν, ἵνα ἀκούσαντες οἱ πιστεύσαντες καὶ εἰληφότες τὴν σφραγῖδα καὶ τεθλακότες αὐτὴν καὶ μὴ τηρήσαντες ὑγιῆ, ἐπιγνόντες τὰ ἑαυτῶν ἔργα μενανοήσωσι, λαβόντες ὑπὸ σοῦ σφραγῖδα, καὶ δοξάσωσι τὸν

5. *ξηρὸν* c. L[2] A: om G (totum versum L[1])
6. *λίαν*: add *μενεῖς* G
6, 1. *εἶπον*] Cf. c. 2, 7. — *μετανοίας*] et cum *ἀξίοις* et cum *πνεῦμα* coniungi potest. Respiciens c. 11, 1 et sequens interpretes veteres vocem ad *ἀξίοις* refero.
2. *διατί* c. L (A): *οἱ οὗτοι* G | *τὸ ὄνομα* c. G A: *τὸν νόμον* L — *ὧν*

sunt ad suum quisque ordinem. 3. Deinde porrexerunt qui duas partes virides habuerant, tertiam aridam; multi ex iis porrexerunt virides, multi semiaridas, alii aridas et corrosas; hi omnes constiterunt in suo ordine. 4. Porro porrexerunt qui duas partes aridas habuerant, tertiam autem viridem. Multi ex iis semiaridas tradiderunt, quidam vero aridas et corrosas, quidam semiaridas et scissuras habentes, pauci virides. Hi omnes constiterunt in suo ordine. 5. Porrexerunt vero qui virgas virides habuerant, minimam autem partem aridam et scissuras habentes. Ex his quidam virides tradiderunt, quidam vero virides et pampinos habentes. Abierunt hi quoque in suum ordinem. 6. Deinde porrexerunt qui minimam partem habuerant viridem, reliquas partes aridas; horum virgae maxima ex parte inventae sunt virides et ramusculos habentes et fructum in ramusculis, et aliae totae virides. De his virgis gavisus est pastor valde, quia sic inventae sunt. Abierunt autem hi in suum quisque ordinem.

6. Cumque omnium virgas considerasset pastor, ait mihi: Dixi tibi, hanc arborem vitam amare. Videsne, inquit, quot paenitentiam egerint et salvi sint facti? Video, inquam, domine. Ut videas, inquit, misericordiam Domini, quia magna et gloriosa est, dedit quoque spiritum iis, qui digni sunt paenitentia. 2. Quare igitur, inquam, domine, non omnes egerunt paenitentiam? Quorum, inquit, mentem vidit mundam futuram sibique ex toto corde servituram esse, his dedit paenitentiam; quos autem vidit fallaces et iniquos futuros et in hypocrisi paenitentiam acturos esse, illis non tribuit paenitentiam, ne quando iterum violarent nomen ipsius. 3. Dico ei: Domine, nunc ergo demonstra mihi eos, qui virgas porrexerunt, qualis quis eorum sit, et habitationem eorum, ut audiant qui crediderunt et sigillum acceperunt et fregerunt neque sanum servaverunt, et cognoscentes opera sua paenitentiam agant,

εἶδε κτλ.] Deus dat gratiam paenitentiae, sed iis, quos cum ea cooperaturos esse praevidet.

3. *ἐσπλαγχνίσθη*: *εὐσπλ.* G cf. Vis. I c. 3, 2 not. — *σφραγῖδα*] Vox, ut contextus docet, hic primum baptismum denotat, deinde gratiam baptismi paenitentia restituendam. Aliter c. 2, 2. 4. — *ἀνακαινίσαι τ. πν.*] Cf. Sim. IX c. 14, 3.

κύριον, ὅτι ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἀπέστειλέ σε τοῦ ἀνακαινίσαι τὰ πνεύματα αὐτῶν. 4. Ἄκουε, φησίν· ὧν αἱ ῥάβδοι ξηραὶ καὶ βεβρωμέναι ὑπὸ σητὸς εὑρέθησαν, οὗτοί εἰσιν οἱ ἀποστάται καὶ προδόται τῆς ἐκκλησίας καὶ **βλασφημήσαντες ἐν ταῖς** ἁμαρτίαις αὐτῶν τὸν κύριον, ἔτι δὲ καὶ ἐπαισχυνθέντες **τὸ ὄνομα** κυρίου *τὸ ἐπικληθὲν ἐπ' αὐτούς*· οὗτοι οὖν εἰς τέλος ἀπώλοντο τῷ θεῷ. Βλέπεις δέ, ὅτι οὐδὲ εἷς αὐτῶν μετενόησε, καίπερ ἀκούσαντες τὰ ῥήματα, ἃ ἐλάλησας αὐτοῖς, ἅ σοι ἐνετειλάμην· ἀπὸ τῶν τοιούτων [οὖν] ἡ ζωὴ ἄπεστιν. 5. Οἱ δὲ τὰς ξηρὰς καὶ ἀσήπτους ἐπιδεδωκότες, καὶ οὗτοι ἐγγὺς αὐτῶν· ἦσαν γὰρ ὑποκριταὶ καὶ διδαχὰς ξένας εἰσφέροντες καὶ ἐκστρέφοντες τοὺς δούλους τοῦ θεοῦ, μάλιστα δὲ τοὺς ἡμαρτηκότας, μὴ ἀφιέντες μετανοεῖν αὐτούς, ἀλλὰ ταῖς διδαχαῖς ταῖς μωραῖς πείθοντες αὐτούς· οὗτοι οὖν ἔχουσιν ἐλπίδα τοῦ μετανοῆσαι. 6. Βλέπεις δὲ πολλοὺς ἐξ αὐτῶν καὶ μετανενοηκότας, ἀφ' ἧς ἐλάλησας αὐτοῖς τὰς ἐντολάς μου· καὶ ἔτι μετανοήσουσιν. Ὅσοι δὲ οὐ μετανοήσουσιν, ἀπώλεσαν τὴν ζωὴν αὐτῶν· ὅσοι δὲ μετενόησαν ἐξ αὐτῶν, ἀγαθοὶ ἐγένοντο, καὶ ἐγένετο ἡ κατοικία αὐτῶν εἰς τὰ τείχη τὰ πρῶτα· τινὲς δὲ καὶ εἰς τὸν πύργον ἀνέβησαν. Βλέπεις οὖν, φησίν, ὅτι ἡ μετάνοια ἡ τῶν ἁμαρτωλῶν ζωὴν ἔχει, τὸ δὲ μὴ μετανοῆσαι θάνατον.

7. Ὅσοι δὲ ἡμιξήρους ἐπέδωκαν καὶ ἐν αὐταῖς σχισμὰς εἶχον, ἄκουε καὶ περὶ αὐτῶν. Ὅσων ἦσαν αἱ ῥάβδοι κατὰ τὸ αὐτὸ ἡμίξηροι, δίψυχοί εἰσιν· οὔτε γὰρ ζῶσιν οὔτε τεθνήκασιν. 2. Οἱ δὲ ἡμιξήρους ἔχοντες καὶ ἐν αὐταῖς σχισμάς, οὗτοι καὶ δίψυχοι καὶ κατάλαλοί εἰσι καὶ μηδέποτε *εἰρηνεύοντες ἐν ἑαυτοῖς*, ἀλλὰ διχοστατοῦντες πάντοτε· ἀλλὰ καὶ τούτοις, φησίν, ἐπίκειται

4. *ὑπὸ σητός*: praem *velut* L | *καίπερ ἀκ.* c. L A: *καὶ παρακούσαντες* G | *ἐλάλησας* c. L[1] A: *-σεν* G, L[2]? | *οὖν* c. L[1] A: om G L[2] | *ἄπεστιν* c. L coll A *(deerit)*: *ἀπέστη* (notato *ην* super *η*) G — *ἀποστάται κ. πρ.*] Cf. Sim. IX c. 19, 1. — *βλασφ. τὸ ὄνομα κτλ.*] Iac. 2, 7. Cf. Gen. 48, 16. Deut. 14, 23; 28, 10. II Reg. 6, 2. Dan. 9, 18. 19. Act. 15, 17 etc. — *ἐπαισχυνθέντες κτλ.*] Cf. Sim. IX c. 14, 6; c. 21, 3. Marc. 8, 38. Luc. 9, 26.

5. *ξένας* c. G: *pravas* L, *duplicem (doctrinam)* A | *πείθοντες* c. G: *detinentes* L[1] (L[2]), *seducunt* A — *διδ. ξένας*] Cf. Sim. IX c. 19, 1; c. 22, 1. 2. Vis. III c. 7, 1. II Petr. 2, 1: *οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας*. Gnostici respiciuntur. Cf. Behm,

accipientes a te sigillum, et glorificent Dominum, quod misertus est ipsorum misitque te, ut spiritus eorum renovares. 4. Audi, inquit: quorum virgae aridae et corrosae a tinea inventae sunt, hi sunt apostatae et proditores ecclesiae et qui in peccatis suis *blasphemaverunt* Dominum, adhuc autem et erubuerunt *nomine* Domini, *quod invocatum est super eos.* Hi igitur in perpetuum interierunt Deo. Vides autem, nec unum ex iis paenitentiam egisse, etiamsi audierant verba, quae locutus es iis, quae tibi mandavi; ab eiusmodi ergo hominibus abest vita. 5. Qui vero aridas et non putridas tradiderunt, et hi prope illos sunt; erant enim hypocritae et doctrinas alienas inferebant pervertebantque servos Dei, eos maxime, qui peccaverunt, non sinentes eos paenitentiam agere, sed doctrinis fatuis eos persuadentes. Hi igitur habent spem paenitentiae. 6. Vides autem multos ex iis et paenitentiam egisse, ex quo mandata mea locutus es; et adhuc paenitentiam agent. Quotquot autem non agent paenitentiam, vitam suam amiserunt; quotquot ex iis paenitentiam egerunt, boni evaserunt et habitationem acceperunt in primis muris; quidam etiam in turrim ascenderunt. Vides igitur, inquit, paenitentiam peccatorum vitam habere, non agentes vero paenitentiam mortem sibi adquirere.

7. Quotquot autem virgas semiaridas tradiderunt in iisque scissuras habuerunt, de iis quoque audi. Quorum virgae eodem modo semiaridae erant, ii dubii sunt; neque enim vivunt nec mortui sunt. 2. Qui vero semiaridas habuerunt et scissuras in iis, hi et dubii et detractores sunt neque unquam *pacem habentes inter se*, sed semper dissentientes. Sed his quoque, in-

Ueber den Verfasser des Hirten (1876) p. 49 sqq. — *μὴ ἀφ. μετανοεῖν*] i. e. docentes, non opus esse paenitentia. Non Montanistae, sed iterum Gnostici respiciuntur. Cf. Lipsius in: Zeitschr. f. wiss. Theol. 1866 p. 38.

6. *ἐλάλησας* c. L: *-σα* G, *nuntiatum est* A | *μετανοήσουσιν* sec c. A: *-σωσιν* G, *egerint* L | *ἡ* p. *μετάνοια* em: *οἱ* G, *τὴν* Hg, om Gh — *τείχη τ. πρ. — πύργον*] Diversa singulis beatitudo attribuitur. Cf. c. 7, 3; c. 8, 3. Vis. III c. 2, 1.

7, 1. *κατὰ τ. αὐτὸ* (*καθὰ τ. αὐτὸν* cod): *tantummodo* L[1], om L[2] A — *οὔτε ζ. οὔτε τεθνήκασιν*] Cf. Apoc. 3, 15. 16.

2. *μηδέποτε* c. L A: *μηδὲ* G | *κ. ἔτι — μετανοίας* om L — *εἰρην. ἐν ἑαυτοῖς*] Cf. Vis. III c. 9, 2 not. —

μετάνοια. Βλέπεις, φησί, τινὰς ἐξ αὐτῶν μετανενοηκότας· καὶ ἔτι, φησίν, ἐστὶν ἐν αὐτοῖς ἐλπὶς μετανοίας. 3. Καὶ ὅσοι, φησίν, ἐξ αὐτῶν μετανενοήκασι, τὴν κατοικίαν εἰς τὸν πύργον ἔχουσιν· ὅσοι δὲ ἐξ αὐτῶν βραδύτερον μετανενοήκασιν, εἰς τὰ τείχη κατοικήσουσιν· ὅσοι δὲ οὐ μετανοοῦσιν, ἀλλ' ἐμμένουσι ταῖς πράξεσιν αὐτῶν, θανάτῳ ἀποθανοῦνται. 4. Οἱ δὲ χλωρὰς ἐπιδεδωκότες τὰς ῥάβδους αὐτῶν καὶ σχισμὰς ἐχούσας, πάντοτε οὗτοι πιστοὶ καὶ ἀγαθοὶ ἐγένοντο, ἔχοντες [δὲ] ζῆλόν τινα ἐν ἀλλήλοις περὶ πρωτείων καὶ περὶ δόξης τινός· ἀλλὰ πάντες οὗτοι μωροί εἰσιν, ἐν ἀλλήλοις ἔχοντες [ζῆλον] περὶ πρωτείων. 5. Ἀλλὰ καὶ οὗτοι ἀκούσαντες τῶν ἐντολῶν μου, ἀγαθοὶ ὄντες, ἐκαθάρισαν ἑαυτοὺς καὶ μετενόησαν ταχύ· ἐγένετο οὖν ἡ κατοίκησις αὐτῶν εἰς τὸν πύργον· ἐὰν δέ τις πάλιν ἐπιστρέψῃ εἰς τὴν διχοστασίαν, ἐκβληθήσεται ἀπὸ τοῦ πύργου καὶ ἀπολέσει τὴν ζωὴν αὐτοῦ. 6. Ἡ ζωὴ πάντων ἐστὶ ***τῶν τὰς ἐντολὰς τοῦ κυρίου φυλασσόντων***· ἐν ταῖς ἐντολαῖς δὲ περὶ πρωτείων ἢ περὶ δόξης τινὸς οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ περὶ μακροθυμίας καὶ περὶ ταπεινοφρονήσεως ἀνδρός. Ἐν τοῖς τοιούτοις οὖν ἡ ζωὴ τοῦ κυρίου, ἐν τοῖς διχοστάταις δὲ καὶ παρανόμοις θάνατος.

8. Οἱ δὲ ἐπιδεδωκότες τὰς ῥάβδους ἥμισυ μὲν χλωράς, ἥμισυ δὲ ξηράς, οὗτοί εἰσιν οἱ ἐν ταῖς πραγματείαις ἐμπεφυρμένοι καὶ μὴ κολλώμενοι τοῖς ἁγίοις· διὰ τοῦτο τὸ ἥμισυ αὐτῶν ζῇ, τὸ δὲ ἥμισυ νεκρόν ἐστι. 2. Πολλοὶ οὖν ἀκούσαντές μου τῶν ἐντολῶν μετενόησαν· ὅσοι γοῦν μετενόησαν, ἡ κατοικία αὐτῶν εἰς τὸν πύργον. Τινὲς δὲ αὐτῶν εἰς τέλος ἀπέστησαν· οὗτοι οὖν μετάνοιαν οὐκ ἔχουσιν· διὰ γὰρ τὰς πραγματείας αὐτῶν ἐβλασφήμησαν τὸν κύριον καὶ ἀπηρνήσαντο λοιπόν· ἀπώλεσαν οὖν τὴν ζωὴν αὐτῶν διὰ τὴν πονηρίαν, ἣν ἔπραξαν. 3. Πολλοὶ δὲ ἐξ αὐτῶν ἐδιψύχησαν· οὗτοι ἔτι ἔχουσι μετάνοιαν, ἐὰν ταχὺ μετανοήσωσι, καὶ ἔσται αὐτῶν ἡ κατοικία εἰς τὸν πύργον· ἐὰν δὲ βραδύτερον μετανοήσωσι, κατοικήσουσιν εἰς τὰ τείχη· ἐὰν δὲ μὴ μετανοήσωσι, καὶ αὐτοὶ ἀπώλεσαν τὴν ζωὴν αὐτῶν. 4. Οἱ δὲ τὰ δύο μέρη

ἔστιν — μετανοίας] Cf. Ign. Eph. 10, 1.

3. *ἔχουσιν* c. L A: *ἕξουσιν* G

4. *δὲ* sec c. L A : om G | *ζῆλον* sec c. L[1] A (L[2]): om G — *πρωτείων*] Non clericos, sed omnino ambitiosos hic vituperare videtur. Cf. Matth. 23, 6. Marc. 12, 39. Luc. 11, 43; 20, 46. Vis. III c. 9, 7 not.

6. *τ. τ. ἐντολὰς κτλ.*] Cf. Mand.

quit, paenitentia posita est. Vides, inquit, quosdam ex iis paenitentiam egisse. Et adhuc, inquit, in iis est spes paenitentiae. 3. Et quotquot, inquit, ex iis paenitentiam egerunt, habitationem in turri habent; quotquot autem ex iis tardius paenitentiam egerunt, in muris habitabunt; quotquot vero non agunt paenitentiam, sed permanent in factis suis, morte morientur. 4. Qui vero virides tradiderunt virgas suas et scissuras habentes, hi fideles semper ac boni fuerunt, habentes autem zelum quendam inter se de principatu et de gloria quadam; sed hi omnes stulti sunt, inter se aemulationem habentes de principatu. 5. Sed hi quoque mandatis meis auditis, cum boni essent, sese purificaverunt citoque paenitentiam egerunt. Habitatio igitur iis contigit in turri. Sin autem quis iterum se converterit ad dissensionem, eicietur e turri et perdet vitam suam. 6. Vita est omnium, qui *mandata Domini custodiunt;* in mandatis autem nec de principatu nec de gloria aliqua agitur, sed de longanimitate et de humilitate viri. In talibus igitur vita est Domini, in seditiosis autem et contemptoribus legis mors.

8. Qui vero virgas tradiderunt pro dimidia parte virides, pro dimidia aridas, hi sunt qui negotiis involuti sunt neque adhaerebant sanctis. Propterea dimidia eorum pars vivit, dimidia mortua est. 2. Multi igitur auditis mandatis meis paenitentiam egerunt. Quotquot quidem paenitentiam egerunt, habitatio eorum est in turri. Quidam vero ex iis in finem destiterunt. Hi ergo paenitentiam non habent; namque ob negotia sua blasphemaverunt Dominum et abnegaverunt deinceps. Amiserunt ergo vitam suam propter nequitiam, quam fecerunt. 3. Multi autem ex iis dubii erant. Hi adhuc habent paenitentiam, si cito paenitentiam agunt, eritque habitatio eorum in turri; sin autem tardius paenitentiam egerint, habitabunt in muris; si vero non egerint paenitentiam, ipsi quoque amiserunt

VII, 1 not. — *περὶ πρωτείων — ταπεινοφρονήσεως*] Haec scribentem auctorem verba Domini Matth. 23, 6—12 respexisse coniecerim.

8, 1. *ἐκπεφυρμένοι* G

2. *ὅσοι* c. A: *ὅσον* G, om *ὅσοι γ. μετεν.* L | *λοιπὸν* c. G: om L A, con *αὐτὸν* Hg — *διὰ τ. πραγματείας κτλ.*] Cf. Vis. III c. 6, 5.

χλωρά, τὸ δὲ τρίτον ξηρὸν ἐπιδεδωκότες, οὗτοί εἰσιν οἱ ἀρνησάμενοι ποικίλαις ἀρνήσεσι. 5. Πολλοὶ οὖν [ἐξ αὐτῶν] μετενόησαν, [καὶ ἐγένετο ἡ κατοίκησις αὐτῶν εἰς τὸν πύργον. Πολλοὶ δὲ εἰς τέλος ἀπέστησαν ἀπὸ τοῦ θεοῦ· οὗτοι οὖν εἰς τέλος ἀπώλεσαν τὴν ζωὴν αὐτῶν]. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν ἐδιψύχησαν καὶ ἐδιχοστάτησαν· τούτοις οὖν ἐστὶ μετάνοια, ἐὰν ταχὺ μετανοήσωσι καὶ μὴ ἐπιμείνωσι ταῖς ἡδοναῖς αὐτῶν· ἐὰν δὲ ἐπιμείνωσι ταῖς πράξεσιν αὐτῶν, καὶ οὗτοι θάνατον ἑαυτοῖς κατεργάζονται.

9. Οἱ δὲ ἐπιδεδωκότες τὰς ῥάβδους τὰ μὲν β' μέρη ξηρά, τὸ δὲ τρίτον χλωρόν, οὗτοί εἰσι πιστοὶ μὲν γεγονότες, πλουτήσαντες δὲ καὶ γενόμενοι ἔνδοξοι παρὰ τοῖς ἔθνεσιν· ὑπερηφανίαν μεγάλην ἐνεδύσαντο καὶ ὑψηλόφρονες ἐγένοντο καὶ κατέλιπον τὴν ἀλήθειαν καὶ οὐκ ἐκολλήθησαν τοῖς δικαίοις, ἀλλὰ μετὰ τῶν ἐθνῶν συνέζησαν καὶ αὕτη ἡ ὁδὸς ἡδυτέρα αὐτοῖς ἐγένετο· ἀπὸ δὲ τοῦ θεοῦ οὐκ ἀπέστησαν, ἀλλ' ἐνέμειναν τῇ πίστει, μὴ ἐργαζόμενοι τὰ ἔργα τῆς πίστεως. 2. Πολλοὶ οὖν ἐξ αὐτῶν μετενόησαν, καὶ ἐγένετο ἡ κατοίκησις αὐτῶν ἐν τῷ πύργῳ. 3. Ἕτεροι δὲ εἰς τέλος μετὰ τῶν ἐθνῶν συζῶντες καὶ πειθόμενοι ταῖς κενοδοξίαις τῶν ἐθνῶν ἀπέστησαν ἀπὸ τοῦ θεοῦ, δουλεύοντες ταῖς πράξεσι καὶ τοῖς ἔργοις τῶν ἐθνῶν. Οὗτοι [οὖν] μετὰ τῶν ἐθνῶν ἐλογίσθησαν. 4. Ἕτεροι δὲ ἐξ αὐτῶν ἐδιψύχησαν μὴ ἐλπίζοντες σωθῆναι διὰ τὰς πράξεις, ἃς ἔπραξαν· ἕτεροι δὲ ἐδιψύχησαν καὶ σχίσματα ἐν ἑαυτοῖς ἐποίησαν. Τούτοις οὖν [καὶ] τοῖς διψυχήσασι διὰ τὰς πράξεις αὐτῶν μετάνοια ἔτι ἐστίν· ἀλλ' ἡ μετάνοια αὐτῶν ταχινὴ ὀφείλει εἶναι, ἵνα ἡ κατοικία αὐτῶν γένηται εἰς τὸν πύργον· τῶν δὲ μὴ μετανοούντων, ἀλλ' ἐπιμενόντων ταῖς ἡδοναῖς, ὁ θάνατος ἐγγύς.

10. Οἱ δὲ τὰς ῥάβδους ἐπιδεδωκότες χλωράς, αὐτὰ δὲ τὰ ἄκρα ξηρὰ καὶ σχισμὰς ἔχοντα, οὗτοι πάντοτε ἀγαθοὶ καὶ πιστοὶ καὶ ἔνδοξοι παρὰ τῷ θεῷ ἐγένοντο, ἐλάχιστον δὲ [ἐξή]μαρτον διὰ

4. *χλωρά . . ξηρὸν* c. L A cf. c. 1, 12; c. 5, 3: *ξηρά . . χλωρὸν* (deleto *ξηρὸν* ante *χλωρὸν*) G
5. *ἐξ αὐτῶν* et *καὶ ἐγ. — ζωὴν αὐτῶν* c. L[1] L[2] A : om G
9, 1. *ἐγένετο* c. G (A): *visa est* L, *ἐφαίνετο* Hg (p. 176) Gh | *ἐνέμειναν* c. L A: *ἔμειναν* G | *ἐργαζόμενοι*: add *δὲ* Gh c. L coll A (?) — *ἔνδοξοι π. τ. ἔθνεσιν*] Cf. c. 10, 1: *ἔνδοξοι π. τῷ θεῷ*. — *μὴ ἐργαζόμενοι κτλ.*] Cf. c. 10, 3. Iac. 2, 17 sqq. De operi-

vitam suam. 4. Qui autem duas partes virides, tertiam aridam **porrexerunt**, hi sunt qui negaverunt Dominum negationibus **variis**. 5. Multi igitur ex iis paenitentiam egerunt et habitationem nacti sunt in turri; multi autem in finem recesserunt a Deo; hi ergo vitam suam in finem amiserunt. Quidam autem **ex** iis dubii et incerti erant. His igitur paenitentia est, si **cito** paenitentiam **agent** nec permanebunt in voluptatibus **suis**; **sin** autem permanserint in factis suis, et hi mortem sibi **adquirunt**.

9. Qui vero virgas porrexerunt, quarum duae partes erant **aridae**, **tertia viridis**, hi sunt qui fideles quidem facti sunt, **sed divites** et celebres evaserunt apud gentes; superbiam magnam induti sunt ac sublimia spiraverunt et dereliquerunt veritatem neque **adhaeserunt** iustis, sed cum gentibus vixerunt et **haec via** dulcior iis **facta** est; a Deo autem non recesserunt, **sed perseveraverunt** in fide, etsi opera fidei non exercebant. **2. Multi igitur** ex iis paenitentiam egerunt, et habitatio iis **contigit** in turri. 3. Alii autem in perpetuum cum gentibus **conviventes** et impulsi vanitatibus gentium recesserunt a Deo, **servientes** factis et operibus gentium. Hi igitur cum gentibus **numerati sunt**. 4. Alii autem ex iis dubii erant, desperantes **se salvos** fieri propter **facta**, quae fecerunt; alii dubii erant **atque** dissensiones intra se excitaverunt. His igitur et illis, qui propter facta sua dubii erant, adhuc paenitentia est; sed **paenitentia** eorum celeris esse debet, ut habitatio eorum sit in **turri**; qui autem paenitentiam non egerunt, sed perseveraverunt in voluptatibus, iis mors prope est.

10. Qui vero virgas porrexerunt virides, cacumina ipsa **autem arida** et scissuras habentia, hi semper boni et fideles et gloriosi apud Dominum fuerunt, minimum autem deliquerunt

bus fidei cf. Mand. VIII, 10.

3. *πειθόμενοι* Gh c. L[1] (*evicti*, plures codd aliter) L[2] (*ducti*) coll A: *φθειρόμενοι* G | *ἀπέστησαν — τ. ἐθνῶν* c. L[1] L[2] A: *ἐδιψύχησαν μὴ ἐλπίζοντες σωθῆναι διὰ τὰς πράξεις τ. ἐθνῶν* G, cf. v. 4 | *οὖν* c. L (A): om G

4. *καὶ* p. *οὖν* c. L[1] (L[2]): om G A | *γένηται* : *γένῃ* G | *ἡδοναῖς*: add *suis* L A — *σχίσματα*] Cf. c. 7, 2, ubi habes contrarium: *εἰρηνεύοντες ἐν ἑαυτοῖς*.

10, 1. *μικρὰ* c. G: *minimas disputationes* L (A)

μικρὰς ἐπιθυμίας καὶ μικρὰ κατ' ἀλλήλων ἔχοντες· ἀλλ' ἀκούσαντές μου τῶν ῥημάτων τὸ πλεῖστον μέρος ταχὺ μετενόησαν, καὶ ἐγένετο ἡ κατοικία αὐτῶν εἰς τὸν πύργον. 2. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν ἐδιψύχησαν, τινὲς δὲ διψυχήσαντες διχοστασίαν μείζονα ἐποίησαν· ἐν τούτοις οὖν ἔτι ἐστὶ μετανοίας ἐλπίς, ὅτι ἀγαθοὶ πάντοτε ἐγένοντο· δυσκόλως δέ τις αὐτῶν ἀποθανεῖται. 3. Οἱ δὲ τὰς ῥάβδους αὐτῶν ξηρὰς ἐπιδεδωκότες, ἐλάχιστον δὲ χλωρὸν ἐχούσας, οὗτοί εἰσιν οἱ πιστεύσαντες μέν, τὰ δὲ ἔργα τῆς ἀνομίας ἐργαζόμενοι· οὐδέποτε δὲ ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀπέστησαν καὶ τὸ ὄνομα ἡδέως ἐβάστασαν καὶ εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν ἡδέως ὑπεδέξαντο τοὺς δούλους τοῦ θεοῦ· ἀκούσαντες οὖν ταύτην τὴν μετάνοιαν ἀδιστάκτως μετενόησαν καὶ ἐργάζονται πᾶσαν ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην· 4. τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν θλιβόμενοι ἡδέως ἔπαθον, γινώσκοντες τὰς πράξεις αὐτῶν, ἃς ἔπραξαν. Τούτων οὖν πάντων ἡ κατοικία εἰς τὸν πύργον ἔσται.

11. Καὶ μετὰ τὸ συντελέσαι αὐτὸν τὰς ἐπιλύσεις πασῶν τῶν ῥάβδων λέγει μοι· Ὕπαγε καὶ πᾶσιν λέγε, ἵνα μετανοήσωσιν, καὶ ζήσονται τῷ θεῷ· ὅτι ὁ κύριος ἔπεμψέ με σπλαγχνισθεὶς πᾶσι δοῦναι τὴν μετάνοιαν, καίπερ τινῶν μὴ ὄντων ἀξίων διὰ τὰ ἔργα αὐτῶν· ἀλλὰ μακρόθυμος ὢν ὁ κύριος θέλει τὴν κλῆσιν τὴν γενομένην διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ σώζεσθαι. 2. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, ἐλπίζω, ὅτι πάντες ἀκούσαντες αὐτὰ μετανοήσουσι· πείθομαι γάρ, ὅτι εἷς ἕκαστος τὰ ἴδια ἔργα ἐπιγνοὺς καὶ φοβηθεὶς τὸν θεὸν μετανοήσει. 3. Ἀποκριθείς μοι λέγει· Ὅσοι, φησίν, ἐξ ὅλης καρδίας αὐτῶν [μετανοήσωσι καὶ] καθαρίσωσιν ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν πονηριῶν πασῶν τῶν προειρημένων καὶ μηκέτι μηδὲν προσθῶσι ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῶν, λήψονται ἴασιν παρὰ τοῦ κυρίου τῶν προτέρων ἁμαρτιῶν, ἐὰν μὴ διψυχήσωσιν ἐπὶ ταῖς ἐντολαῖς ταύταις, καὶ ζήσονται τῷ θεῷ. [Ὅσοι δέ, φησίν, προσθῶσι ταῖς ἁμαρτίαις αὐ-

2. *ἔτι ἐστὶ* c. L: *ἔνεστι* G (A?) — *διψ. διχοστασίαν κτλ.*] Cf. c. 9, 4.
3. *ἐλάχιστον δὲ χρ. ἐχ.*: *exceptis cacuminibus earum, quae sola erant viridia* L (A) cf. c. 1, 14 | *μὲν* c. L: *μόνον* G (A?) | *κ. δικαιοσύνην* c. G A: *δικαιοσύνης* L — *τ. ὄνομα ἐβάστ.*] Cf. Sim. IX c. 13, 2. 3; c. 14, 5. 6; c. 15, 3 etc. Apoc. 3, 12; 14, 1.
4. *θλιβ. ἡδ. ἔπαθον* Gh c. L² (vide versionem): *morte obierunt et libenter patiuntur* L¹, *se ipsos afflixerunt* A, *καὶ φοβοῦνται* G, *φονευόμενοι ἐκόντες ἔπαθον* Hg | *τούτων — ἔσται* om L — *θλιβόμενοι κτλ.*] Lectiones adeo diversae sunt, ut locus vix re-

propter parvas concupiscentias et quia parva alter adversus alterum habuerunt; sed auditis mandatis meis plurimi cito paenitentiam egerunt et habitationem acceperunt in turri. 2. Quidam autem ex iis dubii erant, quidam dubii dissensionem maiorem moverunt. In his ergo adhuc est spes paenitentiae, quia semper boni fuerunt; difficile autem aliquis eorum morietur. 3. Qui autem virgas suas aridas porrexerunt, minimam partem viridem habentes, hi sunt qui crediderunt quidem, opera autem iniquitatis egerunt; nunquam autem a Deo defecerunt et nomen libenter gestaverunt et servos Dei in domibus suis susceperunt. Audita ergo hac paenitentia sine haesitatione paenitentiam egerunt et operantur omnem virtutem ac iustitiam; 4. aliqui vero ex iis compressi libenter patiuntur, cognoscentes opera sua, quae operati sunt. Horum ergo omnium habitatio erit in turri.

11. Et postquam finiit explanationes omnium virgarum, ait mihi: Vade et dic omnibus, ut paenitentiam agant, et vivent Deo; quoniam Dominus misertus est et misit me, ut omnibus darem paenitentiam, quamvis quidam non essent digni propter opera sua; sed cum sit longanimis Dominus, vult vocationem per filium suum factam servari. 2. Dico ei: Domine, spero, omnes iis auditis paenitentiam acturos esse; persuasum enim mihi habeo, unumquemque cognitis suis operibus acceptoque Dei timore paenitentiam acturum esse. 3. Respondens mihi dicit: Quotquot, inquit, ex toto corde suo paenitentiam egerint et se purificaverint ab omnibus iniquitatibus praedictis neque amplius quidquam adiecerint peccatis suis, remedium peccatorum priorum a Domino accipient, si non dubitaverint de mandatis istis, et vivent Deo. Quotquot autem, inquit, ad-

stitui possit. Id tantum pro certo habere licet, apographum Simonidis lectionem veram non tradere.

11, 1. *ζήσονται* c. L[1]: *ζήσωνται* G L[2] A | *ἀξίων*, add *salvari* L[2] (L[1] A) — *ὁ κύριος κτλ.*] Zahn l. c. p. 432 contulit II Petr. 3, 9: *μακροθυμεῖ εἰς ὑμᾶς, μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι.* Ign. Smyrn. 9, 1. — *ἀξίων*] sc. *τῆς μετανοίας.* Cf. c. 6, 1. 2.

3. *μετανοήσωσι καὶ* c. L A: om G; *καθαρίσωσιν* em: *-σουσιν* G | *πασῶν* c. L coll A: *αὐτῶν* G | *ταύταις* c. G A: *istis* (om L[1]) *meis* L | *ὅσοι* —

τῶν καὶ πορευθῶσιν ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τοῦ αἰῶνος τούτου, θανάτῳ ἑαυτοὺς κατακρίνουσιν]. 4. Σὺ δὲ πορεύου ἐν ταῖς ἐντολαῖς μου, καὶ ζήσῃ [τῷ θεῷ· καὶ' ὅσοι ἂν πορευθῶσιν ἐν αὐταῖς καὶ ἐργάσωνται ὀρθῶς, ζήσονται τῷ θεῷ]. 5. Ταῦτά μοι δείξας καὶ λαλήσας πάντα λέγει μοι· Τὰ δὲ λοιπά σοι δείξω μετ' ὀλίγας ἡμέρας.

Παραβολὴ θ'.

1. Μετὰ τὸ γράψαι με τὰς ἐντολὰς καὶ παραβολὰς τοῦ ποιμένος, τοῦ ἀγγέλου τῆς μετανοίας, ἦλθε πρός με καὶ λέγει μοι· Θέλω σοι δεῖξαι, ὅσα σοι ἔδειξε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ λαλῆσαν μετὰ σοῦ ἐν μορφῇ τῆς Ἐκκλησίας· ἐκεῖνο γὰρ τὸ πνεῦμα ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐστίν. 2. Ἐπειδὴ γὰρ ἀσθενέστερος τῇ σαρκὶ ἦς, οὐκ ἐδηλώθη σοι δι' ἀγγέλου. Ὅτε οὖν ἐνεδυναμώθης διὰ τοῦ πνεύματος καὶ ἴσχυσας τῇ ἰσχύϊ σου, ὥστε δύνασθαί σε καὶ ἄγγελον ἰδεῖν, τότε μὲν οὖν ἐφανερώθη σοι διὰ τῆς Ἐκκλησίας ἡ οἰκοδομὴ τοῦ πύργου· καλῶς καὶ σεμνῶς πάντα ὡς ὑπὸ παρθένου ἑώρακας. Νῦν δὲ ὑπὸ ἀγγέλου βλέπεις διὰ τοῦ αὐτοῦ μὲν πνεύματος·

κατακρίνουσιν c. L A: om G

4. *κ. ζήσῃ — ζ. τ. θεῷ* c. L[1] L[2] A: *καὶ ζῆθι* G

5. *καὶ λαλήσας* om L

IX. In hac Similitudine iterum aedificatio turris describitur. Imago itaque hic eadem est ac supra Vis. III; sententia autem initio alia. In Visione tertia enim lapides ad aedificationem adhibiti eos significant, qui vere sunt fideles, qui non solum fidem, sed etiam opera fidei habent. Cf. p. 351 not. In hac autem Similitudine lapides, quibus turris initio (c. 4) aedificatur, sunt qui in ecclesiam recipiuntur vel baptizantur, et cum baptizati non omnes vitam degant vere christianam, turris huius Similitudinis habet etiam pravos lapides, ecclesia peccatores. Sed lapides pravi vel peccatores a domino turris eiciuntur (c. 6, 5; c. 13, 3, 7—9; c. 17, 5) et pastori traduntur, ut mundentur et, si mundati fuerint, turri iterum inserantur, sin minus, proiciantur in perpetuum. Cum autem pravi lapides omnes secernantur et boni tantum relinquantur vel postea inserantur, cum ecclesia, ut pastor explicat (c. 18, 2), peccatoribus expulsis purificetur, sententia similitudinis narratione progrediente alia fit et ad sententiam Visionis III accedit, cum initio eadem ac Similitudinis VIII fuerit. Habes autem hanc sententiam mutatam inde a cap. 19. Cf. Zahn l. c. p. 222—224.

1, 1. *τὸ ἅγιον* om L[1] — *ἐντολὰς κ. παραβολάς*] Cognoscis hic dispositionem libri. Cum Hermas hoc loco sicut Vis. V, 5. 6. Mandata et

ieceriut peccatis suis et ambulaverint in desideriis huius saeculi, ad mortem se damnabunt. 4. Tu autem ambula in mandatis meis, et vives Deo; et quicumque ambulaverint in iis recteque fecerint, vivent Deo. 5. Quae postquam omnia ostendit mihi et locutus est, dicit mihi: Reliqua tibi ostendam post paucos dies.

Similitudo IX.

1. Postquam scripsi mandata et similitudines pastoris, angeli paenitentiae, venit ad me et ait mihi: Volo tibi ostendere, quaecumque tibi ostendit spiritus sanctus, qui in figura Ecclesiae tecum locutus est; ille enim spiritus filius Dei est. 2. Cum enim corpore infirmior esses, tibi non est manifestatum per angelum. Postquam ergo confirmatus es per spiritum et confortatus fortitudine tua, ita ut angelum quoque videre posses, tunc igitur per Ecclesiam tibi ostensa est aedificatio turris; bene et praeclare omnia virgine monstrante vidisti. Nunc au-

Similitudines in unum complectatur, ea tamquam alteram scripturae partem Visionibus velut primae parti opponit. Cf. Prolegom. c. 3. — *λαλῆσαν κτλ.*] sc. in Visionibus. — *τὸ πνεῦμα τ. ἅγιον κτλ.*] Hermas hic spiritum sanctum expressis verbis declarat filium Dei. Putavit quidem Zahn l. c. p. 278 sqq., non spiritum sanctum, sed illum spiritum, qui cum eo in figura Ecclesiae locutus esset, ei esse filium Dei. Sed verba id non dicunt. Non enim scripsit, ut versio latina prior habet, *τὸ πνεῦμα* (sine *τὸ ἅγιον*), neque, ut Harnack recte animadvertit, *ἐκεῖνο τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, sed nude *τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*; denique nec scripsit *ἐκεῖνο γὰρ τὸ πνεῦμα ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἦν* (pro *ἐστίν*), quod iure exspectares, si explicatio illa recta esset. Cf. adnotat. ad Sim. V c. 5.

2. *καὶ ἄγγελον* c. L[1] (L[2] A): *οἱ ἄγγελοι* G — *ἀσθενέστερος*] Cf. Vis. I c. 3, 3; II c. 1, 3. 4. — *ἐδηλώθη*] sc. *ὅσα ἔβλεψας*. — *ἐνεδυναμώθης*] Cf. Vis. I c. 4, 3; III c. 1-3. — *ἄγγελον κτλ.*] In Visione tertia Hermas non solum angelos turrim aedificantes videt (c. 2, 4 sqq.), sed per Ecclesiam etiam certior fit (c. 4, 1. 2), eos angelos esse. — *νῦν δὲ ὑπὸ ἀγγέλου*] i. e. inde a Visione quinta, ubi Hermas coepit per angelum doceri. Accipit autem revelationes *διὰ τ. αὐτοῦ πνεύματος*, i. e. a spiritu sancto vel filio Dei, qui auctor est omnium revelationum quique prius per Ecclesiam, nunc per angelum nota facit mysteria. — *βλέπεις*] sc. *ὅσα σοι δηλοῦται*.

3. δεῖ δέ σε παρ' ἐμοῦ ἀκριβέστερον πάντα μαθεῖν. Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ ἐδόθην ὑπὸ τοῦ ἐνδόξου ἀγγέλου εἰς τὸν οἶκόν σου κατοικῆσαι, ἵνα δυνατῶς πάντα ἴδῃς, μηδὲν δειλαινόμενος ὡς τὸ πρότερον. 4. Καὶ ἀπήγαγέ με εἰς τὴν Ἀρκαδίαν, εἰς ὄρος τι μαστῶδες καὶ ἐκάθισέ με ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ ὄρους καὶ ἔδειξέ μοι πεδίον μέγα, κύκλῳ δὲ τοῦ πεδίου ὄρη δώδεκα, ἄλλην καὶ ἄλλην ἰδέαν ἔχοντα τὰ ὄρη. 5. Τὸ πρῶτον ἦν μέλαν ὡς ἀσβόλη· τὸ δὲ δεύτερον ψιλόν, βοτάνας μὴ ἔχον· τὸ δὲ τρίτον ἀκανθῶν καὶ τριβόλων πλῆρες· 6. τὸ δὲ τέταρτον βοτάνας ἔχον ἡμιξήρους, τὰ μὲν ἐπάνω τῶν βοτανῶν χλωρά, τὰ δὲ πρὸς ταῖς ῥίζαις ξηρά· τινὲς δὲ βοτάναι, ὅταν ὁ ἥλιος ἐπικεκαύκει, ξηραὶ ἐγένοντο· 7. τὸ δὲ πέμπτον ὄρος ἔχον βοτάνας χλωρὰς καὶ τραχὺ ὄν. Τὸ δὲ ἕκτον ὄρος σχισμῶν ὅλον ἔγεμεν, ὧν μὲν μικρῶν, ὧν δὲ μεγάλων· εἶχον δὲ βοτάνας αἱ σχισμαί, οὐ λίαν δὲ ἦσαν εὐθαλεῖς αἱ βοτάναι, μᾶλλον δὲ ὡς μεμαραμμέναι ἦσαν. 8. Τὸ δὲ ἕβδομον ὄρος εἶχε βοτάνας ἱλαράς, καὶ ὅλον τὸ ὄρος εὐθηνοῦν ἦν καὶ πᾶν γένος κτηνῶν καὶ ὀρνέων ἐνέμοντο εἰς τὸ ὄρος ἐκεῖνο· καὶ ὅσον ἐβόσκοντο τὰ κτήνη καὶ τὰ πετεινά, μᾶλλον καὶ μᾶλλον αἱ βοτάναι τοῦ ὄρους ἐκείνου ἔθαλλον. Τὸ δὲ ὄγδοον ὄρος πηγῶν πλῆρες ἦν, καὶ πᾶν γένος τῆς κτίσεως τοῦ κυρίου ἐποτίζοντο ἐκ τῶν πηγῶν τοῦ ὄρους ἐκείνου. 9. Τὸ δὲ ἔννατον ὄρος [ὅλως οὐκ εἶχεν ὕδωρ καὶ ὅλον ἦν ἐρημῶδες καὶ ἐν ἑαυτῷ εἶχεν ἑρπετὰ θανατώδη, διαφθείροντα

3. ὡς c. L A: add *καὶ* G — *ἀκριβέστερον*] Cf. v. 1. 2. Vis. V, 5. — *ὑπὸ τ. ἐνδόξου ἀγγ.*] i. e. a filio Dei vel spiritu sancto. Cf. v. 1. 2. Sim. VII, 1 not. — *πρότερον*] Cf. Vis. I c. 2, 1; III c. 1, 5; IV c. 1, 7; c. 3, 6.

4. *Ἀρκαδίαν* c. G (deleto *καρδίαν* ante *Ἀρκ.*) L coll A *(in Marcadiam montem)*: con *Ἀρικίαν* Zahn — *Ἀρκαδίαν*] Zahn l. c. p. 211—218 demonstrare conatus est, Hermam scripsisse *Ἀρικίαν*, et G. G. A. 1878 Nr. 2 provocavit ad Act. Petri et Pauli c. 20, ubi librarius codicis B pro *Ἀρικίαν* posuit *Ἀραβίαν*. Sed assentiri non possum. Testes unanimes *Ἀρκαδίαν* habent et contextus lectioni favet. Si enim Zahn recte coniecisset, auctor haud dubie *ἐπορευόμην* (cf. Vis. I c. 1, 3; II c. 1, 1) vel *ὑπῆγον* (cf. Vis. IV c. 1, 2) vel aliam similem vocem adhibuisset. Aricia enim haud ita procul ab urbe abest. Cum autem de terra remota loqui vellet, scripsit *ἀπήγαγε*, sc. *ὁ ἄγγελος*, i. e. *abripuit me*, et similia non solum apud alios (cf. V Esra 2, 33 sqq. et liber Henoch passim), sed etiam apud eum ipsum leguntur (Vis. I c. 1, 3; II c. 1, 1: *καὶ πάλιν με αἴρει πνεῦμα κτλ.*). Cf. etiam Dan. 12, 36 (Vulg. 14, 35). Apoc. 4, 1.

tem per angelum vides, per eundem spiritum. 3. Oportet vero te omnia accuratius a me discere. Propterea enim a glorioso angelo missus sum in domo tua habitare, ut omnia fortiter videas, nihil timens ut ante. 4. Et abduxit me in Arcadiam, in montem quendam habentem formam et similitudinem mammae, et posuit me in cacumine montis et ostendit mihi campum magnum et circa campum duodecim montes aliam atque aliam figuram habentes. 5. Primus erat niger sicut fuligo, secundus glaber, herbas non habens; tertius plenus spinis tribulisque; 6. quartus habens herbas semiaridas, quarum pars superior erat viridis, pars a radicibus proxima arida; quaedam autem herbae, cum sol incaluisset, aridae factae sunt. 7. Quintus mons habebat herbas virides et asper erat; sextus mons totus plenus erat scissuris, quarum aliae erant exiguae, aliae magnae; habebant autem scissurae herbas, herbae vero non valde floridae erant, sed potius velut marcidae. 8. Septimus mons habebat herbas hilares totusque mons erat fertilis et omne genus pecudum volucrumque pascebantur in monte illo; et quanto pecudes et aves vescebantur, herbae montis illius magis magisque crescebant. Octavus autem mons plenus erat fontibus, et omne genus creaturae Domini adaquabatur e fontibus montis illius. 9. Nonus mons nullam omnino aquam habebat

Cur autem in Arcadiam se abductum esse dixerit, vix explicari potest. Attamen notari dignum est, quod Harnack ex Pauly, Real-Encyklopaedie ed. sec. I 1425 sq., exscripsit, scilicet Arcadiam temporibus antiquissimis inprimis sanctam et diis propinquam habitam fuisse. — *ὄρος μαστῶδες*] Zahn l. c. p. 217 ad montem referri vult, qui ab Italis nunc vocatur *Monte Gentile*. Sed alii montes eandem vel similem formam habent, et *ὄρη μαστώδη* vel *μαστοειδῆ* ab aliis quoque commemorantur. Cf. Passow s. h. v.

5. *ἦν* c. L: *τό*, sed emendatum *τῷ* et suprascriptum *τὸ* G, om A — Montes, qui in hac Similitudine describuntur, sunt gentes, quibus evangelium praedicatum est. De tribus prioribus cf. c. 17—19.

6. *ἐπικεκαύκει* c. G (secundum Gh, secundum Tischendorf *-σει*): *ἐπικαύσῃ* Hg | *ἐγένοντο* c. L A cf. c. 21, 1; c. 22, 1: add *τὸ δὲ ὄρος τραχὺ λίαν ἦν, βοτάνας ἔχον ξηρὰς* G — Cf. c. 20. 21.

7. *μεμαραμμένας* em cf. Vis. III c. 11, 2: *-ασμέναι* G — Cf. c. 22. 23.

8. Cf. c. 24. 25.

9. *ὅλως — ὄρος* c. L[1] L[2] A: om G

τοὺς ἀνθρώπους. Τὸ δὲ δέκατον ὄρος] εἶχε δένδρα μέγιστα καὶ ὅλον κατάσκιον ἦν, καὶ ὑπὸ τὴν σκέπην τῶν δένδρων πρόβατα κατέκειντο ἀναπαυόμενα καὶ μαρυκώμενα. 10. Τὸ δὲ ἑνδέκατον ὄρος λίαν σύνδενδρον ἦν, καὶ τὰ δένδρα ἐκεῖνα κατάκαρπα ἦν, ἄλλοις καὶ ἄλλοις καρποῖς κεκοσμημένα, ἵνα ἰδών τις αὐτὰ ἐπιθυμήσῃ φαγεῖν ἐκ τῶν καρπῶν αὐτῶν. Τὸ δὲ δωδέκατον ὄρος ὅλον ἦν λευκόν, καὶ ἡ πρόσοψις αὐτοῦ ἱλαρὰ ἦν· καὶ εὐπρεπέστατον ἦν ἑαυτῷ τὸ ὄρος.

2. Εἰς μέσον δὲ τοῦ πεδίου ἔδειξε μοι πέτραν μεγάλην λευκὴν ἐκ τοῦ πεδίου ἀναβεβηκυῖαν. Ἡ δὲ πέτρα ὑψηλοτέρα ἦν τῶν ὀρέων, τετράγωνος, ὥστε δύνασθαι ὅλον τὸν κόσμον χωρῆσαι. 2. Παλαιὰ δὲ ἦν ἡ πέτρα ἐκείνη, πύλην ἐκκεκομμένην ἔχουσα· ὡς πρόσφατος δὲ ἐδόκει μοι εἶναι ἡ ἐκκόλαψις τῆς πύλης. Ἡ δὲ πύλη οὕτως ἔστιλβεν ὑπὲρ τὸν ἥλιον, ὥστε με θαυμάζειν ἐπὶ τῇ λαμπηδόνι τῆς πύλης. 3. Κύκλῳ δὲ τῆς πύλης ἑστήκεισαν παρθένοι δώδεκα. Αἱ οὖν δ' αἱ εἰς τὰς γωνίας ἑστηκυῖαι ἐνδοξότεραί μοι ἐδόκουν εἶναι· καὶ αἱ ἄλλαι δὲ ἔνδοξοι ἦσαν. Ἑστήκεισαν δὲ εἰς τὰ τέσσερα μέρη τῆς πύλης, ἀνὰ μέσον αὐτῶν ἀνὰ δύο παρθένοι. 4. Ἐνδεδυμέναι δὲ ἦσαν λινοῦς χιτῶνας καὶ περιεζωσμέναι εὐπρεπῶς, ἔξω τοὺς ὤμους ἔχουσαι τοὺς δεξιοὺς ὡς μέλλουσαι φορτίον τι βαστάζειν. Οὕτως ἕτοιμοι ἦσαν· λίαν γὰρ ἱλαραὶ ἦσαν καὶ πρόθυμοι. 5. Μετὰ τὸ ἰδεῖν με ταῦτα ἐθαύμαζον ἐν ἑαυτῷ, ὅτι μεγάλα καὶ ἔνδοξα πράγματα βλέπω. Καὶ πάλιν διηπόρουν ἐπὶ ταῖς παρθένοις, ὅτι τρυφεραὶ οὕτως οὖσαι ἀνδρείως ἑστήκεισαν ὡς μέλλουσαι ὅλον τὸν οὐρανὸν βαστάζειν. 6. Καὶ λέγει μοι ὁ ποιμήν· Τί ἐν σεαυτῷ διαλογίζῃ καὶ διαπορῇ καὶ σεαυτῷ λύπην ἐπισπᾶσαι; Ὅσα γὰρ οὐ δύνασαι νοῆσαι, μὴ ἐπιχείρει [ὡς] συνετὸς ὤν, ἀλλ' ἐρώτα τὸν κύριον, ἵνα λαβὼν σύνεσιν νοῇς αὐτά. 7. Τὰ ὀπίσω σου ἰδεῖν οὐ δύνῃ, τὰ δὲ ἔμπροσθέν σου βλέπεις. Ἃ οὖν ἰδεῖν οὐ δύνασαι, ἔασον καὶ μὴ στρέβλου σεαυτόν· ἃ δὲ βλέπεις, ἐκείνων κατακυρίευε καὶ περὶ τῶν λοι-

— Cf. c. 26. 27.
10. ἑαυτῷ c. L coll A (Gh) cf. Sim. II, 1: ἐν αὐτῷ G — Cf. c. 28. 29.
2, 1. ἀναβεβηκυῖαν em Hg coll L (A): -κέναι G — πέτρα] est filius Dei; cf. c. 12, 1.
2. παλαιὰ . . πρόσφατος] Cf. c. 12, 2. 3. Filius Dei cum omni creatura antiquior est tum in novissimis diebus apparuit.

et totus destitutus erat, et serpentes mortiferos habebat hominibus perniciosos. Decimus mons habebat arbores maximas totusque erat opacus, et sub umbra arborum oves iacebant requiescentes et ruminantes. 10. Undecimus mons densus arboribus erat, et arbores illae frugiferae erant, ornatae aliis atque aliis fructibus, ita ut, si quis viderit eas, desideret manducare de fructibus earum. Duodecimus mons totus erat candidus et aspectum habebat hilarem; et valde decorus sibi erat mons.

2. In medio autem campo ostendit mihi petram magnam candidam, quae de campo exsurrexerat. Petra altior erat montibus, quadrata, ita ut posset totum mundum capere. 2. Vetus autem erat petra illa, portam excisam habens; velut recens autem excisio portae mihi esse videbatur. Porta magis quam sol splendebat, ita ut de splendore portae mirarer. 3. Circa portam autem stabant duodecim virgines. Quatuor igitur, quae in angulis stabant, gloriosiores esse mihi videbantur; et aliae gloriosae erant. Stabant autem in quatuor portae partibus, et in medio earum binae virgines. 4. Indutae autem erant linteas tunicas ac decenter succinctae, nudatis humeris dextris velut onus aliquod portaturae. Sic paratae erant; valde enim hilares erant et promptae. 5. Quae cum vidissem, mirabar mecum, quod magnas et praeclaras res viderem. Et iterum non intellegebam, cur virgines tam tenerae fortiter starent velut totum caelum portaturae. 6. Et dicit mihi pastor: Quid intra te disputas et moveris et tibi tristitiam adquiris? Quaecumque enim non potes intellegere, noli temptare, quasi sis sapiens, sed roga Dominum, ut accipias sensum et intellegas ea. 7. Quae post te sunt, non potes videre; quae autem ante te sunt, vides. Quae igitur non potes videre, sine et noli te torquere; quae autem vides, eorum dominare et de reliquis noli esse curiosus;

3. *παρθ. δώδεκα*] Cf. c. 13. 15. Visio III c. 8. De iis, qui laudant locum, cf. c. 15, 1 not.
6. *δύνασαι* c. L A: *δυνήσῃ* G, supra notato *δύνασε* | *ὡσ* c. L: om G (A) | *σύνεσιν*: praem *τὴν* G, sed lineola subnotatum.
7. *ἔμβλεπε* c. L A: *ἔκβαλε* G | *οὖν* c. G A: *nunc* L

πῶν μὴ περιεργάζου· πάντα δέ σοι ἐγὼ δηλώσω, ὅσα ἐάν σοι δείξω. Ἔμβλεπε οὖν τοῖς λοιποῖς.

3. Εἶδον ἓξ ἄνδρας ἐληλυθότας ὑψηλοὺς καὶ ἐνδόξους καὶ ὁμοίους τῇ ἰδέᾳ· καὶ ἐκάλεσαν πλῆθός τι ἀνδρῶν. Κἀκεῖνοι δὲ οἱ ἐληλυθότες ὑψηλοὶ ἦσαν ἄνδρες καὶ καλοὶ καὶ δυνατοί· καὶ ἐκέλευσαν αὐτοὺς οἱ ἓξ ἄνδρες οἰκοδομεῖν ἐπάνω τῆς πέτρας [καὶ ἐπάνω τῆς πύλης] πύργον τινά. Ἦν δὲ θόρυβος τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων μέγας τῶν ἐληλυθότων οἰκοδομεῖν τὸν πύργον, ὧδε κἀκεῖσε περιτρεχόντων κύκλῳ τῆς πύλης· 2. αἱ δὲ παρθένοι, [αἳ] ἑστήκεισαν κύκλῳ τῆς πύλης, ἔλεγον τοῖς ἀνδράσι σπεύδειν τὸν πύργον οἰκοδομεῖσθαι· ἐκπεπετάκεισαν δὲ τὰς χεῖρας αἱ παρθένοι ὡς μέλλουσαί τι λαμβάνειν παρὰ τῶν ἀνδρῶν. 3. Οἱ δὲ ἓξ ἄνδρες ἐκέλευον ἐκ βυθοῦ τινὸς λίθους ἀναβαίνειν καὶ ὑπάγειν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου. Ἀνέβησαν δὲ λίθοι ι' τετράγωνοι λαμπροί, [μὴ] λελατομημένοι. 4. Οἱ δὲ ἓξ ἄνδρες ἐκάλουν τὰς παρθένους καὶ ἐκέλευσαν αὐτὰς τοὺς λίθους πάντας τοὺς μέλλοντας εἰς τὴν οἰκοδομὴν ὑπάγειν τοῦ πύργου βαστάζειν καὶ διαπορεύεσθαι διὰ τῆς πύλης καὶ ἐπιδιδόναι τοῖς ἀνδράσι τοῖς μέλλουσιν οἰκοδομεῖν τὸν πύργον. 5. Αἱ δὲ παρθένοι τοὺς δέκα λίθους τοὺς πρώτους τοὺς ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀναβάντας ἐπετίθουν ἀλλήλαις καὶ κατὰ ἕνα λίθον ἐβάσταζον ὁμοῦ.

4. Καθὼς δὲ ἐστάθησαν ὁμοῦ κύκλῳ τῆς πύλης, οὕτως ἐβάσταζον αἱ δοκοῦσαι δυναταὶ εἶναι καὶ ὑπὸ τὰς γωνίας τοῦ λίθου ὑποδεδυκυῖαι ἦσαν· αἱ δὲ ἄλλαι ἐκ τῶν πλευρῶν τοῦ λίθου ὑποδεδύκεισαν καὶ οὕτως ἐβάσταζον πάντας τοὺς λίθους· διὰ δὲ τῆς πύλης ἔφερον αὐτούς, καθὼς ἐκελεύσθησαν, καὶ ἐπεδίδουν τοῖς ἀνδράσιν εἰς τὸν πύργον· ἐκεῖνοι δὲ ἔχοντες τοὺς λίθους ᾠκοδόμουν. 2. Ἡ οἰκοδομὴ δὲ τοῦ πύργου ἐγένετο ἐπὶ τὴν πέτ-

3, 1. *κ. ἐπ. τ. πύλης* c. L[1] (qui *ἐπ. τ. πέτρας καὶ* om) L[2]: om G A — *ἓξ ἄνδρας*] sc. angelos filii Dei, ipsum circumstantes; cf. c. 12, 8. Etiam supra Vis. III c. 2, 5; c. 4, 1 sex angeli superiores nobis occurrerunt, et cum Hermas filiun Dei eundem habuisse videatur cum Michaele [illegible]elo (cf. Sim. VIII c. 1, 2 not.), numerum illum consulto ab eo electum fuisse conicere licet. Sex illi viri enim sunt archangeli (cf. Henoch 20, 2—7) et septimus, longe iis praestantior, est Michael vel filius Dei. De numero archangelorum cf. Tob. 12, 15. Apoc. 1, 4; 3, 1; 5, 6; 8, 2 etc. Cf. adnot. ad Sim. V c. 5. — *πλ. τι ἀνδρῶν*] Hi quoque

ραν τὴν μεγάλην καὶ ἐπάνω τῆς πύλης. Ἡρμόσθησαν [οὖν] οἱ [ι'] λίθοι ἐκεῖνοι [καὶ ἐνέπλησαν ὅλην τὴν πέτραν. Καὶ ἐγένοντο ἐκεῖνοι] θεμέλιον τῆς οἰκοδομῆς τοῦ πύργου· ἡ δὲ πέτρα καὶ ἡ πύλη ἦν βαστάζουσα ὅλον τὸν πύργον. 3. Μετὰ δὲ τοὺς ι' λίθους ἄλλοι ἀνέβησαν ἐκ τοῦ βυθοῦ κ[ε'] λίθοι· καὶ οὗτοι ἡρμόσθησαν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου, βασταζόμενοι ὑπὸ τῶν παρθένων καθὼς καὶ οἱ πρότερον. Μετὰ δὲ τούτους ἀνέβησαν λε'· καὶ οὗτοι ὁμοίως ἡρμόσθησαν εἰς τὸν πύργον. Μετὰ δὲ τούτους ἕτεροι ἀνέβησαν λίθοι μ'· καὶ οὗτοι πάντες ἐβλήθησαν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου· [ἐγένοντο οὖν στοῖχοι τέσσαρες ἐν τοῖς θεμελίοις τοῦ πύργου]. 4. Καὶ ἐπαύσαντο ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀναβαίνοντες· ἐπαύσαντο δὲ καὶ οἱ οἰκοδομοῦντες μικρόν. Καὶ πάλιν ἐπέταξαν οἱ ἓξ ἄνδρες τῷ πλήθει τοῦ ὄχλου ἐκ τῶν ὀρέων παραφέρειν λίθους εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου. 5. Παρεφέροντο οὖν ἐκ πάντων τῶν ὀρέων χρόαις ποικίλαις λελατομημένοι ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν καὶ ἐπεδίδοντο ταῖς παρθένοις· αἱ δὲ παρθένοι διέφερον αὐτοὺς διὰ τῆς πύλης καὶ ἐπεδίδουν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου. Καὶ ὅταν εἰς τὴν οἰκοδομὴν ἐτέθησαν οἱ λίθοι οἱ ποικίλοι, ὅμοιοι ἐγένοντο λευκοὶ καὶ τὰς χρόας τὰς ποικίλας ἤλλασσον. 6. Τινὲς δὲ λίθοι ἐπεδίδοντο ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν εἰς τὴν οἰκοδομὴν καὶ οὐκ ἐγίνοντο λαμπροί, ἀλλ' οἷοι ἐτέθησαν, τοιοῦτοι καὶ εὑρέθησαν· οὐ γὰρ ἦσαν ὑπὸ τῶν παρθένων ἐπιδεδομένοι οὐδὲ διὰ τῆς πύλης παρενηνεγμένοι· οὗτοι οὖν οἱ λίθοι ἀπρεπεῖς ἦσαν ἐν τῇ οἰκοδομῇ τοῦ πύργου. 7. Ἰδόντες δὲ οἱ ἓξ ἄνδρες τοὺς λίθους τοὺς ἀπρεπεῖς ἐν τῇ οἰκοδομῇ, ἐκέλευσαν αὐτοὺς ἀρθῆναι καὶ ἀπενεχθῆναι κάτω εἰς τὸν ἴδιον τόπον, ὅθεν ἠνέχθησαν. 8. [Καὶ] λέγουσι τοῖς ἀνδράσι τοῖς παρεκφέρουσι τοὺς λίθους· Ὅλως ὑμεῖς μὴ ἐπιδίδοτε εἰς τὴν οἰκοδομὴν λίθους· τίθετε δὲ αὐτοὺς παρὰ τὸν πύργον, ἵνα αἱ παρθένοι διὰ τῆς πύλης παρενέγ-

νοι c. A L[2] L[1]: om G — *θεμέλιον*] hic, ut ex sequentibus apparet, non est fundamentum proprie dictum, quod est petra seu Christus (cf. c. 14, 6), sed primum tabulatum supra fundamentum positum.

3. *κε'* c. L cf. c. 15, 4: *κ'* G, *quindecim* A | *ἐγένοντο — πύργου* c. L[1] L[2] coll A: om G — Cf. c. 15, 4. De generatione iustorum secunda et de prophetis et de apostolis ac doctoribus praedicationis filii Dei sermo est.

4. *ἐπαύσαντο* pr: add *lapides* L A — Cf. c. 5, 1. 2.

5. Lapides e montibus apportati

petram magnam et supra portam. Aptati sunt ergo decem illi lapides et impleverunt totam petram. Et facti sunt illi fundamentum aedificationis turris. Petra autem et porta erant sustinentes totam turrim. 3. Post decem autem illos lapides alii de profundo ascenderunt lapides viginti quinque; hi quoque aptati sunt in structuram turris, virginibus eos portantibus sicut et ante. Post hos ascenderunt triginta quinque; et hi similiter aptati sunt in turrim. Post hos alii ascenderunt lapides quadraginta; et hi omnes adiecti sunt in structuram turris; facti sunt ergo quatuor ordines in fundamentis turris. 4. Et desierunt lapides de profundo ascendere; desierunt paulisper etiam aedificantes. Et iterum sex illi viri imperaverunt multitudini populi, ut lapides e montibus afferrent ad aedificationem turris. 5. Ex omnibus igitur montibus lapides coloribus variis dolati a viris afferebantur et porrigebantur virginibus; virgines autem transferebant eos per portam porrigebantque in structuram turris. Et cum in structura positi essent lapides varii, consimiles facti sunt candidi et colores varios mutaverunt. 6. Quidam vero lapides porrigebantur a viris in aedificationem neque fiebant splendidi, sed quales positi sunt, tales etiam inventi sunt; non enim a virginibus porrecti erant nec per portam allati. Hi igitur lapides deformes erant in structura turris. 7. Ubi autem sex illi viri lapides deformes in aedificatione viderunt, iusserunt eos tolli et referri infra in locum suum, unde allati erant. 8. Et dicunt viris lapides afferentibus: Omnino vos lapides nolite porrigere ad aedificationem, sed ponite eos iuxta turrim, ut virgines eos per portam afferant porrigantque ad aedificationem. Nisi enim, inquiunt, per manus virginum istarum allati fuerint per portam, colores

et ad structuram turris adhibiti sunt electi post adventum Christi.

6. *ἀλλ' οἷοι* em Anger: *ἄλλοί οἳ* G, supra notato *ἀλλ' ὡς* ¦ *ὑπό*: *ἀπὸ* G — Cf. c. 5, 4; c. 12, 4; c. 13, 3. Explicationem horum lapidum Hermas non exhibet. Cf. Vis. III c. 6, 1.

7. *ἀπενεχθῆναι* c. L[1] (L[2]): *ἀπηχθῆναι* G, *reduci* A | *κάτω* om L A | *ἠνέχθησαν*: *ἠνεώχ.* G

8. *καὶ* c. L[1] A : om G, praem *translatique unumquemque deposuerunt* L[2] *ὅλως* c. L A: *ὅλους* (?) G | *φασὶν* pr: *φησὶν* G

κωσιν αὐτοὺς καὶ ἐπιδιδῶσιν εἰς τὴν οἰκοδομήν. Ἐὰν γάρ, φασίν, διὰ τῶν χειρῶν τῶν παρθένων τούτων μὴ παρενεχθῶσι διὰ τῆς πύλης, τὰς χρόας αὐτῶν ἀλλάξαι οὐ δύνανται· μὴ κοπιᾶτε οὖν, φασίν, εἰς μάτην.

5. Καὶ ἐτελέσθη τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἡ οἰκοδομή, οὐκ ἀπετελέσθη δὲ ὁ πύργος· ἔμελλε γὰρ πάλιν ἐποικοδομεῖσθαι· καὶ ἐγένετο ἀνοχὴ τῆς οἰκοδομῆς. Ἐκέλευσαν δὲ οἱ ἓξ ἄνδρες τοὺς οἰκοδομοῦντας ἀναχωρῆσαι μικρὸν πάντας καὶ ἀναπαυθῆναι· ταῖς δὲ παρθένοις ἐπέταξαν ἀπὸ τοῦ πύργου μὴ ἀναχωρῆσαι. Ἐδόκει δέ μοι τὰς παρθένους καταλελεῖφθαι τοῦ φυλάσσειν τὸν πύργον. 2. Μετὰ δὲ τὸ ἀναχωρῆσαι πάντας καὶ ἀναπαυθῆναι λέγω τῷ ποιμένι· Τί ὅτι, φημί, κύριε, οὐ συνετελέσθη ἡ οἰκοδομὴ τοῦ πύργου; Οὔπω, φησί, δύναται ἀποτελεσθῆναι ὁ πύργος, ἐὰν μὴ ἔλθῃ ὁ κύριος αὐτοῦ καὶ δοκιμάσῃ τὴν οἰκοδομὴν ταύτην, ἵνα, ἐάν τινες λίθοι σαπροὶ εὑρεθῶσιν, ἀλλάξῃ αὐτούς· πρὸς γὰρ τὸ ἐκείνου θέλημα οἰκοδομεῖται ὁ πύργος. 3. Ἤθελον, φημί, κύριε, τούτου τοῦ πύργου γνῶναι τί ἐστιν ἡ οἰκοδομὴ αὕτη, καὶ περὶ τῆς πέτρας καὶ πύλης καὶ τῶν ὀρέων καὶ τῶν παρθένων καὶ τῶν λίθων τῶν ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀναβεβηκότων καὶ μὴ λελατομημένων, ἀλλ᾽ οὕτως ἀπελθόντων εἰς τὴν οἰκοδομήν· 4. καὶ διατί πρῶτον εἰς τὰ θεμέλια ι′ λίθοι ἐτέθησαν, εἶτα κε′, εἶτα λε′, εἶτα μ′, καὶ περὶ τῶν λίθων τῶν ἀπεληλυθότων εἰς τὴν οἰκοδομὴν καὶ πάλιν ἠρμένων καὶ εἰς τόπον ἴδιον ἀποτεθειμένων· περὶ πάντων τούτων ἀνάπαυσον τὴν ψυχήν μου, κύριε, καὶ γνώρισόν μοι αὐτά. 5. Ἐάν, φησί, κενόσπουδος μὴ εὑρεθῇς, πάντα γνώσῃ· μετ᾽ ὀλίγας γὰρ ἡμέρας [ἐλευσόμεθα ἐνθάδε, καὶ τὰ λοιπὰ ὄψει τὰ ἐπερχόμενα τῷ πύργῳ τούτῳ καὶ πάσας τὰς παραβολὰς ἀκριβῶς γνώσῃ. 6. Καὶ μετ᾽ ὀλίγας ἡμέρας] ἤλθομεν εἰς τὸν τόπον, οὗ κεκαθίκαμεν, καὶ λέγει μοι· Ἄγωμεν πρὸς τὸν πύργον· ὁ γὰρ αὐθέντης τοῦ πύργου ἔρχεται κατανοῆσαι αὐτόν. Καὶ ἤλθομεν πρὸς τὸν πύργον· καὶ ὅλως οὐθεὶς ἦν πρὸς αὐτὸν εἰ μὴ αἱ παρθένοι μόναι. 7. Καὶ ἐπερωτᾷ ὁ ποιμὴν τὰς παρθένους, εἰ ἄρα παραγεγόνει ὁ δεσπότης τοῦ πύργου. Αἱ δὲ ἔφησαν μέλλειν αὐτὸν ἔρχεσθαι κατανοῆσαι τὴν οἰκοδομήν.

5, 1. *πάλιν*: *adhuc* A, *a se* L2, om supra notatum *παρὰ* G L1 | *πάντας* om L A 2. *καὶ ἀναπαυθῆναι* om L A | *πρός*: 3. *οὕτως ἀπελθόντων*: *sicut ascenderant, sic ierunt* L1 (L2), *tales qua-*

suos mutare non possunt; nolite ergo, inquiunt, frustra laborare.

5. Et finita est illo die aedificatio, sed turris non est consummata; futurum enim erat, ut iterum aedificaretur; et dilatatio aedificationis facta est. Iusserunt autem sex illi viri aedificantes recedere paulisper omnes et requiescere; virginibus vero imperaverunt, ne a turri discederent. Videbantur mihi virgines esse relictae, ut turrim custodirent. 2. Postquam autem omnes recesserunt et requieverunt, dico pastori: Quare, inquam, domine, non consummata est aedificatio turris? Nondum, inquit, turris consummari potest, nisi venerit dominus eius et probaverit aedificationem hanc, ut, si qui lapides inveniantur putridi, eos mutet; secundum enim illius voluntatem aedificatur turris. 3. Volebam, inquam, domine, cognoscere, quae sit aedificatio ista huius turris, et de petra et porta et montibus et virginibus et lapidibus, qui ascenderunt de profundo nec sunt circumcisi, sed ita ierunt in structuram; 4. et quare primum in fundamentis decem lapides positi sunt, deinde viginti quinque, deinde triginta quinque, deinde quadraginta, et de lapidibus, qui advenerunt in aedificationem et iterum tollebantur et in locum suum reponebantur; de his omnibus refice animam meam, domine, et demonstra mihi ea. 5. Si, inquit, curiosus non fueris inventus, omnia cognosces. Post paucos enim dies veniemus huc et videbis reliqua, quae futura sunt huic turri, et omnes similitudines diligenter cognosces. 6. Et venimus post paucos dies in locum, ubi sederamus, et dicit mihi: Eamus ad turrim; dominus enim turris venit, ut consideret eam. Et venimus ad turrim; et omnino nemo erat apud eam nisi virgines solae. 7. Et interrogat pastor virgines, an affuerit dominus turris. Illae autem dixerunt, eum venturum esse, ut consideret aedificationem.

les exstructi sunt A
4. *ι'* c. L A: *οἰ* G | *κε'* c. L: XV A, *κύριε* G | *λε'* c L: XXX A, *λι'* (?) G

5—6. *ἐλευσόμεθα* — *ἡμέρας* c. L[1] L[2] A: om G
7. *ἔρχεσθαι*: praem *continuo* L[1], *nunc* A

6. Καὶ ἰδοὺ μετὰ μικρὸν βλέπω παράταξιν πολλῶν ἀνδρῶν ἐρχομένων· καὶ εἰς τὸ μέσον ἀνήρ τις ὑψηλὸς τῷ μεγέθει, ὥστε τὸν πύργον ὑπερέχειν. 2. Καὶ οἱ ἓξ ἄνδρες οἱ εἰς τὴν οἰκοδομὴν [ἐφεστῶτες ἐκ δεξιῶν τε καὶ ἀριστερῶν περιεπάτησαν μετ' αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ εἰς τὴν οἰκοδομὴν] ἐργασάμενοι μετ' αὐτοῦ ἦσαν καὶ ἕτεροι πολλοὶ κύκλῳ αὐτοῦ ἔνδοξοι· αἱ δὲ παρθένοι αἱ τηροῦσαι τὸν πύργον προσδραμοῦσαι κατεφίλησαν αὐτὸν καὶ ἤρξαντο ἐγγὺς αὐτοῦ περιπατεῖν κύκλῳ τοῦ πύργου. 3. Κατενόει δὲ ὁ ἀνὴρ ἐκεῖνος τὴν οἰκοδομὴν ἀκριβῶς, ὥστε αὐτὸν καθ' ἕνα λίθον ψηλαφᾶν. Κρατῶν δέ τινα ῥάβδον τῇ χειρὶ κατὰ ἕνα λίθον τῶν ᾠκοδομημένων ἔτυπτε. 4. Καὶ ὅταν ἐπάτασσεν, ἐγένοντο αὐτῶν τινὲς μέλανες ὡσεὶ ἀσβόλη, τινὲς δὲ ἐψωριακότες, τινὲς δὲ σχισμὰς ἔχοντες, τινὲς δὲ κολοβοί, τινὲς δὲ οὔτε λευκοὶ οὔτε μέλανες, τινὲς δὲ τραχεῖς καὶ μὴ συμφωνοῦντες τοῖς ἑτέροις λίθοις, τινὲς δὲ σπίλους [πολλοὺς] ἔχοντες· αὗται ἦσαν αἱ ποικιλίαι τῶν λίθων τῶν σαπρῶν εὑρεθέντων εἰς τὴν οἰκοδομήν. 5. Ἐκέλευσεν οὖν πάντας τούτους ἐκ τοῦ πύργου μετενεχθῆναι καὶ τεθῆναι παρὰ τὸν πύργον καὶ ἑτέρους ἐνεχθῆναι λίθους καὶ ἐμβληθῆναι εἰς τὸν τόπον αὐτῶν. 6. [Καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν οἱ οἰκοδομοῦντες, ἐκ τίνος ὄρους θέλῃ ἐνεχθῆναι λίθους καὶ ἐμβληθῆναι εἰς τὸν τόπον αὐτῶν. Καὶ ἐκ μὲν τῶν ὀρέων οὐκ ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι, [ἐκ δέ τινος πεδίου ἐγγὺς ὄντος ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι]. 7. Καὶ ὠρύγη τὸ πεδίον, καὶ εὑρέθησαν λίθοι λαμπροὶ τετράγωνοι, τινὲς δὲ καὶ στρογγύλοι. Ὅσοι δέ ποτε ἦσαν λίθοι ἐν τῷ πεδίῳ ἐκείνῳ, πάντες ἠνέχθησαν καὶ διὰ τῆς πύλης ἐβαστάζοντο ὑπὸ τῶν παρθένων. 8. Καὶ ἐλατομήθησαν οἱ τετράγωνοι λίθοι καὶ ἐτέθησαν εἰς τὸν τόπον τῶν ἠρμένων· οἱ δὲ στρογγύλοι οὐκ ἐτέθησαν εἰς τὴν οἰκοδομήν, ὅτι σκληροὶ ἦσαν εἰς τὸ λατομηθῆναι αὐτούς, καὶ βραδέως ἐφαίνοντο περικοπῆναι. Ἐτέθησαν δὲ παρὰ τὸν πύργον, ὡς μελλόντων αὐτῶν λατομεῖσθαι καὶ τίθεσθαι εἰς τὴν οἰκοδομήν· λίαν γὰρ λαμπροὶ ἦσαν.

7. Ταῦτα οὖν συντελέσας ὁ ἀνὴρ ὁ ἔνδοξος καὶ κύριος ὅλου

6, 1. *ὥστε*: ὡς G — *ἀνήρ τ. ὑψηλός*] est filius Dei; cf. c. 12, 8. V Esra 2, 43: *et in medio eorum* (sc. turbae magnae collaudantium Dominum) ***erat iuvenis statura celsus, eminentior omnibus illis.***

2. *ἐφεστῶτες* — ***οἰκοδομήν*** c. AL¹ L²: om G | *ἤρξατο* G

3. *ἔτυπτε* c. L A: praem τρὶς G — Cf. Sim. VIII c. 1, 5.

6. Et ecce, paulo post video agmen virorum multorum venientium; et in medio vir quidam erat excelsus magnitudine, ita ut turrim superaret. 2. Et sex illi viri, qui aedificationi praefuerunt, et a dexteris et a sinistris ambulabant cum eo, et omnes, qui in turri operati fuerant, cum eo erant et alii multi circa eum gloriosi. Virgines autem, quae turrim custodiebant, accesserunt et osculatae sunt eum et coeperunt prope eum ambulare circa turrim. 3. Considerabat autem ille vir aedificationem diligenter, ita ut singulos lapides contrectaret. Manu tenens virgam quandam singulos lapides aedificatos feriebat. 4. Et cum percussisset, quidam eorum facti sunt nigri sicut fuligo, quidam scabiosi, alii scissuras habentes, alii curti, alii nec candidi nec nigri, alii asperi et cum ceteris lapidibus non convenientes, alii multas maculas habentes; hae erant varietates lapidum, qui in aedificatione putridi sunt reperti. 5. Iussit igitur hos omnes de turri auferri et poni iuxta turrim et alios afferri lapides ac poni in eorum loco. 6. Et interrogaverunt eum qui aedificabant, ex quo monte vellet afferri lapides et reponi in eorum loco. Et de montibus vetuit eos afferri, de campo quodam autem, qui prope erat, iussit afferri. 7. Et fossus est campus et inventi sunt lapides splendidi quadrati, quidam etiam rotundi. Quicumque autem lapides aliquando erant in campo illo, omnes allati sunt et per portam a virginibus portabantur. 8. Et lapides quadrati circumcisi et in loco eorum positi sunt, qui ablati erant; rotundi autem non sunt positi in structura, quoniam duri ad dolandum erant tardumque videbatur circumcidere eos. Positi sunt autem iuxta turrim, ut postea circumciderentur ac ponerentur in structura; valde enim splendidi erant.

7. Quae cum perfecisset vir gloriosus et dominus totius

4. *πολλοὺς* c. A coll L (*plurimas*): om G — Cf. c. 8.
5. *ἐμβληθῆναι*: *ἐκβλ.* G — Cf. c. 13, 6—9. Vis. III c. 5, 5; c. 6, 1. 2.
6. *καὶ — αὐτῶν* et *ἐκ δὲ — ἐνεχθῆναι* c. L[1] L[2] coll A: om G — *πεδίον*] Cf. c. 29, 4; c. 30, 1.

7. *ἐφαίνοντο περικοπῆναι* c. L[1] L[2] coll A (Hg): *ἐγένοντο* G, *ἐγένετο* Gh
7, 1. Cf. Sim. VIII c. 2, 5. — *ἀποβεβλημένους*] Vox minus accurata. Non omnes lapides, qui circa turrim iacebant, erant reprobati

τοῦ πύργου προσεκαλέσατο τὸν ποιμένα καὶ παρέδωκεν αὐτῷ τοὺς λίθους πάντας τοὺς παρὰ τὸν πύργον κειμένους, τοὺς ἀποβεβλημένους ἐκ τῆς οἰκοδομῆς, καὶ λέγει αὐτῷ· 2. Ἐπιμελῶς καθάρισον τοὺς λίθους πάντας καὶ θὲς αὐτοὺς εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου, τοὺς δυναμένους ἁρμόσαι τοῖς λοιποῖς· τοὺς δὲ μὴ ἁρμόζοντας ῥῖψον μακρὰν ἀπὸ τοῦ πύργου. 3. [Ταῦτα κελεύσας τῷ ποιμένι ἀπῄει ἀπὸ τοῦ πύργου] μετὰ πάντων, [μεθ'] ὧν ἐληλύθει· αἱ δὲ παρθένοι κύκλῳ τοῦ πύργου ἑστήκεισαν τηροῦσαι αὐτόν. 4. Λέγω τῷ ποιμένι· Πῶς οὗτοι οἱ λίθοι δύνανται εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου ἀπελθεῖν ἀποδεδοκιμασμένοι; Ἀποκριθείς μοι λέγει· Βλέπεις, φησί, τοὺς λίθους τούτους; Βλέπω, φημί, κύριε. Ἐγώ, φησί, τὸ πλεῖστον μέρος τῶν λίθων τούτων λατομήσω καὶ βαλῶ εἰς τὴν οἰκοδομήν, καὶ ἁρμόσουσι μετὰ τῶν λοιπῶν λίθων. 5. Πῶς, φημί, κύριε, δύνανται περικοπέντες τὸν αὐτὸν τόπον πληρῶσαι; Ἀποκριθεὶς λέγει μοι· Ὅσοι μικροὶ εὑρεθήσονται εἰς μέσην τὴν οἰκοδομὴν βληθήσονται, ὅσοι δὲ μείζονες, ἐξώτεροι τεθήσονται καὶ συγκρατήσουσιν αὐτούς. 6. Ταῦτά μοι λαλήσας λέγει μοι· Ἄγωμεν καὶ μετὰ ἡμέρας δύο ἔλθωμεν καὶ καθαρίσωμεν τοὺς λίθους τούτους καὶ βάλωμεν αὐτοὺς εἰς τὴν οἰκοδομήν· τὰ γὰρ κύκλῳ τοῦ πύργου πάντα καθαρισθῆναι δεῖ, μήποτε ὁ δεσπότης ἐξάπινα ἔλθῃ καὶ τὰ περὶ τὸν πύργον ῥυπαρὰ εὕρῃ καὶ προσοχθίσῃ, καὶ οὗτοι οἱ λίθοι οὐκ ἀπελεύσονται εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου κἀγὼ ἀμελὴς δόξω εἶναι παρὰ τῷ δεσπότῃ. 7. Καὶ μετὰ ἡμέρας δύο ἤλθομεν πρὸς τὸν πύργον καὶ λέγει μοι· Κατανοήσωμεν τοὺς λίθους πάντας καὶ ἴδωμεν τοὺς δυναμένους εἰς τὴν οἰκοδομὴν ἀπελθεῖν. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, κατανοήσωμεν.

8. Καὶ ἀρξάμενοι πρῶτον τοὺς μέλανας κατενοοῦμεν λίθους· καὶ οἷοι ἐκ τῆς οἰκοδομῆς ἐτέθησαν, τοιοῦτοι καὶ εὑρέθησαν· καὶ ἐκέλευσεν αὐτοὺς ὁ ποιμὴν ἐκ τοῦ πύργου μετενεχθῆναι καὶ χωρισθῆναι. 2. Εἶτα κατενόησε τοὺς ἐψωριακότας, καὶ λαβὼν ἐλατόμησε πολλοὺς ἐξ αὐτῶν καὶ ἐκέλευσε τὰς παρθένους ἆραι αὐτοὺς

sensu strictiori. Lapides de campo allati rotundi in structura nondum impositi erant; cf. c. 6, 8; c. 9, 1—4.

3. *ταυτα — πυργου* c. L A: om G | *μεθ'* add: om G Gh coll Mand. V, 7 (?)

4. *πῶς* c. L A: *πάλιν* G | *βλέπεις — κύριε* om L¹ | *πλεῖστον* c. G A: *πλεῖον* L | *βάλλω* G

turris, advocavit pastorem eique tradidit omnes lapides iuxta turrim iacentes, qui de structura reprobati erant, et dicit ei: 2. Diligenter munda lapides omnes et pone eos in structura turris, qui cum aliis convenire possunt; eos autem, qui non conveniunt, longe proice a turri. 3. Haec cum praecepisset pastori, abiit a turri cum omnibus, cum quibus venerat. Virgines autem circa turrim stabant custodientes eam. 4. Dico pastori: Quomodo hi lapides in aedificationem turris possunt redire, cum sint reprobati? Respondens mihi dicit: Videsne, inquit, hos lapides? Video, inquam, domine. Ego, inquit, maximam lapidum horum partem circumcidam et adiciam in structuram, et convenient cum reliquis lapidibus. 5. Quomodo, inquam, domine, circumcisi eundem possunt explere locum? Respondens dicit mihi: Quicumque parvi fuerint reperti, in mediam structuram adicientur, quicumque vero maiores, exteriores ponentur et continebunt eos. 6. Haec cum mihi locutus esset, ait mihi: Eamus et post duos dies veniamus ac mundemus hos lapides et adiciamus eos in structuram; quaecunque enim circa turrim sunt, ea oportet mundari, ne forte dominus subito veniat et ea, quae circa turrim sunt, immunda inveniat et irascatur, et hi lapides non eant in structuram turris et ego neglegens esse videar apud dominum. 7. Et post biduum venimus ad turrim et dicit mihi: Consideremus lapides omnes, et videamus eos, qui possint ire in structuram. Dico ei: Domine, consideremus.

8. Cumque coepissemus, primum nigros considerabamus lapides. Et quales de structura depositi sunt, tales etiam sunt reperti. Et iussit eos pastor a turri tolli ac seorsum reponi. 2. Deinde consideravit scabiosos, et accepit circumciditque multos ex iis et iussit virgines eos tollere et in structuram adicere. Et sustulerunt eos virgines et posuerunt in media turris struc-

5. *τὴν οἰκοδομὴν* em cf. c. 8, 4: *τῆς οἰκοδομῆς* G — *εἰς μέσην τ. οἰκ.*] Cf. c. 8, 2—6. — *ἐξώτεροι*] Cf. c. 8, 5. 7.

6. *περὶ* c. L (A): *παρὰ* G | *προσοχθίσῃ* c. L A: *προσυχθίσω* G | *τῷ δεσπ.*: *τοῦ δεσπότου* G

8, 1. *κατενοοῦμεν* c. L coll A: *καταν.* G

καὶ βαλεῖν εἰς τὴν οἰκοδομήν· καὶ ἦραν αὐτοὺς αἱ παρθένοι καὶ ἔθηκαν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου μέσην. Τοὺς δὲ λοιποὺς ἐκέλευσε μετὰ τῶν μελάνων τεθῆναι· καὶ γὰρ καὶ οὗτοι μέλανες εὑρέθησαν. 3. Εἶτα κατενόει τοὺς τὰς σχισμὰς ἔχοντας· καὶ ἐκ τούτων πολλοὺς ἐλατόμησε καὶ ἐκέλευσε διὰ τῶν παρθένων εἰς τὴν οἰκοδομὴν ἀπενεχθῆναι· ἐξώτεροι δὲ ἐτέθησαν, ὅτι ὑγιέστεροι εὑρέθησαν. Οἱ δὲ λοιποὶ διὰ τὸ πλῆθος τῶν σχισμάτων οὐκ ἠδυνήθησαν λατομηθῆναι· διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν ἀπεβλήθησαν ἀπὸ τῆς οἰκοδομῆς τοῦ πύργου. 4. Εἶτα κατενόει τοὺς κολοβούς, καὶ εὑρέθησαν πολλοὶ ἐν αὐτοῖς μέλανες, τινὲς δὲ σχισμὰς μεγάλας πεποιηκότες· καὶ ἐκέλευσε καὶ τούτους τεθῆναι μετὰ τῶν ἀποβεβλημένων. Τοὺς δὲ περισσεύοντας αὐτῶν καθαρίσας καὶ λατομήσας ἐκέλευσεν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τεθῆναι. Αἱ δὲ παρθένοι αὐτοὺς ἄρασαι εἰς μέσην τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου ἥρμοσαν· ἀσθενέστεροι γὰρ ἦσαν. 5. Εἶτα κατενόει τοὺς ἡμίσεις λευκούς, ἡμίσεις δὲ μέλανας· καὶ πολλοὶ ἐξ αὐτῶν εὑρέθησαν μέλανες· ἐκέλευσε δὲ καὶ τούτους ἀρθῆναι [καὶ τεθῆναι] μετὰ τῶν ἀποβεβλημένων. Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἤρθησαν ὑπὸ τῶν παρθένων· λευκοὶ γὰρ ὄντες ἡρμόσθησαν ὑπ' αὐτῶν τῶν παρθένων εἰς τὴν οἰκοδομήν· ἐξώτεροι δὲ ἐτέθησαν, ὅτι ὑγιεῖς εὑρέθησαν, ὥστε δύνασθαι αὐτοὺς κρατεῖν τοὺς εἰς τὸ μέσον τεθέντας· ὅλως γὰρ ἐξ αὐτῶν οὐδὲν ἐκολοβώθη. 6. Εἶτα κατενόει τοὺς τραχεῖς καὶ σκληρούς, καὶ ὀλίγοι ἐξ αὐτῶν ἀπεβλήθησαν διὰ τὸ μὴ δύνασθαι λατομηθῆναι· σκληροὶ γὰρ λίαν εὑρέθησαν. Οἱ δὲ λοιποὶ αὐτῶν ἐλατομήθησαν καὶ ἤρθησαν ὑπὸ τῶν παρθένων καὶ εἰς μέσην τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου ἡρμόσθησαν· ἀσθενέστεροι γὰρ ἦσαν. 7. Εἶτα κατενόει τοὺς ἔχοντας τοὺς σπίλους, καὶ ἐκ τούτων ἐλάχιστοι ἐμελάνησαν καὶ ἀπεβλήθησαν πρὸς τοὺς λοιπούς. Οἱ δὲ περισσεύοντες λαμπροὶ καὶ ὑγιεῖς εὑρέθησαν· καὶ οὗτοι ἡρμόσθησαν ὑπὸ τῶν παρθένων εἰς τὴν οἰκοδομήν· ἐξώτεροι δὲ ἐτέθησαν διὰ τὴν ἰσχυρότητα αὐτῶν.

9. Εἶτα ἦλθε κατανοῆσαι τοὺς λευκοὺς καὶ στρογγύλους λί-

5. *ἀρθ. κ. τεθῆναι* c. L[2]: *ἀρθῆναι* G, *τεθῆναι (transferri)* L[1] (A) | *πάντες ἤρθησαν — τ. οἰκοδομὴν* c. G: *toti candidi inventi sunt; et hi sublati sunt a virginibus et aptati in eadem turri* L[1], similiter L[2] A | *τ. παρθένων* post *ὑπ' αὐτῶν* fortasse delendum est.

tura. Reliquos autem iussit cum nigris reponi; etenim hi quoque nigri reperti sunt. 3. Deinde consideravit eos, qui scissuras habebant; et ex his multos circumcidit iussitque per virgines in structuram auferri; foris autem positi sunt, quoniam saniores inventi sunt. Reliqui vero propter multitudinem scissurarum non poterant circumcidi; propter hanc ergo causam proiecti sunt ab aedificatione turris. 4. Deinde considerabat rotundos, et multi ex iis inventi sunt nigri, alii autem scissuras magnas habentes; et iussit hos quoque reponi cum reprobatis. Reliquos autem eorum mundatos ac circumcisos iussit in structura poni; virgines autem eos sustulerunt et in mediam turris structuram aptaverunt; infirmiores enim erant. 5. Deinde considerabat semicandidos et seminigros; et multi ex iis reperti sunt nigri. Iussit vero hos quoque tolli ac poni cum reiectis. Reliqui autem omnes sublati sunt a virginibus; cum enim candidi essent, ab ipsis virginibus aptati sunt in structuram; exteriores autem positi sunt, quia integri sunt reperti, ita ut eos possent continere, qui in medio iacebant; omnino enim nihil ex iis recisum est. 6. Deinde considerabat asperos et duros, et pauci ex iis reiecti sunt, quia non poterant circumcidi; valde enim duri reperti sunt. Reliqui autem eorum circumcisi sunt et sublati a virginibus et mediam in structuram turris aptati; infirmiores enim erant. 7. Deinde considerabat eos, qui maculas habebant, et ex his paucissimi evaserunt nigri et reiecti sunt ad reliquos. Ceteri vero splendidi et integri reperti sunt, et hi a virginibus in structuram aptabantur; exteriores autem ponebantur propter firmitatem suam.

9. Deinde venit, ut consideraret lapides albos et rotundos,

6. *ὑπό*: *ἀπὸ* G

7. *ἐμελάνησαν* em Gh: *ἐμελάνωσαν* G, *-νισαν* Hg, cf. c. 30, 2 | *κ. ὑγιεῖς* c. L (*et integri* cf. v. 5): *κ. ἐκεῖνοι* G, om A

9, 1. *λευκοὺς κ. στρογγ.*] Cf. c. 6, 6—8.

θους καὶ λέγει μοι· Τί ποιοῦμεν περὶ τούτων τῶν λίθων; Τί, φημί, ἐγὼ γινώσκω, κύριε; Οὐδὲν οὖν ἐπινοεῖς περὶ αὐτῶν; 2. Ἐγώ, φημί, κύριε, ταύτην τὴν τέχνην οὐκ ἔχω, οὐδὲ λατόμος εἰμὶ οὐδὲ δύναμαι νοῆσαί [τι]. Οὐ βλέπεις αὐτούς, φησί, λίαν στρογγύλους ὄντας; Καὶ ἐὰν αὐτοὺς θελήσω τετραγώνους ποιῆσαι, πολὺ δεῖ ἀπ' αὐτῶν ἀποκοπῆναι· δεῖ δὲ ἐξ αὐτῶν ἐξ ἀνάγκης τινὰς εἰς τὴν οἰκοδομὴν τεθῆναι. 3. Εἰ οὖν, φημί, κύριε, ἀνάγκη ἐστί, τί σεαυτὸν βασανίζεις καὶ οὐκ ἐκλέγῃ εἰς τὴν οἰκοδομὴν οὓς θέλεις καὶ ἁρμόζεις εἰς αὐτήν; Ἐξελέξατο ἐξ αὐτῶν τοὺς μείζονας καὶ λαμπροὺς καὶ ἐλατόμησεν αὐτούς· αἱ δὲ παρθένοι ἄρασαι ἥρμοσαν εἰς τὰ ἐξώτερα μέρη τῆς οἰκοδομῆς. 4. Οἱ δὲ λοιποὶ οἱ περισσεύσαντες ἤρθησαν καὶ ἀπετέθησαν εἰς τὸ πεδίον, ὅθεν ἠνέχθησαν· οὐκ ἀπεβλήθησαν δέ, ὅτι, φησί, λείπει τῷ πύργῳ ἔτι μικρὸν οἰκοδομηθῆναι· πάντως δὲ θέλει ὁ δεσπότης τοῦ πύργου τούτους ἁρμοσθῆναι τοὺς λίθους εἰς τὴν οἰκοδομήν, ὅτι λαμπροί εἰσι λίαν. 5. Ἐκλήθησαν δὲ γυναῖκες δώδεκα, εὐειδέσταται τῷ χαρακτῆρι, μέλανα ἐνδεδυμέναι, [περιεζωσμέναι καὶ ἔξω τοὺς ὤμους ἔχουσαι] καὶ τὰς τρίχας λελυμέναι· ἐδοκοῦσαν δέ μοι αἱ γυναῖκες αὗται ἄγριαι εἶναι. Ἐκέλευσε δὲ αὐτὰς ὁ ποιμὴν ἆραι τοὺς λίθους τοὺς ἀποβεβλημένους ἐκ τῆς οἰκοδομῆς καὶ ἀπενεγκεῖν αὐτοὺς εἰς τὰ ὄρη, ὅθεν καὶ ἠνέχθησαν. 6. Αἱ δὲ ἱλαραὶ ἦραν καὶ ἀπήνεγκαν πάντας τοὺς λίθους καὶ ἔθηκαν, ὅθεν ἐλήφθησαν. Καὶ μετὰ τὸ ἀρθῆναι πάντας τοὺς λίθους καὶ μηκέτι κεῖσθαι λίθον κύκλῳ τοῦ πύργου, λέγει μοι ὁ ποιμήν· Κυκλώσωμεν τὸν πύργον καὶ ἴδωμεν, μή τι ἐλάττωμά ἐστιν ἐν αὐτῷ. Καὶ ἐκύκλωσα ἐγὼ μετ' αὐτοῦ. 7. Ἰδὼν δὲ ὁ ποιμὴν τὸν πύργον εὐπρεπῆ ὄντα τῇ οἰκοδομῇ λίαν ἱλαρὸς ἦν· ὁ γὰρ πύργος οὕτως ἦν ᾠκοδομημένος, ὥστε με ἰδόντα ἐπιθυμεῖν τὴν οἰκοδομὴν αὐτοῦ· οὕτω γὰρ ἦν ᾠκοδομημένος, ὡσὰν ἐξ ἑνὸς λίθου, μὴ ἔχων μίαν ἁρμογὴν ἐν ἑαυτῷ. Ἐφαίνετο δὲ ὁ λίθος ὡς ἐκ τῆς πέτρας ἐκκεκολαμμένος· μονόλιθος γάρ μοι ἐδόκει εἶναι.

2. *τι* c. L coll A: om G — *ἐξ ἀνάγκης*] Cf. v. 4; c. 31, 2.
3. *οὖν* c. L[1]: *οὗ* G, om L[2] A | *ἐξελέξατο* c. G: praem *et* L[1], om plura L[2] A
4. *πύργῳ* c. L A: *μικρῷ* G | *πάντως*: *πάντας* (?) G | *τούτους* c. G L[1]: *τοῦτον* L[2] A — *πάντως*] Interpretes latini veteres verterunt *forsitan* (cf. Sim. VII, 4: *fortasse*). Respicienti v. 2 et 3 mihi vertendum esse videtur *omnino* vel ***prorsus***.

et dicit mihi: Quid faciemus de his lapidibus? Quid, inquam, ego intellego, domine? Nihil ergo excogitas de his? 2. Ego, inquam, domine, hanc artem non habeo, nec lapidarius sum nec possum intellegere quidquam. Nonne vides, inquit, eos valde rotundos esse? Et si eos quadratos reddere voluero, multum ab iis recidendum est; necesse est autem aliquos ex iis in structura poni. 3. Quodsi, inquam, domine, necesse est, quid te torques neque eos in aedificationem eligis, quos vis, et aptas in eam? Elegit ex iis maiores ac splendidos et circumcidit eos; virgines autem sustulerunt eos aptaveruntque in partes turris exteriores. 4. Reliqui vero, qui superfuerunt, sublati et repositi sunt in campum, unde sumpti erant; neque vero reiecti sunt, quoniam, inquit, modicum adhuc deest ad aedificationem turris; dominus autem turris omnino hos lapides vult in structuram aptari, quia valde splendidi sunt. 5. Vocatae sunt autem duodecim mulieres, speciosissimae figura, nigra veste indutae, succinctae et humeros nudatos habentes et capillos solutos. Videbantur autem mihi hae mulieres agrestes esse. Iussit eas pastor tollere lapides de structura reiectos et auferre eos in montes, unde allati erant. 6. Hae autem gaudentes sustulerunt et abstulerunt omnes lapides ibique posuerunt, unde sumpti erant. Et cum omnes lapides sublati essent neque ullus circa turrim iaceret, dicit mihi pastor: Circumeamus turrim et videamus, ne aliquid desit in ea. Et circumivi ego cum eo. 7. Pastor autem cum videret turrim decoram esse, valde hilaris erat; turris enim ita aedificata erat, ut ego videns concupiscerem structuram eius; ita enim aedificata erat, velut ex uno lapide, non habens commissuram in se. Videbatur autem lapis quasi ex petra exsculptus; namque monolitha mihi esse videbatur.

5. *περιεζωσμέναι — ἔχουσαι* c. L[1] A (L[2]) cf. c. 2, 4: om G — Mulieres istae sunt spiritus maligni (c. 18, 3, cf. c. 13, 8) vel vitia (c. 15, 3).
6. *ὁ ποιμὴν* om L | *ἐκύκλωσα*: *-σαν* G

7. *ἐκκεκολαμμένος* c. L: *ἐγκ.* G, *aedificata* A — *ἐξ ἑνὸς λίθου*] Cf. c. 13, 5. Vis. III c. 2, 6. Laudat hunc locum Origenes in Oseam ed. Bened. III 439.

10. Κἀγὼ περιπατῶν μετ' αὐτοῦ ἱλαρὸς ἤμην τοιαῦτα ἀγαθὰ βλέπων. Λέγει δέ μοι ὁ ποιμήν· Ὕπαγε καὶ φέρε ἄσβεστον καὶ ὄστρακον λεπτόν, ἵνα τοὺς τύπους τῶν λίθων τῶν ἠρμένων καὶ εἰς τὴν οἰκοδομὴν βεβλημένων ἀναπληρώσω· δεῖ γὰρ τοῦ πύργου τὰ κύκλῳ πάντα ὁμαλὰ γενέσθαι. 2. Καὶ ἐποίησα, καθὼς ἐκέλευσε, καὶ ἤνεγκα πρὸς αὐτόν. Ὑπηρέτει μοι, φησί, καὶ ἐγγὺς τὸ ἔργον τελεσθήσεται. Ἐπλήρωσεν οὖν τοὺς τύπους τῶν λίθων τῶν εἰς τὴν οἰκοδομὴν ἀπεληλυθότων καὶ ἐκέλευσε σαρωθῆναι τὰ κύκλῳ τοῦ πύργου καὶ καθαρὰ γενέσθαι· 3. αἱ δὲ παρθένοι λαβοῦσαι σάρους ἐσάρωσαν καὶ πάντα τὰ κό[πρια] ἦραν ἐκ τοῦ πύργου καὶ ἔρραναν ὕδωρ, καὶ ἐγένετο ὁ τόπος ἱλαρὸς καὶ εὐπρεπέστατος τοῦ πύργου. 4. Λέγει μοι ὁ ποιμήν· Πάντα, φησί, κεκάθα[ρται]· ἐὰν ἔλθῃ ὁ κύριος ἐπισκέψασθαι τὸν πύργον, οὐκ ἔχει ἡμῶν οὐδὲν μέμψασθαι. Ταῦτα εἰπὼν ἤθελεν ὑπάγειν· 5. ἐγὼ δὲ ἐπελαβόμην αὐτοῦ τῆς πήρας καὶ ἠρξάμην αὐτὸν ὁρκίζειν κατὰ τοῦ κυρίου, ἵνα μοι ἐπιλύσῃ, ἃ ἔδειξέ μοι. Λέγει μοι· Μικρὸν ἔχω ἀκαιρεθῆναι καὶ πάντα σοι ἐπιλύσω· ἔκδεξαί με ὧδε, ἕως ἔρχομαι. 6. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, μόνος ὢν ὧδε τί ποιήσω; Οὐκ εἶ, φησί, μόνος· αἱ γὰρ παρθένοι αὗται μετὰ σοῦ εἰσί. Παράδος οὖν, φημί, αὐταῖς με. Προσκαλεῖται αὐτὰς ὁ ποιμὴν καὶ λέγει αὐταῖς· Παρατίθεμαι ὑμῖν τοῦτον, ἕως ἔρχομαι· καὶ ἀπῆλθεν. 7. Ἐγὼ δὲ ἤμην μόνος μετὰ τῶν παρθένων· ἦσαν δὲ ἱλαρώτεραι καὶ πρὸς ἐμὲ εὖ εἶχον· μάλιστα δὲ αἱ δ' αἱ ἐνδοξότεραι αὐτῶν.

11. Λέγουσί μοι αἱ παρθένοι· Σήμερον ὁ ποιμὴν ὧδε οὐκ

10, 1. *ἠρμένων καὶ* c. L A: *ἡρμοσμένων* G ponens *καὶ* ante *βεβλημένων*
2. *φησὶ* om G, add Simonides | *τελεσθήσεται*: *τελευθ*. G notato *σα* supra *τε*
3. *σάρους* c. L A: *σάρον* G | *κόπρια*: *κό[μματα]* G | *ἔρραναν*: *ἔφεραν* G
5. *ἀκαιρεθῆναι* c. G L[2] *(pusillum habeo occupationis)* L[1]: *ἀναπαυθῆναι* editores praeter Gh c. A *(cum paulum requievero)*
6. *φημί*: *φησὶν* G
11. Hermam hic de more cum **subintroductis** vivendi verba facere putavit H. Cf. ed. IV ad h. l. Proleg. p. XCVI. Contradixerunt Gaâb (Der Hirte d. H. p. 56—59), **Zahn** l. c. p. 179—181, I. Ch. Mayer (Die Schriften der apostol. Väter p. 265 sq.), Harnack ad h. l. Hic quidem non vult negare, ea, quae Hermas his versibus narraverit, licet allegorice, licet de mulieribus castis et puris, castum scriptoris animum suspectum

10. Et ego cum eo ambulans hilaris eram, eiusmodi bona videns. Pastor autem dicit mihi: Vade et adfer calcem et testam minutam, ut formas expleam lapidum, qui sublati et in structuram repositi sunt; quae enim circa turrim sunt, omnia aequari debent. 2. Et feci, sicut iussit, et attuli ad eum. Ministra mihi, inquit, et cito opus perficietur. Implevit ergo formas lapidum, qui in structuram abierunt, et iussit locum circa turrim everri et mundum fieri. 3. Virgines autem acceptis scopis scopaverunt et omnia stercora sustulerunt de turri et sparserunt aquam, et locus turris evasit hilaris et decorus. 4. Dicit mihi pastor: Omnia, inquit, mundata sunt; si venerit Dominus visitare turrim, nihil habet, de nobis queri. Haec cum dixisset, voluit abire. 5. Ego autem apprehendi peram eius et coepi eum rogare per Dominum, ut explicaret mihi, quae mihi ostenderat. Ait mihi: Pusillum temporis non vaco et omnia solvam tibi; exspecta me hic, dum venio. 6. Dico ei: Domine, quid hic solus faciam? Non, inquit, solus es; virgines enim istae tecum sunt. Et dixi: Trade ergo me iis. Pastor eas advocat iisque dicit: Commendo vobis hunc, donec venio; et discessit. 7. Ego ergo solus eram cum virginibus; illae autem hilares ac benignae mihi erant, praecipue quatuor illae ex iis, quae gloriosiores erant.

11. Dicunt mihi virgines: Hodie pastor huc non venit.

facere (cf. Vis. I c. 1, 2; III c. 8, 2), et quaerit, cur Hermas κοιμηθήσῃ illud v. 3, cur ἀγαπᾶν, καταφιλεῖν v. 3. 4 scripserit. Sed verisimile putat, morem cum subintroductis vivendi ante saeculum tertium non esse institutum. Mihi autem ex iis, quae apud Tertull. de ieiun. c. 17 et de virg. vel. c. 14, apud Cyprianum de hab. virg. c. 19 et ep. 4 leguntur, apparere videtur, morem illum iam saeculo secundo invaluisse, eamque ob causam haud prorsus negaverim, Hermam eum respexisse. Disertis quidem verbis inde a tertio demum saeculo moris fit mentio. Cf. Cypr. ep. 4 c. 2. Euseb. h. e. VII c. 30, 12. Pseudo-Clem. de virg. I c. 10; II c. 1—6. Pseudo-Cypr. de singular. cleric. Concil. Illiber. c. 27; Ancyr. c. 19; Nicaen. c. 3. Sed cum eodem tempore ob malos fructus, quos protulerat, iam interdicatur, eum iam ante saeculum tertium exortum esse coniecerim.

1. μ. ὀψέ, φασίν c. L A: μ. ὅτου,

ἔρχεται. Τί οὖν, φημί, ποιήσω ἐγώ; Μέχρις ὀψέ, φασίν, περίμεινον αὐτόν· καὶ ἐὰν ἔλθῃ, λαλήσει μετὰ σοῦ, ἐὰν δὲ μὴ ἔλθῃ, μενεῖς μεθ' ἡμῶν ὧδε, ἕως ἔρχεται. 2. Λέγω αὐταῖς· Ἐκδέξομαι αὐτὸν ἕως ὀψέ· ἐὰν δὲ μὴ ἔλθῃ, ἀπελεύσομαι εἰς τὸν οἶκον καὶ πρωῒ ἐπανήξω. Αἱ δὲ ἀποκριθεῖσαι λέγουσί μοι· Ἡμῖν παρεδόθης· οὐ δύνασαι ἀφ' ἡμῶν ἀναχωρῆσαι. 3. Ποῦ οὖν, φημί, μενῶ; Μεθ' ἡμῶν, φασί, κοιμηθήσῃ ὡς ἀδελφός, καὶ οὐχ ὡς ἀνήρ· ἡμέτερος γὰρ ἀδελφὸς εἶ, καὶ τοῦ λοιποῦ μέλλομεν μετὰ σοῦ κατοικεῖν· λίαν γάρ σε ἀγαπῶμεν. Ἐγὼ δὲ ᾐσχυνόμην μετ' αὐτῶν μένειν. 4. Καὶ ἡ δοκοῦσα πρώτη αὐτῶν εἶναι ἤρξατό με καταφιλεῖν· [καὶ αἱ ἄλλαι δὲ ἰδοῦσαι αὐτὴν καταφιλοῦσάν με, καὶ αὐταὶ ἤρξαντό με καταφιλεῖν] καὶ περιάγειν κύκλῳ τοῦ πύργου καὶ παίζειν μετ' ἐμοῦ. 5. Κἀγὼ ὡσεὶ νεώτερος ἐγεγόνειν καὶ ἠρξάμην καὶ αὐτὸς παίζεν μετ' αὐτῶν· αἱ μὲν γὰρ ἐχόρευον, αἱ δὲ ὠρχοῦντο, αἱ δὲ ᾖδον· ἐγὼ δὲ σιγὴν ἔχων μετ' αὐτῶν κύκλῳ τοῦ πύργου περιεπάτουν καὶ ἱλαρὸς ἤμην μετ' αὐτῶν. 6. Ὀψίας δὲ γενομένης ἤθελον εἰς τὸν οἶκον ὑπάγειν· αἱ δὲ οὐκ ἀφῆκαν, ἀλλὰ κατέσχον με. Καὶ ἔμεινα μετ' αὐτῶν τὴν νύκτα καὶ ἐκοιμήθην παρὰ τὸν πύργον. 7. Ἔστρωσαν δὲ αἱ παρθένοι τοὺς λινοῦς χιτῶνας ἑαυτῶν χαμαὶ καὶ ἐμὲ ἀνέκλιναν εἰς τὸ μέσον αὐτῶν, καὶ οὐδὲν ὅλως ἐποίουν εἰ μὴ προσηύχοντο· κἀγὼ μετ' αὐτῶν ἀδιαλείπτως προσηυχόμην καὶ οὐκ ἔλασσον ἐκείνων. Καὶ ἔχαιρον αἱ παρθένοι οὕτω μου προσευχομένου. Καὶ ἔμεινα ἐκεῖ μέχρι τῆς αὔριον ἕως ὥρας δευτέρας μετὰ τῶν παρθένων. 8. Εἶτα παρῆν ὁ ποιμὴν καὶ λέγει ταῖς παρθένοις· Μή τινα αὐτῷ ὕβριν πεποιήκατε; Ἐρώτα, φασίν, αὐτόν. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, εὐφράνθην μετ' αὐτῶν μείνας. Τί, φησίν, ἐδείπνησας; Ἐδείπνησα, φημί, κύριε, ῥήματα κυρίου ὅλην τὴν νύκτα. Καλῶς, φησίν, ἔλαβόν σε; Ναί, φημί, κύριε. 9. Νῦν, φησί, τί θέλεις πρῶτον ἀκοῦσαι; Καθώς, φημί, κύριε, ἀπ' ἀρχῆς ἔδειξας· ἐρωτῶ σε, κύριε, ἵνα, καθὼς ἄν σε ἐπερωτήσω, οὕτω μοι καὶ δηλώσῃς. Καθὼς βούλει, φησίν, οὕτω σοι καὶ ἐπιλύσω καὶ οὐδὲν ὅλως ἀποκρύψω ἀπὸ σοῦ.

φασίν, ἔλθῃ G | *λαλήσει*: praem *forsitan* L[1], *utique* L[2] (*πάντως*?) | *μή*: *μοι* G

3. *ὡς ἀδελφός*] Cf. Vis. I c. 1, 1; II c. 2, 3; c. 3, 1 not.

4. *κ. αἱ ἄλλαι — καταφιλεῖν* c. A L: om G — *πρώτη*] sc. Fides, cf. c. 15, 2.

6. *καὶ ἐκοιμήθην* om L A

7. *προσηύχοντο*] Nonnullos priscos

Quid igitur, inquam, ego faciam? Usque in vesperam, inquiunt, exspecta eum; et si venerit, loquetur tecum; si non venerit, manebis nobiscum hic, dum venerit. 2. Dico iis: Exspectabo eum usque ad vesperam; si non venerit, domum ibo et revertar mane. Illae autem respondentes dicunt mihi: Nobis traditus es; non potes a nobis recedere. Ubi igitur, inquam, manebo? Nobiscum, inquiunt, dormies sicut frater, non sicut maritus; frater enim noster es et deinceps tecum habitaturae sumus; valde enim te diligimus. Ego autem erubescebam cum iis manere. 4. Illa vero, quae prima inter eas esse videbatur, coepit me osculari; ceterae quoque cum viderent eam me osculari, et ipsae coeperunt me osculari et ducere circa turrim et ludere mecum. 5. Et ego quasi iuvenior factus sum et coepi ipse quoque cum iis ludere. Aliae enim choros ducebant, aliae saltabant, aliae cantabant; ego autem silentium tenens cum iis circa turrim ambulabam et hilaris eram cum iis. 6. Vespera autem facta volebam domum ire; illae autem non dimiserunt, sed retinuerunt me. Et mansi cum iis illa nocte et dormivi iuxta turrim. 7. Straverunt autem virgines in terra tunicas suas lineas et me in medio collocaverunt, nec omnino quidquam faciebant nisi quod orabant; et ego cum iis sine intermissione orabam neque minus quam illae. Et gaudebant virgines, quod sic orabam. Et mansi ibi cum virginibus usque ad diem posterum ad horam secundam. 8. Deinde venit pastor et dicit virginibus: Numquid iniuriam ei fecistis aliquam? Interroga, inquiunt, ipsum. Dico ei: Domine, laetatus sum, quod mansi cum iis. Quid, inquit, cenasti? Cenavi, inquam, domine, per totam noctem verba Domini. Bene, inquit, te acceperunt? Etiam, inquam, domine. 9. Nunc, inquit, quid vis audire primum? Sicut, inquam, domine, ab initio ostendisti; rogo te, domine, ut, sicut te interrogavero, sic et manifestes mihi. Sicut vis, inquit, sic tibi et explanabo neque omnino quidquam te celabo.

fideles totas noctes in oratione et cantu psalmorum transegisse notum est. H. — *δευτέρας*] i. e. usque ad horam octavam secundum nostram temporis computationem.

8. *εἶτα*: praem *et cum adorassemus Deum* L[1] — *ῥήματα κ.*] Cf. Luc. 4, 4. Matth. 4, 4. Deut. 8, 3. Eccles. 5, 10. Clem. ad virg. II c. 2.

12. Πρῶτον, φημί, πάντων, κύριε, τοῦτό μοι δήλωσον· ἡ πέτρα καὶ ἡ πύλη τίς ἐστιν; Ἡ πέτρα, φησίν, αὕτη καὶ ἡ πύλη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐστί. Πῶς, φημί, κύριε, ἡ πέτρα παλαιά ἐστιν, ἡ δὲ πύλη καινή; Ἄκουε, φησί, καὶ σύνιε, ἀσύνετε. 2. Ὁ μὲν υἱὸς τοῦ θεοῦ πάσης τῆς κτίσεως αὐτοῦ προγενέστερός ἐστιν, ὥστε σύμβουλον αὐτὸν γενέσθαι τῷ πατρὶ τῆς κτίσεως αὐτοῦ· διὰ τοῦτο καὶ παλαιός ἐστιν. Ἡ δὲ πύλη διατί καινή, φημί, κύριε; 3. Ὅτι, φησίν, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τῆς συντελείας φανερὸς ἐγένετο, διὰ τοῦτο καινὴ ἐγένετο ἡ πύλη, ἵνα οἱ μέλλοντες σώζεσθαι δι' αὐτῆς *εἰς τὴν βασιλείαν εἰσέλθωσι τοῦ θεοῦ*. 4. Εἶδες, φησίν, τοὺς λίθους τοὺς διὰ τῆς πύλης εἰσεληλυθότας εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου [βεβλημένους], τοὺς δὲ μὴ εἰσεληλυθότας πάλιν ἀποβεβλημένους εἰς τὸν ἴδιον τόπον; Εἶδον, φημί, κύριε. Οὕτω, φησίν, *εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ* οὐδεὶς *εἰσελεύσεται*, εἰ μὴ λάβοι τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. 5. Ἐὰν γὰρ εἰς πόλιν θελήσῃς εἰσελθεῖν τινὰ κἀκείνη ἡ πόλις περιτετειχισμένη κύκλῳ καὶ μίαν ἔχει πύλην, μήτι δυνήσῃ εἰς τὴν πόλιν ἐκείνην εἰσελθεῖν εἰ μὴ διὰ τῆς πύλης ἧς ἔχει; Πῶς γάρ, φημί, κύριε, δύναται γενέσθαι ἄλλως; Εἰ οὖν εἰς τὴν πόλιν οὐ δυνήσῃ εἰσελθεῖν εἰ μὴ διὰ τῆς πύλης αὐτῆς, οὕτω, φησί, καὶ *εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ* ἄλλως *εἰσελθεῖν οὐ δύναται* ἄνθρωπος εἰ μὴ διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ ἠγαπημένου ὑπ' αὐτοῦ. 6. Εἶδες, φησί, τὸν ὄχλον τὸν οἰκοδομοῦντα τὸν πύργον; Εἶδον, φημί, κύριε. Ἐκεῖνοι, φησί, πάντες ἄγγελοι ἔνδοξοί εἰσι· τούτοις οὖν περιτετείχισται ὁ κύριος. Ἡ δὲ πύλη ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐστίν· αὕτη μία εἴσοδός ἐστι πρὸς τὸν κύριον. Ἄλλως οὖν οὐδεὶς εἰσελεύσεται πρὸς αὐτὸν εἰ μὴ διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. 7. Εἶδες, φησί, τοὺς ἓξ ἄνδρας

12. Incipit explicatio. Respicias ad notam Similitudini praemissam. 1. *πέτρα*] Cf. I Cor. 10, 4: *ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός*. Harnack recte adnotavit, in veterrimis christianae picturae et sculpturae monumentis Christum saepe petram repraesentatum esse. — *πύλη*] Cf. Ioann. 10, 7. 9. I Clem. 48, 4 not. — *παλαιά . . καινή*] Cf. Diogn. 11, 4.

2. *ὥστε*: *ἕως τε* G — *αὐτοῦ*] sc. Dei. — *προγενέστερος*] Cf. Sim. V c. 6, 5 not. Ioann. 1, 1 sqq. Col. 1, 15: *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*. — *σύμβουλον κτλ.*] Cf. Sim. V c. 6, 5. Prov. 8, 27—30.

3. *ἐπ' ἐσχάτων ἡμ. φανερὸς ἐγ.*] Cf. Hebr. 1, 1. 2. I Petr. 1, 20. II Clem. 14, 2. Ign. Magn. 6, 1. Iren. I c. 10, 3. — *εἰς τ. βασιλείαν κτλ.*]

12. Primum omnium, inquam, domine, hoc mihi demonstra: petra et porta quis est? Petra haec, inquit, et porta filius Dei est. Quonam pacto, inquam, domine, petra vetus est, porta autem nova? Audi, inquit, et intellege, insipiens. 2. Filius Dei omni creatura eius antiquior est, ita ut patri consiliarius evaserit in condenda creatura. Propterea et vetus est. Porta autem, inquam, domine, quare nova est? 3. Quoniam inquit, in diebus consummationis novissimis apparuit, propterea porta nova facta est, ut ii, qui assecuturi sunt salutem, per eam *intrent in regnum Dei*. 4. Vidistine, inquit, lapides, qui per portam intraverunt, in structura turris collocatos esse, eos autem, qui non intraverunt, iterum in suum locum reiectos esse. Vidi, inquam, domine. Sic, inquit, *in regnum Dei* nemo *intrabit*, nisi acceperit nomen filii Dei. 5. Si enim in urbem aliquam intrare volueris et civitas illa cincta sit muro et unam habet portam, numquid poteris in urbem illam intrare nisi per portam, quam habet? Quonam modo, inquam, domine, aliter fieri potest? Si ergo, inquit, in urbem non poteris intrare nisi per portam eius, ita *nec in regnum Dei* homo *potest intrare* nisi per nomen filii eius dilecti ab ipso. 6. Vidisti, inquit, turbam turrim aedificantem? Vidi, inquam, domine. Illi, inquit, omnes angeli sunt gloriosi: his igitur veluti muro cinctus est Dominus. Porta autem filius Dei est: hic unus est introitus ad Dominum. Aliter ergo nemo intrabit ad eum nisi per filium eius. 7. Vidisti, inquit, sex illos viros et in medio eorum praecelsum virum illum ac magnum, qui circa turrim ambulavit et lapides de structura reprobavit? Vidi, inquam, do-

Ioann. 3, 5. Marc. 9. 46; 10. 23. 24. 25. Cf. Matth. 5. 20. 7. 21; 18. 3.

4. *εἶδες* c. L A: *εἶδεν* G *βεβλημένους* c. L[1] A (L[2]): om G *εἰσεληλυθότας* c. L[1] A (L2?): *ἐληλ.* G *τ. υἱοῦ τ. θεοῦ* c. L coll A (*filius eius*: *τὸ ἅγιον αὐτοῦ* G — *λάβῃ τ. ὄνομα κτλ.*] i. e. nisi baptizatus fuerit. Cf. c. 16. 3; c. 17. 4 (*ἔλαβον τὴν σφραγῖδα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ κτλ.*). Vis. III c. 7. 3. Zahn l. c. p. 155 sq. Sententiam habes Ioann. 3. 3. 5.

5. *ἄλλως εἰσ. οὐ δύναται κτλ.*] Cf. Act. 4. 12. — *τ. ἠγαπημένου*] Cf. Barn. 3. 6 not.

6. *εἴσοδος*] Cf. Ioann. 10. 7: 14. 6. — *οὐδεὶς εἰσελεύσεται κτλ.*] Cf. Ioann. 14. 6: *οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα εἰ μὴ δι' ἐμοῦ*.

7. *περὶ* c. L (A): *παρὰ* G (*ἀποδο-*

καὶ τὸν μέσον αὐτῶν ἔνδοξον καὶ μέγαν ἄνδρα τὸν περιπατοῦντα περὶ τὸν πύργον καὶ τοὺς λίθους ἀποδοκιμάσαντα ἐκ τῆς οἰκοδομῆς; Εἶδον, φημί, κύριε. 8. Ὁ ἔνδοξος, φησίν, ἀνὴρ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐστί, κἀκεῖνοι οἱ ἓξ οἱ ἔνδοξοι ἄγγελοί εἰσι δεξιὰ καὶ εὐώνυμα συγκρατοῦντες αὐτόν. Τούτων, φησί, τῶν ἀγγέλων τῶν ἐνδόξων οὐδεὶς εἰσελεύσεται πρὸς τὸν θεὸν ἄτερ αὐτοῦ· ὃς ἂν τὸ ὄνομα αὐτοῦ μὴ λάβῃ, *οὐκ εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.*

13. Ὁ δὲ πύργος, φημί, τίς ἐστιν; Ὁ πύργος, φησίν, οὗτος [ἡ] ἐκκλησία ἐστίν. 2. Αἱ δὲ παρθένοι αὗται τίνες εἰσί; Ἅγια πνεύματά εἰσι· καὶ ἄλλως ἄνθρωπος οὐ δύναται εὑρεθῆναι εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἐὰν μὴ αὗται αὐτὸν ἐνδύσωσι τὸ ἔνδυμα αὐτῶν· ἐὰν γὰρ τὸ ὄνομα μόνον λάβῃς, τὸ δὲ ἔνδυμα παρὰ τούτων μὴ λάβῃς, οὐδὲν ὠφελήσῃ· αὗται γὰρ αἱ παρθένοι δυνάμεις εἰσὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Ἐὰν [οὖν] τὸ ὄνομα φορῇς, τὴν δὲ δύναμιν μὴ φορῇς αὐτοῦ, εἰς μάτην ἔσῃ τὸ ὄνομα αὐτοῦ φορῶν. 3. Τοὺς δὲ λίθους, φησίν, οὓς εἶδες ἀποβεβλημένους, οὗτοι τὸ μὲν ὄνομα ἐφόρεσαν, τὸν δὲ ἱματισμὸν τῶν παρθένων οὐκ ἐνεδύσαντο. Ποῖος, φημί, ἱματισμὸς αὐτῶν ἐστί, κύριε; Αὐτὰ τὰ ὀνόματα, φησίν, ἱματισμός ἐστιν αὐτῶν. Ὃς ἂν τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ φορῇ, καὶ τούτων ὀφείλει τὰ ὀνόματα φορεῖν· καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ υἱὸς τὰ ὀνόματα τῶν παρθένων τούτων φορεῖ. 4. Ὅσους, φησί, λίθους εἶδες εἰς τὴν οἰκοδομὴν [τοῦ πύργου εἰσεληλυθότας, ἐπιδεδομένους διὰ τῶν χειρῶν αὐτῶν καὶ μείναντας εἰς τὴν οἰκοδομήν], τούτων τῶν παρθένων τὴν δύναμιν ἐνδεδυμένοι εἰσί. 5. Διὰ τοῦτο βλέπεις τὸν πύργον μονόλιθον γεγονότα [μετὰ] τῆς πέτρας· οὕτω καὶ οἱ πιστεύσαντες τῷ κυρίῳ διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καὶ ἐνδιδυσκόμενοι τὰ πνεύματα ταῦτα ἔσονται εἰς ἓν πνεῦμα, εἰς ἓν σῶμα, καὶ μία χρόα τῶν ἱματισμῶν αὐτῶν. Τῶν τοιούτων δὲ τῶν φορούντων τὰ ὀνόματα τῶν παρθένων ἐστὶν ἡ κατοικία εἰς τὸν πύργον. 6. Οἱ οὖν,

κιμάσαντας G — Cf. c. 6. 7, 1.
8. *αὐτοῦ* p. *ὄνομα* c. L A: *τοῦ θεοῦ* G — Non solum petra et porta, sed etiam vir praecelsus filius est Dei. Cf. Sim. VIII c. 3, 2 not. V Esra 2, 46. 47 (cf. c. 6, 1 not.) — *ἄτερ αὐτοῦ*] Cf. Eph. 1, 10; 3, 10. Col. 1, 20. Ign. Smyrn. 6, 1.
13, 1. *ἡ* om G — Cf. Vis. III c. 3, 3.
2. *ἄλλως* — *δύναται* c. L A: *ἄλλοι ἄνθρωποι οὐ δύνανται* G | *ὠφελήσῃ* em Gh coll Vis. II c. 2, 2: *ἐφελεῖς* G, *ὠφελεῖς* Hg | *οὖν* c. L: *et* A, om

ἔχοντες διάκονοί εἰσι κακῶς διακονήσαντες καὶ διαρπάσαντες χηρῶν καὶ ὀρφανῶν τὴν ζωὴν καὶ ἑαυτοῖς περιποιησάμενοι ἐκ τῆς διακονίας ἧς ἔλαβον διακονῆσ[αι]· ἐὰν οὖν ἐπιμείνωσι τῇ αὐτῇ ἐπιθυμίᾳ, ἀπέθανον καὶ οὐδεμία αὐτοῖς ἐλπὶς ζωῆς· ἐὰν δὲ ἐπιστρέψωσι καὶ ἁγνῶς τελειώσωσι τὴν διακονίαν αὐτῶν, δυνήσονται ζῆσαι. 3. Οἱ δὲ ἐψωριακότες, οὗτοι οἱ ἀρνησάμενοί εἰσι καὶ μὴ ἐπιστρέψαντες ἐπὶ τὸν κύριον ἑαυτῶν, ἀλλὰ χερσωθέντες καὶ γενόμενοι ἐρημώδεις, μὴ κολλώμενοι τοῖς δούλοις τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ μονάζοντες *ἀπολλύουσι τὰς ἑαυτῶν ψυχάς*. 4. Ὡς γὰρ ἄμπελος ἐν φραγμῷ τινὶ καταλειφθεῖσα ἀμελείας τυγχάνουσα καταφθείρεται καὶ ὑπὸ τῶν βοτανῶν ἐρημοῦται καὶ τῷ χρόνῳ ἀγρία γίνεται καὶ οὐκέτι εὔχρηστός ἐστ[ι] τῷ δεσπότῃ ἑαυτῆς, οὕτω καὶ οἱ τοιοῦτοι ἄνθρωποι ἑαυτοὺς ἀπεγνώκασι καὶ γίνονται ἄχρηστοι τῷ κυρίῳ ἑαυτῶν ἀγριωθέντες. 5. Τούτοις οὖν μετάνοια γίνεται, ἐὰν μὴ ἐκ καρδίας εὑρεθῶσιν ἠρνημένοι· ἐὰν δὲ ἐκ καρδίας εὑρεθῇ ἠρνημένος τις, οὐκ οἶδα, εἰ δύναται ζῆσαι. 6. Καὶ τοῦτο οὐκ εἰς ταύτας τὰς ἡμέρας λέγω, ἵνα τις ἀρνησάμενος μετάνοιαν λάβῃ· ἀδύνατον γάρ ἐστι σωθῆναι τὸν μέλλοντα νῦν ἀρνεῖσθαι τὸν κύριον ἑαυτοῦ· ἀλλ' ἐκείνοις τοῖς πάλαι ἠρνημένοις δοκεῖ κεῖσθαι μετάνοια. Εἴ τις οὖν μέλλει μετανοεῖν, ταχινὸς γενέσθω πρὶν τὸν πύργον ἀποτελεσθῆναι· εἰ δὲ μή, ὑπὸ τῶν γυναικῶν καταφθαρήσεται εἰς θάνατον. 7. Καὶ οἱ κολοβοί, οὗτοι δόλιοί εἰσι καὶ καταλαλοι· καὶ τὰ θηρία, ἃ εἶδες εἰς τὸ ὄρος, οὗτοί εἰσιν. Ὥσπερ γὰρ τὰ θηρία διαφθείρει τῷ ἑαυτῶν ἰῷ τὸν ἄνθρωπον καὶ ἀπολλύει, οὕτω καὶ τῶν τοιούτων ἀνθρώπων τὰ ῥήματα δ[ια]φθείρει τὸν ἄνθρωπον καὶ ἀπολλύει. 8. Οὗτοι οὖν κολοβοί εἰσιν ἀπὸ τῆς πίστεως αὐτῶν διὰ τὴν πρᾶξιν, ἣν ἔχουσιν ἐν ἑαυτοῖς· τινὲς δὲ μετενόησαν καὶ ἐσώθησαν. Καὶ οἱ λοιποὶ οἱ τοιοῦτοι ὄντες δύνανται σωθῆναι, ἐὰν μετανοήσωσιν· ἐὰν δὲ μὴ μετανοήσωσιν, ἀπὸ τῶν γυναικῶν ἐκείνων, ὧν τὴν δύναμιν ἔχουσιν, ἀποθανοῦνται.

27. Ἐκ δὲ τοῦ ὄρους τοῦ δεκάτου, οὗ ἦσαν δένδρα σκεπά-

3. *μονάζοντες*] Cf. Barn. 4, 10. Hebr. 10, 25. — *ἀπολλύουσι κτλ.*] Matth. 10, 39. Luc. 9, 24; 17, 33. Ioann. 12, 25.

4. *οὕτω καὶ — ἀποθανοῦνται* v. 8 om A — Cf. Mand. X c. 1, 4. 5.

5. *γίνεται*: praem *ita demum* L — *μὴ ἐκ καρδίας*] Qui tormentis tantum coactus, non ex corde fidem abnegavit, ad paenitentiam admittatur. H.

6. *οὐκ* om L¹ — *κ. τοῦτο οὐκ κτλ.*]

straverunt et substantiam viduarum et orphanorum diripuerunt et sibimet ipsis lucrum fecerunt ex ministerio, quod acceperunt ministrare; si igitur permanserint in eadem cupiditate, mortui sunt nec ulla spes est iis vitae; sin vero conversi fuerint et caste perfecerint ministerium suum, poterunt vivere. 3. Scabrosi autem, hi sunt qui abnegaverunt nec conversi sunt ad Dominum suum, sed agrestes evaserunt ac deserti, non adhaerentes servis Dei, sed sibi soli viventes *perdunt animas suas.* 4. Sicut enim vitis, in saepe aliqua derelicta, culturae expers disperit et ab herbis suffocatur et tempore agrestis fit desinitque domino suo utilis esse, sic et homines huiusmodi de semet ipsis desperaverunt et agrestes effecti inutiles sunt Domino suo. 5. His igitur paenitentia est, si non ex praecordiis inventi fuerint denegasse; si vero ex praecordiis inventus quis fuerit denegasse, nescio, an possit vivere. 6. Et hoc non dico in his diebus, ut aliquis, cum negaverit, paenitentiam accipiat; impossibile est enim eum salvari, qui nunc Dominum suum negaturus est; sed illis, qui olim negaverunt, proposita esse videtur paenitentia. Si quis ergo paenitentiam acturus est, acceleret, priusquam turris consummatur; sin minus, a mulieribus perdetur ad mortem. 7. Et curti, hi sunt dolosi et detractores; et pecudes, quas vidisti in monte, hi sunt. Sicut enim pecudes veneno suo hominem perdunt ac perimunt, sic et verba hominum huiusmodi perdunt hominem ac perimunt. 8. Hi igitur curti sunt in fide sua propter factum, quod habent in semet ipsis; aliqui vero paenitentiam egerunt et salutem assecuti sunt. Et reliqui homines eiusmodi possunt salvari, si paenitentiam egerint; si vero non egerint, a mulieribus illis, quarum vim possident, interficientur.

27. De monte vero decimo, ubi erant arbores tegentes oves

Cf. Mand. IV c. 1, 11; c. 3, 3. — ταύτας τ. ἡμ.] Cf. Vis. II c. 2, 4. 5.

7. ὄρος c. L: praem [ἔνατον] edd praeter Gh, cum post τό in G una litera (i. e. ϑ cum compendio) perisse videri possit — κατάλαλοι] Cf. Sim. VIII c. 7, 2. 3. Mand. II.

8. ἀπὸ a. τ. γυναικῶν c. G: *cum* L — κολοβοί εἰσιν ἀ. τ. πίστεως] i. e. non habent fidem plenam seu perfectam. — πρᾶξιν] sc. dolum et detractionem.

27, 2. καὶ a. φιλόξενοι c. G coll L[1] (*quidam episcopi, i. e. praesides ec-*

ζοντα πρόβατ[ά] τινα, οἱ πιστεύσαντες τοιοῦτοί εἰσιν· 2. ἐπίσκοποι καὶ φιλόξενοι, οἵτινες ἡδέως εἰς τοὺς οἴκους ἑαυτῶν πάντοτε ὑπεδέξαντο τοὺς δούλους τοῦ θεοῦ ἄτερ ὑποκρίσεως· οἱ δὲ ἐπίσκοποι πάντοτε τοὺς ὑστερημένους καὶ τὰς χήρας τῇ διακονίᾳ ἑαυτῶν ἀδιαλείπτως ἐσκέπασαν καὶ ἁγνῶς ἀνεστράφησαν πάντοτε. 3. Οὗτοι οὖν πάντες σκεπασθήσονται ὑπὸ τοῦ κυρίου διαπαντός. Οἱ οὖν ταῦτα ἐργασάμενοι ἔνδοξοί εἰσι παρὰ τῷ θεῷ καὶ ἤδη ὁ τόπος αὐτῶν μετὰ τῶν ἀγγέλων ἐστίν, ἐὰν ἐπιμείνωσιν ἕως τέλους λειτουργοῦντες τῷ κυρίῳ.

28. Ἐκ δὲ τοῦ ὄρους τοῦ ἑνδεκάτου, οὗ ἦσαν δένδρα καρπῶν πλήρη, ἄλλοις καὶ ἄλλοις καρποῖς κεκοσμημένα, οἱ πιστεύσαντες τοιοῦτοί εἰσιν· 2. οἱ παθόντες ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, οἳ καὶ προθύμως ἔπαθον ἐξ ὅλης τῆς καρδίας καὶ *παρέδωκαν τὰς ψυχὰς αὐτῶν*. 3. Διατί οὖν, φημί, κύριε, πάντα μὲν τὰ δένδρα καρποὺς ἔχει, τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν καρποὶ εὐειδέστεροί εἰσιν; Ἄκουε, φησίν· ὅσοι ποτὲ ἔπαθον διὰ τὸ ὄνομα, ἔνδοξοί εἰσι παρὰ τῷ θεῷ, καὶ πάντων τούτων αἱ ἁμαρτίαι ἀφῃρέθησαν, ὅτι ἔπαθον διὰ τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Διατί δὲ οἱ καρποὶ αὐτῶν ποικίλοι εἰσίν, τινὲς δὲ ὑπερέχοντες, ἄκουε. 4. Ὅσοι, φησίν, ἐπ' ἐξουσίαν ἀχθέντες ἐξητάσθησαν καὶ οὐκ ἠρνήσαντο, ἀλλ' ἔπαθον προθύμως, οὗτοι μᾶλλον ἐνδοξότεροί εἰσι παρὰ τῷ κυρίῳ· τούτων ὁ καρπός ἐστιν ὁ ὑπερέχων. Ὅσοι δὲ δειλοὶ καὶ ἐν δισταγμῷ ἐγένοντο καὶ ἐλογίσαντο ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, πότερον ἀρνήσονται ἢ ὁμολογήσουσι, καὶ ἔπαθον, τούτων οἱ καρποὶ ἐλάττους εἰσίν, ὅτι ἀνέβη ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν ἡ βουλὴ αὕτη· πο-

clesiis, alii vero hospitales (*hos lapides* codd): om L² A — φιλόξενοι] Cf. Mand. VIII, 10. I Tim. 3, 2. Tit. 1, 8. I Petr. 4, 9. Rom. 12, 13. Hebr. 13, 2. I Clem. 1, 2; 10, 7 etc.

3. τόπος] Cf. I Clem. 5, 4. 7. Barn. 19, 1.

28. Iam Hilgenfeld (Apost. Väter p. 159. Zeitschr. f. wiss. Theol. 1869 p. 239) vidit, ex hoc potissimum capite tempus cognosci posse, quo Pastor exortus est, et argumentis, quae protulit, Behm (Ueber den Verfasser d. H. p. 41—49) nova addidit. Quae enim de Christianis interrogandis et condemnandis hic narrantur, tam prope ad ea accedunt, quae Plinius ad Traianum scripsit quaeque Traianus ut observarentur praescripsit, ut librum non ante hunc imperatorem confectum esse conicere liceat. Vix iam Domitiano imperatore quaestio eiusmodi habebatur.

2. τ. υἱοῦ τ. θεοῦ c. G: *Domini* L, *eius* A — παθόντες κτλ.] Cf. Vis. III c. 1, 9; c. 2, 1; c. 5, 2. Sim. VIII

aliquas, qui crediderunt, huiusmodi sunt: 2. episcopi et hospitales, qui servos Dei semper libenter in domos suas receperunt sine hypocrisi; episcopi autem semper inopes ac viduas ministerio suo assidue protexerunt casteque perpetuo conversati sunt. 3. Hi ergo omnes a Domino perpetuo protegentur. Haec igitur qui egerint, gloriosi sunt apud Deum et locus eorum iam cum angelis est, si perseveraverint usque ad finem servientes Domino.

28. De monte autem undecimo, ubi erant arbores fructibus plenae, aliis atque aliis fructibus ornatae, qui crediderunt, huiusmodi sunt: 2. qui passi sunt pro nomine filii Dei, qui etiam animo prompto passi sunt ex toto corde et *tradiderunt animas suas.* 3. Quare igitur, inquam, domine, omnes arbores fructus habent, quidam vero earum fructus pulcriores sunt? Audi, inquit: quicumque passi sunt propter nomen, gloriosi sunt apud Deum, et omnium horum peccata ablata sunt, quia propter nomen filii Dei passi sunt. Quare autem fructus eorum varii sint, quidam excellentes, audi. 4. Quicumque, inquit, ad potestatem perducti et interrogati non negaverunt, sed prompto animo passi sunt, hi sunt multo gloriosiores apud Dominum; horum est fructus excellens. Quicumque vero timidi et vacillantes fuerunt ac deliberaverunt in cordibus suis, utrum negarent an confiterentur, et passi sunt, horum fructus minores sunt, quoniam haec cogitatio ascendit in cor eorum; mala enim

c. 3, 6. Vis. II c. 2, 7. 8. *Ἀρνησαμένους* habes Vis. II c. 3, 4. Sim. VIII c. 8, 4; IX c. 26, 3. 5. 6. — *παρέδωκαν κτλ.*] Act. 15, 26. Cf. 2, 30.

3. *εὐειθέστεροι* c. L coll A: *ἀηδ.* G | *ὄνομα* pr c. G: add *Domini* L, *eius* A | *ἀφηρέθησαν*: *ἀφέθησαν* L[2] A (*remissa sunt*) — *αἱ ἁμαρτίαι ἀφηρέθησαν*] Per martyrium peccata deleri inde a saeculo secundo medio omnes fere patres docuerunt. Cf. Melito fragm. XII (Corp. Apolog. ed. Otto IX 418. 452 sq.): *δύο γὰρ συνέστη τὰ ἄφεσιν ἁμαρτημάτων παρεχόμενα, πάθος διὰ Χριστὸν καὶ βάπτισμα.* Tert. de baptismo c. 16; de pudicitia c. 22 etc. Cyprian. ep. 73 c. 21. 22. Origen. apud Eus. h. e. VI c. 4, 3.

4. *ἐπ' ἐξουσίαν*] i. e. ad magistratus. — *ἐξητάσθησαν*] sc. num essent Christiani. Quodsi confessi sunt, iam condemnati erant. Propter nomen enim magistratus Christianos persecuti sunt. — *ἐνδοξότεροι κτλ.*] Cf.

νηρὰ γὰρ ἡ βουλὴ αὕτη, ἵνα δοῦλος κύριον ἴδιον ἀρνήσηται. 5. Βλέπετε οὖν ὑμεῖς οἱ ταῦτα βουλευόμενοι, μήποτε ἡ βουλὴ αὕτη διαμείνῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, καὶ ἀποθανεῖσθε τῷ θεῷ. Ὑμεῖς δὲ οἱ πάσχοντες ἕνεκεν τοῦ ὀνόματος δοξ[άζειν] ὀφείλετε τὸν θεόν, ὅτι ἀξίους ὑμᾶς ἡγήσατο ὁ θεός, ἵνα τοῦτο τὸ ὄνομα βαστάζητε καὶ πᾶσαι ὑμῶν αἱ ἁμαρτίαι ἰαθῶσιν. 6. [Οὐκοῦν μακα]ρίζετε ἑαυτούς· ἀλλὰ δοκεῖτε ἔργον μέγα πεποιηκέναι, ἐάν τις ὑμῶν διὰ τὸν θεὸν πάθῃ. Ζωὴν ὑμῖν ὁ κύριος χαρίζεται, καὶ οὐ νοεῖ[τε]· αἱ γὰρ ἁμαρτίαι ὑμῶν κατεβάρησαν, καὶ εἰ μὴ πεπόνθατε ἕνεκεν τοῦ ὀνόματος κυρίου, διὰ τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν τεθνήκειτε [ἂν] τῷ θεῷ. 7. Ταῦτα ὑμῖν λέγω τοῖς διστάζουσι περὶ ἀρνήσεως ἢ ὁμολογήσεως· ὁμολογεῖτε, ὅτι κύριον ἔχετε, μήποτε ἀρνούμενοι [πα]ραδοθ[ήσησθε] εἰς δεσμωτήριον. 8. Εἰ τὰ ἔθνη τοὺς δούλους αὐτῶν κολάζουσιν, ἐάν τις ἀρνήσηται τὸν κύριον ἑαυτοῦ, τί δοκεῖτε ποιήσει ὁ κύριος ὑμῖν, ὃς [ἔχει] πάντων τὴν ἐξουσίαν; Ἄρατε τὰς βουλὰς ταύτας ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν, ἵνα διαπαντὸς ζήσητε τῷ θεῷ.

29. Ἐκ δὲ τοῦ ὄρους τοῦ δωδεκάτου τοῦ λευκοῦ οἱ πιστεύσαντες τοιοῦτοί εἰσιν· ὡς νήπια βρέφη εἰσίν, οἷς οὐδεμία κακία ἀναβαίνει ἐπὶ τὴν καρδίαν οὐδὲ [ἔγνω]σαν, τί ἐστι πονηρία, ἀλλὰ πάντοτε ἐν νηπιότητι διέμειναν. 2. Οἱ τοιοῦτοι οὖν ἀδιστάκτως κατοικήσουσιν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θε[οῦ, ὅτι] ἐν οὐδενὶ πράγματι ἐμίαναν τὰς ἐντολὰς τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ μετὰ νηπιότητος διέμειναν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτῶν ἐν τῇ αὐτῇ φρονήσει. 3. Ὅσοι οὖν διαμενεῖτε, φησί, καὶ ἔσεσθε ὡς τὰ βρέφη, κακίαν μὴ ἔχοντες, πάντων τῶν προειρημένων ἐνδοξότεροι ἔ[σε]σθε· πάντα γὰρ τὰ βρέφη ἔνδοξά ἐστι παρὰ τῷ θεῷ καὶ πρῶτα παρ' αὐτῷ. Μακάριοι οὖν ὑμεῖς, ὅσοι ἂν ἄρητε ἀφ' ἑαυτῶν τὴν πονηρίαν, ἐνδύσησθε δὲ τὴν ἀκακίαν· πρῶτοι πάντων ζήσεσθε τῷ θεῷ. 4. Μετὰ τὸ

Vis. III c. 2, 1 not. — *πονηρὰ κτλ.*] Cf. II Clem. 3—5.

5. *ἀποθανεῖσθε* c. L¹ (*moriemini* optimi codd.: *-νῆσθε* G, moriamini L² A | *τ. θεῷ* c. L A: praem *ἐν* G | *τοῦτο* c. L²: *τούτου* G. *αὐτοῦ* L¹ A — *πάσχοντες . . δοξάζειν*] Cf. I Petr. 4, 13. 15. 16. Act. 5, 41. Polyc. Phil. 8, 2. — *αἱ ἁμ. ἰαθῶσιν*] Cf. c. 23, 5. Vis. I c. 1, 9; c. 3, 1.

6. *οὐκοῦν*: add *μᾶλλον* edd praeter Gh | *διὰ τ. θεὸν* om L | *κατεβάρησαν* c. G A (*gravia sunt*): *vos gravabant* (*gravaverunt* L²) L — *μακαρίζετε*] Cf. Matth. 5, 11. 12. Luc. 6, 22. I Petr. 4, 14. — *κατεβάρησαν*] Her-

est eiusmodi cogitatio, qua servus Dominum suum neget. 5. Videte ergo vos, qui haec cogitatis, ne forte haec mens permaneat in cordibus vestris et Deo moriamini. Vos autem, qui patimini propter nomen, Deum glorificare debetis, quod vos dignos existimavit Deus, ut hoc nomen feratis et omnia peccata vestra sanentur. 6. Beatos igitur vos praedicate; sed magnum opus vos fecisse putate, si quis vestrum propter Deum passus fuerit. Vitam Dominus vobis donat, et non intellegitis; delicta enim vestra gravia facta sunt, et nisi passi essetis propter nomen Domini, propter peccata vestra mortui essetis Deo. 7. Haec vobis dico, qui dubitatis de negatione aut confessione: confitemini vos habere Dominum, ne negantes tradamini in vincula. 8. Si gentes servos suos puniunt, si quis dominum suum negaverit, quid putatis vobis facturum esse Dominum, qui universorum habet potestatem? Removete ergo de praecordiis vestris has cogitationes, ut in perpetuum vivatis Deo.

29. De duodecimo autem monte candido qui crediderunt, huiusmodi sunt: sicut parvuli infantes sunt, quibus nulla malitia ascendit in corde quique non cognoverunt, quid sit malitia, sed semper in sinceritate permanserunt. 2. Tales igitur sine haesitatione habitabunt in regno Dei, quia in nulla re mandata Dei maculaverunt, sed cum sinceritate omnes dies vitae suae in eadem mente permanserunt. 3. Quicumque ergo permanseritis, inquit, et fueritis sicut infantes, nequitiam non habentes, omnibus ante memoratis gloriosiores eritis; omnes enim infantes gloriosi sunt apud Deum et primi apud eum. Beati igitur vos, quicumque malitiam a vobis removeritis, innocentiam vero indueritis; primi omnium vivetis Deo. 4. Postquam

mas verbum modo intransitivo usurpasse videtur. Alia huius usus exempla desunt.

7. *παρ. εἰς δεσμωτήριον*] Cf. Matth. 5, 25; 23, 2. Luc. 12, 58.

8. *ὑμῖν* c. L A: *ἡμῶν* G

29, 1. *νήπια βρέφη*] Cf. c. 24, 3. Mand. II, 1. I Petr. 2, 2. — *οὐδ. κακία*] Cf. Vis. III c. 5, 4.

2. *κατοικήσουσιν* c. L[1]: *-κοῦσιν* G L[2], om A

3. *πάντων* c. L A: praem *καὶ* G — *ἔσ. ὡς τ. βρέφη*] Cf. Mand. II, 1. Matth. 18, 3; 19, 4. — *πρῶτα*] In Sim. VIII Hermas martyribus primas partes tribuit.

4. Cf. c. 6, 5—8; c. 9, 1—4.

συντελέσαι αὐτὸν τὰς παραβολὰς τῶν ὀρέων λέγω αὐτῷ· Κύριε, νῦν μοι δήλωσον περὶ τῶν λίθων τῶν ἠρμένων ἐκ τοῦ πεδίου καὶ εἰς τὴν οἰκοδομὴν τεθειμένων ἀντὶ τῶν λίθων τῶν ἠρμένων [ἐκ] τοῦ πύργου, καὶ τῶν στρογγύλων τῶν τεθέντων εἰς τὴν οἰκοδομήν, καὶ τῶν ἔτι στρογγύλων ὄντων.

30. Ἄκουε, φησί, καὶ περὶ τούτων πάντων. Οἱ λίθοι οἱ ἐκ τοῦ [πεδί]ου ἠρμένοι καὶ τεθειμένοι εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου ἀντὶ τῶν ἀποβεβλημένων, αἱ ῥίζαι εἰσὶ τοῦ ὄρους τοῦ λευκοῦ τούτου. 2. Ἐπεὶ οὖν οἱ πιστεύσαντες ἐκ τοῦ ὄρους τοῦ λευκοῦ πάντες ἄκακοι εὑρέθησαν, ἐκέλευσεν ὁ κύριος τοῦ πύργου τούτους ἐκ [τῶν ῥιζῶν] τοῦ ὄρους τούτου βληθῆναι εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου· ἔγνω γάρ, ὅτι, ἐὰν ἀπέλθωσιν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ πύργου οἱ λίθοι οὗτοι, διαμενοῦσι λαμπροὶ καὶ οὐδεὶς αὐτῶν μελανήσει. 3. Quodsi de ceteris montibus adiecisset, necesse habuisset rursus visitare eam turrem atque purgare. Hi autem omnes candidi inventi sunt, qui crediderunt et qui credituri sunt; ex eodem enim genere sunt. Felix hoc genus, quia innocuum est. 4. Audi nunc et de illis rotundis lapidibus et splendidis. Hi omnes de hoc candido monte sunt. Audi autem, quare rotundi sunt reperti. Divitiae suae eos pusillum obscuraverunt a veritate atque obfuscaverunt, a Deo vero nunquam recesserunt nec ullum verbum malum processit de ore eorum, sed omnis aequitas et virtus veritatis. 5. Horum ergo mentem cum vidisset Dominus, posse eos veritati favere, bonos quoque permanere, iussit opes eorum circumcidi, non enim in totum eorum tolli, ut possint aliquid boni facere de eo, quod eis relictum est, et vivent Deo, quoniam ex bono genere sunt. Ideo ergo pusillum circumcisi sunt et positi sunt in structuram turris huius.

30, 1. *τ. λευκοῦ τ.*] sc. montis duodecimi, cuius ad radices lapides de campo allati siti erant. Significant lapides isti homines natura bonos; cf. c. 31, 1. 2. Zahn l. c. p. 239 -241 conicit, in persecutione ultima multos a fide lapsos, sed eodem fere tempore, libro nondum scripto, multos quoque ad Christum conversos esse, ita ut illorum locum obtinuisse viderentur; hos autem esse lapides de campo allatos.

2. *τ. ῥιζῶν* c. L (A): om G | *μελανήσει (-νίσει)*: hic desinit tertium codicis Lipsiensis folium (cf. c. 14, 5 not.), conspicuis post *μελ.* fere literis *ε.. δέ*. Versio latina, quae inde ab hoc loco usque ad finem loco

similitudinum explanationem finivit, dico ei: Domine, nunc mihi demonstra de lapidibus, qui de campo sublati et in structura positi sunt loco lapidum e turri sublatorum, et de rotundis, qui in structura positi sunt, et de illis, qui adhuc rotundi sunt.

30. Audi, inquit, et de his omnibus. Lapides, qui de campo sublati et in structura turris positi sunt eorum loco, qui reprobati erant, radices sunt montis huius candidi. 2. Postquam igitur qui de monte candido crediderunt, omnes innocentes sunt inventi, iussit dominus turris hos, qui de radice montis istius erant, in structura turris collocari; scivit enim, si in structuram turris iverint lapides isti, eos candidos permansuros nec quemquam eorum nigrum evasurum esse. 3. Illi autem, qui ex ceteris montibus impositi fuissent in structuram, necessario desideravissent, ut iterum extrueret turrim et visitaret eam. Et hi omnes, qui albi sunt, in novo lumine sunt et lumen. Qui crediderunt et qui credituri sunt, idem genus sunt. Et beatum illud genus, quia simplices sunt. 4. Audi nunc et de illis lapidibus rotundis et albis, et ii omnes e monte sunt. Et dixi ei: Quapropter rotundi inventi sunt? Et dixit mihi: Audi; etenim valde absconditerunt se ex structura, sed Dominum non deserebant et verbum malum non exibat ex oribus eorum, sed omne bonum et iustum et verum. 5. Et cum Dominus corda eorum vidit, quod possent iusti fieri, quia beati erant e natura ipsorum, iussit eos removeri ab opibus suis, nec tamen prorsus removeri, ut ex reliquiis suis, quae relictae essent, benefacerent et viverent Domino, quia e beato genere essent. Et idcirco pusillum circumciderunt eos et imposuerunt eos in structuram turris.

textus graeci exhibetur, est vulgata quae dicitur (L[1]), a Gebhardt adhibitis sex codicibus emendata. Ubi mutavi, in notis rationem reddidi. Altera versio est aethiopica, ab Antonio d'Abbadie latine reddita. Lectiones versionis Palatinae (L[v]) a versione vulgata divergentes, si quae fuerunt maioris momenti, in notis exscripsi.

3. *adiecisset:* add *in structuram turris* L[2] | *ex eod. en. genere sunt: ex corde enim credunt* L[2] — *ex eod. genere*] i. e. ex genere innocentiae; cf. c. 29.

4. *a ver. atque obfuscaverunt* om

31. Ceteri vero, qui adhuc rotundi remanserunt neque aptati sunt in eam structuram, quia nondum acceperunt sigillum, repositi sunt suo loco; valde enim rotundi reperti sunt. 2. Oportet autem circumcidi hoc saeculum ab illis et vanitates opum suarum, et tunc convenient in Dei regnum. Necesse est enim eos *intrare in Dei regnum*; hoc enim genus innocuum benedixit Dominus. Ex hoc ergo genere non intercidet quisquam. Etenim licet quis eorum temptatus a nequissimo diabolo aliquid deliquerit, cito recurret ad Dominum suum. 3. Felices vos iudico omnes, ego nuntius paenitentiae, quicumque estis innocentes sicut infantes, quoniam pars vestra bona est et honorata apud Deum. 4. Dico autem omnibus vobis, quicumque sigillum hoc accepistis, simplicitatem habere neque offensarum memores esse neque in malitia vestra permanere aut in memoria offensarum amaritudinis, in unum quemque spiritum fieri et has malas scissuras permediare ac tollere a vobis, ut Dominus pecorum gaudeat de his. 5. Gaudebit autem, si omnia invenerit sana. Sin autem aliqua ex his dissipata invenerit, vae erit pastoribus. 6. Quodsi ipsi pastores dissipati reperti fuerint, quid respondebunt [pro] pecoribus his? Numquid dicunt a pecore se vexatos? Non credetur illis. Incredibilis enim res est, pastorem pati posse a pecore; et magis punietur propter mendacium suum. Et ego sum pastor, et validissime oportet me de vobis reddere rationem.

L[2] — Cf. Vis. III c. 6, 5—7. Sim. VIII c. 10, 3.

31, 1. *aptati*] Cf. c. 9, 4.

2. *innoc. benedixit*: *probavit* L[2] — *circumcidi*] i. e. ipsos a mundo seu mundum ab ipsis disiungi oportet. H. — *convenient etc.*] i. e. apti erunt (ἁρμόσουσιν cf. Vis. III c. 7, 5. 6 etc.). Cf. Luc. 9. 62: οὐδεὶς . . βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω εὔθετός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. — *necesse etc.*] Cf. c. 9, 2. 3.

3. Cf. c. 29, 1. 3.

4. *sigillum*: add *filii Dei* L[2] | *ut Dominus — de his*: *ut si Dominus pecorum venerit, gaudeat* L[2] — *simplicitatem — tollere a vobis*] Exscripsit hunc locum Antiochus Mon. hom. 94 ed. Migne 1719: καλόν ἐστιν κρατεῖν τὴν ἁπλότητα καὶ τὴν ἀκακίαν καὶ εἶναι ὡς τὰ νήπια τὰ μὴ γινώσκοντα τὴν πονηρίαν τὴν ἀπολλύουσαν τὴν ζωὴν τῶν ἀνθρώπων, καὶ μὴ εἶναι μνησικάκους μήτε παρανόμους (l. μηδὲ παραμόνους, Hg) τῇ κακίᾳ, ἀλλ᾽ ἀποθέσθαι τὰς κακίας καὶ τὰς πονηρίας καὶ τὰς πικρίας τὰς παρανόμους (παραμόνους Hg) καὶ γενέσθαι ἓν πνεῦμα καὶ τὰ σχήματα (σχίσματα Hg) τὰ πονηρὰ ἀνατρέψαι.

31. Illi autem lapides rotundi, qui nunquam apti fuerunt in structuram, quia sigillum eius non receperant, idcirco restituti sunt in (pristinum) locum eorum, quia valde rotundi erant. 2. Sed oportet illos derelinquere hoc saeculum et divitias suas; et tunc apti erunt in regnum Domini, quia benedixit Dominus huic generi simplici, nec est, qui intercidat ex iis. Licet eos seduxerit malitia Satanae et peccaverint, cito convertentur ad Dominum. 3. Sed beatos praedico vos, ego angelus paenitentiae, vos omnes, qui simplices estis sicut infantes, quoniam bona est pars vestra et honorata apud Dominum. 4. Praecipio vobis, qui sigillum filii Domini habetis, ut conservetis simplicitatem nec portetis cupidinem ultionis nec sitis protervi in nequitia vestra. Relinquite ergo vindictae studium et amarum peccatum et estote in uno spiritu et sanate scissuras vestras (eas removentes) a vobis. Quando venerit Dominus ovium, gaudebit de vobis, 5. et exsultabit, sed tantum, si omnia sana invenerit nec ullus e vobis interciderit. Vae vobis, pastores. 6. Si autem ipsi pastores dicunt possessori gregis, ab ovibus se prostratos esse, non creditur, quia incredibile est, ovem interficere pastorem. Si autem non, eos, qui mentiti sunt, punient. Ego quoque pastor sum, et diligenter oportet me rationem reddere de vobis.

— *ut Dominus — rationem reddere* v. 6] Cf. Antioch. hom. 122 ed. Migne p. 1815: *ἵνα ὅταν ἔλθῃ ὁ κύριος τῶν προβάτων, χαρῇ ἐπ' αὐτῷ καὶ ἐπὶ τοῖς προβάτοις εὐφρανθῇ. Χαρήσεται δέ, ἐὰν πάντα ὑγιῆ εὑρεθῇ καὶ μὴ διαπεπτωκότα τινὰ ἐξ αὐτῶν. Ἐὰν δὲ εὑρεθῇ τινὰ ἐξ αὐτῶν διαπεπτωκότα, οὐαὶ τοῖς ποιμέσιν ἔσται. Ἐὰν δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ ποιμένες εὑρεθῶσιν διαπεπτωκότες, τί ἐροῦσιν τῷ δεσπότῃ τοῦ ποιμνίου; Ὅτι ἀπὸ τῶν προβάτων διέπεσαν; Οὐ πιστευθήσονται· ἄπιστον γὰρ πρᾶγμά ἐστιν, ποιμένα ὑπὲρ* (l. *ὑπὸ*) *προβάτων παθεῖν τι. Μᾶλλον δὲ κολασθήσονται διὰ τὸ ψεῦδος αὐτῶν. Εἰδότες οὖν, ὅτι λίαν δι' αὐτοὺς ἀποδοῦναι λόγον δεῖ, κτλ.* — *pecorum*] Cf. Sim. VI. Ioann. 10.

5. *vae erit past.* om L[2] — *vae — mendacium suum* v. 6] Exstant haec in homilia Anonymi *de aleatoribus* (Opp. Cypr. ed. Hartel III 93 sq.): *Dicit enim scriptura divina: Vae erit* etc. Auctor homiliae versionem vulgatam paene ad verbum transscripsit.

6. *respondebunt — his: ei respondebitur* L[2] — *dissipati*] Cf. Matth. 26, 31. Marc. 14, 27.

32. Remediate ergo vos, dum adhuc turris aedificatur. 2. Dominus habitat in viris amantibus pacem; ei enimvero pax cara est; a litigiosis vero et perditis malitiae longe abest. Reddite igitur ei spiritum integrum, sicut accepistis. 3. Si enim dederis fulloni vestimentum novum integrum idque integrum iterum vis recipere, fullo autem scissum tibi illud reddet, recipies illud? Nonne statim scandescis et eum convicio persequeris, dicens: Vestimentum integrum tibi dedi; quare scidisti illud et inutile redegisti? Et propter scissuram, quam in eo fecisti, in usu esse non potest. Nonne haec omnia verba dices fulloni ergo et de scissura, quam in vestimento tuo fecerit? 4. Si sic igitur tu doles de vestimento tuo et quereris, quod non illud integrum recipias, quid putas Dominum tibi facturum, qui spiritum integrum tibi dedit, et tu eum totum inutilem redegisti, ita ut in nullo usu esse possit domino suo? Inutilis enim esse coepit usus eius, cum sit corruptus a te. Nonne igitur dominus spiritus eius propter hoc factum tuum [morte te] adficiet? 5. Plane, inquam, omnes eos, quoscumque invenerit in memoria offensarum permanere, adficiet. Clementiam, inquit, eius calcare nolite, sed potius honorificate eum, quod tam patiens est ad delicta vestra et non est sicut vos. Agite enim paenitentiam utilem vobis.

33. Haec omnia, quae supra scripta sunt, ego pastor nuntius paenitentiae ostendi et locutus sum Dei servis. Si credideritis ergo et audieritis verba mea et ambulaveritis in his et correxeritis itinera vestra, vivere poteritis. Sin autem permanseritis in malitia et memoria offensarum, nullus ex huiusmodi vivet Deo. Haec omnia a me dicenda dicta sunt vobis. 2. Ait

32, 2. *abest. Reddite: recedite, et habebitis* L[3] — *reddite etc.*] Cf. v. 4. Mand. III, 1. 2; V, 1. 2. Antiochus hom. 94 hunc versum et sequentes usque ad verba: *corruptus a te* v. 4, cum c. 31, 4 coniunxit. Pergit enim: *ὅπως ὁ κύριος τῆς εἰρήνης κατοικήσῃ ἐν πᾶσιν, ἵνα καὶ τὸ πνεῦμα ὑγιὲς γένηται, ὥσπερ αὐτὸ ἔλαβεν ὁ ἄνθρωπος. Ἐὰν γάρ τις κναφεῖ δώσῃ ἱμάτιον καινὸν καὶ ὑγιὲς καὶ τοῦτο θέλει κομίσασθαι, ὁ δὲ κναφεὺς σχίσας τὸ ἱμάτιον ἀποδώσει· ἆρα λήψεται αὐτό; Οὐχὶ μαχήσεται καὶ ὑβρίσει λέγων αὐτῷ· Ἱμάτιόν σοι ὑγιὲς ἔδωκα· διὰ τί αὐτὸ ἔσχισας καὶ πεποίηκας ἄχρηστον; Εἰ οὖν οὕτως περὶ ἱματίου λυπεῖταί τις καὶ μάχεται, ὅτι*

32. Sanate igitur vosmet ipsos, quamdiu adhuc structura turris fit. 2. Nam etiam Dominus in virtute et pace habitationem facit, quia pacem diligit eamque procul a scelestis removet. Nam a Domino accipietis spiritum sanctum. 3. Cum fulloni dederint vestem incolumem et salvam et solidam, et deinde velis ab eo repetere vestem, fullo autem scissam vestem tibi reddiderit, accipies illam vestem a fullone? Nonne litem habebis cum eo et conviciaberis ei et dices: Vestem salvam dedi tibi; quare scidisti eam et inutilem fecisti? Nec proderit iam quicquam, quia eam scidisti. Nonne talia [dices] fulloni, quia scidit tibi vestem tuam? 4. Et cum tu sic maeres et litem habes, quia salvam non reddidit tibi vestem tuam, quid igitur putas facturum tibi Dominum, qui salvum dedit tibi spiritum, tu autem eum fecisti prorsus inutilem domino eius, et inutilis est apud te, quia eum non conservasti? Quomodo dominus spiritus subito propter hoc factum, quod fecisti, te interficere debebat? 5. Et dixi ei: Utique, interficiet omnes, quos invenerit portantes cupidinem ultionis, cum venerit. Cavete igitur, ne abnegetis multam misericordiam eius; sed potius ei gratias agite, quia ita patiens fuit erga vos ob peccata vestra nec fuit sicut vos. Agite igitur paenitentiam, quia bona est vobis.

33. Haec igitur omnia prius scripta sunt. Et ego pastor, angelus paenitentiae, ea ostendi et locutus sum servo Domini. Et si credideritis et audiveritis verbum meum et ambulaveritis in illo et correxeritis vias vestras, poteritis vivere. Sin autem permanseritis in dolo, vindictae studium gerentes, nemo e vobis vivet Domino. Haec omnia locutus sum vobis propter vos.

οὐκ ἀπείληφεν ὑγιὲς τὸ ἱμάτιον, τί δοκοῦμεν ἡμεῖς παθεῖν ὑπὸ τοῦ κυρίου, τὸ πνεῦμα λαβόντες ὑγιὲς καὶ τοῦτο λυπήσαντες καὶ ἀχρειώσαντες, μὴ ἐν σεμνότητι πολιτευσάμενοι; Καὶ εἰς οὐδεμίαν χρῆσιν δύναται εἶναι τῷ κυρίῳ ἑαυτοῦ· ἡ γὰρ χρῆσις τοῦ πνεύματος ὑφ' ἡμῶν κατεφθάρη.

4. ***morte te*** inseruit Gh coll L[2] *(tradet te morti)* A

5. *calcare*] Cf. Hebr. 10, 29.

33, 1. *scripta sunt*: add *servanda mandat, ut iam agatis paenitentiam* L[2] — *haec omnia*] sc. Mandata et Similitudines.

2. *quod expl. formas*: *quos replevimus* L[2] — *forma lap.*] Cf. c. 10, 1. 2.

mihi ipse pastor: Omnia a me interrogasti? Et dixi: Ita, domine. Quare ergo non interrogasti me de forma lapidum in structura repositorum, quod explevimus formas? Et dixi: Oblitus sum, domine. 3. Audi nunc, inquit, de illis. Hi sunt qui nunc mandata mea audierunt et ex totis praecordiis egerunt paenitentiam. Cumque vidisset Dominus bonam atque puram esse paenitentiam eorum et posse eos in ea permanere, iussit priora peccata eorum deleri. Hae enim formae peccata erant eorum, et exaequata sunt, ne apparerent.

Similitudo X.

1. Postquam perscripseram librum hunc, venit nuntius ille, qui me tradiderat huic pastori, in domum, in qua eram, et consedit supra lectum, et adstitit ad dexteram hic pastor. Deinde vocavit me et haec mihi dixit: 2. Tradidi te, inquit, et domum tuam huic pastori, ut ab eo protegi possis. Ita, inquam, domine. Si vis ergo protegi, inquit, ab omni vexatione et ab omni saevitia, successum autem habere in omni opere bono atque verbo et omnem virtutem aequitatis, in mandatis huius ingredere, quae dedi tibi, et poteris dominari omni nequitiae. 3. Custodienti enim tibi mandata huius subiecta erit omnis cupiditas et dulcedo saeculi huius, successus vero in omni bono negotio te sequetur. Maturitatem huius et modestiam suscipe in te et dic omnibus, in magno honore esse eum et dignitate apud Dominum et magnae potestatis eum praesidem esse et potentem in officio suo. Huic soli per totum orbem paenitentiae potestas tributa est. Potensne tibi videtur esse? Sed vos maturitatem huius et verecundiam, quam in vos habet, despicitis.

2. Dico ei: Interroga ipsum, domine, ex quo in domo mea est, an aliquid extra ordinem fecerim, ex quo eum offenderim.

3. *hae enim — apparerent: et ita deleta sunt et aequata, ne apparerent postea.* Ἀμήν. L[2]

X. Inscr. om L[1]

1, 1. *perscripseram*] Cf. Vis. V, 5. 6. — *nuntius ille etc.*] Filius Dei

2. Deinde dixit mihi pastor: De omnibus me interrogabas? Et dixi ei: Ita, domine. Et dixit mihi: Cur (non) interrogas me, quapropter forma illorum lapidum similitudo eorum, quos imposuerunt in structuram, qui habent perfectionem? Et dixi ei: Oblitus sum, domine. 3. Et dixit mihi: Audi nunc de iis. Hi sunt qui nunc audierunt mandata mea et paenitentiam egerunt toto corde suo. Et cum vidisset Dominus bene eos et pure paenitentiam egisse, ita ut possint permanere in paenitentia sua, iussit aboleri priora peccata eorum, et iussit peccata vestra: ille ipse vidit eos [locus corruptus] et correxit eos, ne apparerent.

Similitudo X.

1. Et postquam haec scripsi in libro, ille qui pastori me tradiderat angelus venit domum, ubi eram sedens in lecto, et adstitit a dextra eius ille pastor. Et vocavit me et dixit mihi hoc verbum: 2. Dedi te pastori, ut custodiat et te et domum tuam. Et dixi ei: Ita, domine. Et dixit mihi: Si vis eum te custodire ab afflictione et ab omni malo, recte dirige animum tuum in omni opere bono et in omni verbo iustitiae bono et ambula in mandatis eius, quae mandavi, et poteris invenire omnem iustitiam. 3. Et si observaveris mandata eius, subicies omnem concupiscentiam et omne delictum huius mundi et eris perfectus in omni opere bono. Et glorifica mansuetudinem eius et iustitiam et dic omnibus, gloriam et magnificentiam esse apud Dominum, et eum magnam vim et potestatem habere nec quicquam ei impossibile esse in omni opere eius in toto mundo. Et huic soli data est potestas paenitentiae. Et scito, nihil ei esse impossibile. Vos autem ludibrio habetis mansuetudinem eius, quia reveretur vos.

2. Et dixi ei: Ex quo intravit in domum meam, *anne aliquid mali feci illi, quo ei aegritudinem afferrem? 2. Et dixit

ipse nunc Hermae apparet; cf. Vis. V, 2.

2. *et poteris* — *nequitiae* om L²

3. *maturitatem*] = τὴν σεμνότητα. — *huius*] sc. pastoris tui.

2, 2. *Dominum*] i. e. Deum pa-

2. Et ego, inquit, scio nihil extra ordinem fecisse te neque esse facturum. Et ideo haec loquor tecum, ut perseveres. Bene enim de te hic apud me existimavit. Tu autem ceteris haec verba dices, ut et illi, qui egerunt aut acturi sunt paenitentiam, eadem quae tu sentiant et hic apud me de his bene interpretetur et ego apud Dominum. 3. Et ego, inquam, domine, omni homini indica magnalia Domini: spero autem, quia omnes, qui antea peccaverunt, si haec audiant, libenter acturi sunt paenitentiam, vitam recuperantes. 4. Permane ergo, inquit, in hoc ministerio et consumma illud. Quicumque autem mandata huius efficiunt, habebunt vitam, et hic apud Dominum magnum honorem. Quicumque vero huius mandata non servant, fugiunt a sua vita et aversantur illum; [hic autem apud Deum habet honorem suum. Quicunque ergo contemnent eum] nec mandata eius sequuntur, morti se tradunt et unusquisque eorum reus fit sanguinis sui. Tibi autem dico, ut servias mandatis his, et remedium peccatorum habebis.

3. Misi autem tibi has virgines, ut habitent tecum; vidi enim eas affabiles tibi esse. Habes ergo eas adiutrices, quo magis possis huius mandata servare; non potest enim fieri, ut sine his virginibus haec mandata serventur. Video autem eas libenter esse tecum. Sed ego praecipiam eis, ut omnino a domo tua non discedant. 2. Tu tantum communda domum tuam; in munda enim domo libenter habitabunt; mundae enim sunt atque castae et industriae et omnes habentes gratiam apud Dominum. Igitur si habuerint domum tuam puram, tecum permanebunt; sin autem pusillum aliquid inquinationis acciderit, protinus a domo tua recedent. Hae enim virgines nullam omnino diligunt inquinationem. 3. Dico ei: Spero me, domine, placiturum eis, ita ut in domo mea libenter habitent semper. Et sicut hic, cui me tradidisti, nihil de me

trem; filius Dei enim loquitur.
3. *quia*: addidi c. L[2]: *eos* codd praeter unum, qui et hanc vocem omisit.

4. *aversantur* em Hg: *adversus* codd | *hic — contemnent eum* c. L[2] coll A: om L[1] haud dubie propter homoeotel. (pro *contemnent eum* enim

mihi: Scito, si quid mali feceris, ne facias id amplius! Propterea dixi tibi hoc verbum, ut patiens sis. Et ille mihi de te locutus est. Tu autem verba reliqua nuntia, ut etiam ceteri, qui paenitentiam egerunt et qui acturi sunt, idem cogitent sicut tu, eodem modo, quo tu mihi locutus es, et ego quoque loquar Domino. 3. Et dixi ei: Assentior, domine. Sicut edocuisti me, edocebo magnalia Domini omnes homines. Confido autem, omnes, qui audiverunt, qui antea crediderunt, paenitententiam acturos esse gaudentes et vivos futuros esse. 4. Et dixit mihi: Permane igitur in hac cogitatione et perfice eam. Et omnes, qui observabunt mandata huius, assequentur vitam. Talis autem magnus et honoratus est apud Dominum. Ii autem, qui mandata eius non observaverint, non habebunt vitam; et spernunt hunc. Ille quidem honoratus est apud Dominum; qui autem eum spernunt nec mandata eius observant, tradunt semet ipsos morti; et suppliciis dabit animas eorum. Tibi autem dico: subditus esto his mandatis, et ignoscet tibi priora peccata tua.

3. Et misi tibi ut habitent tecum virgines, quia vidi te ab iis custoditum et adiutum, ut posses observare mandata huius. Non enim est possibile observare mandata nisi mandato huius [?]. Video enim illas libenter tecum habitare. Et ego quoque praecipiam, ne unquam a domo tua recedant. 2. Tu autem communda domum tuam; nam in domo pura libenter habitant. Purae enim sunt et bonae et iustae et habent gratiam apud Dominum. Et simul atque invenerint puram domum tuam, permanebunt apud te; si autem paululum immunda fuerit aliqua re, protinus derelinquent domum tuam. Nam omnino non desiderant impuritatem illae virgines. 3. Et dixi ei: Confido, domine, me placiturum iis, ut laetantes habitent in domo mea semper; sicut ille, cui me tradidisti, nihil habet, quo increpet me, sic illae nihil habebunt, quo increpent me.

habuisse videtur *aversantur* vel *aspernantur illum*) *morti* c. L[2] A: praem *sed* L[1] | *peccatorum*: praem *priorum* L[2] cf. A

7 8, 1. *has virgines*] Cf. Sim IX c. 10. 11. 15.
2. *domum tuam*] Cf. Vis. I c. 3, 1; II c. 2, 2.

queritur, ita neque illae querentur. 4. Ait ad pastorem illum: Video, inquit, servum Dei velle vivere et custoditurum haec mandata et virgines has habitatione munda collocaturum. 5. Haec cum dixisset, iterum pastori illi me tradidit et vocavit eas virgines et dixit ad eas: Quoniam video vos libenter in domo huius habitare, commendo eum vobis et domum eius, ut a domo eius non recedatis omnino. Illae vero haec verba libenter audierunt.

4. Ait deinde mihi: Viriliter in ministerio hoc conversare, omni homini indica magnalia Domini, et habebis gratiam in hoc ministerio. Quicumque ergo in his mandatis ambulaverit, vivet et felix erit in vita sua; quicumque vero neglexerit, non vivet et erit infelix in vita sua. 2. Dic omnibus, ut non cessent, quicumque recte facere possunt; bona opera exercere utile est illis. Dico autem, omnem hominem de incommodis eripi oportere. Et is enim, qui eget et in cotidiana vita patitur incommoda, in magno tormento est ac necessitate. 3. Qui igitur huiusmodi animam eripit de necessitate, magnum gaudium sibi adquirit. Is enim, qui huiusmodi vexatur incommodo, pari tormento cruciatur atque torquet se qui in vincula est. Multi enim propter huiusmodi calamitates, cum eas sufferre non possunt, mortem sibi adducunt. Qui novit igitur calamitatem huiusmodi hominis et non eripit eum, magnum peccatum admittit et reus fit sanguinis eius. 4. Facite igitur opera bona, quicumque accepistis a Domino, ne, dum tardatis facere, consummetur structura turris. Propter vos enim intermissum est opus aedificationis eius. Nisi festinetis igitur facere recte, consummabitur turris et excludemini. 5. Postquam vero locutus est mecum, surrexit de lecto et apprehenso pastore et virginibus abiit, dicens autem mihi, remissurum se pastorem illum et virgines in domum meam.

4. *servum Dei velle vivere et*: *hunc* L[2]

4, 1. *mihi*: add *ille pastor* L[2] — *ait*] sc. nuntius ille (c. 1, 1) vel filius Dei.

2. *et* p. *eget* et *patitur incommoda* om L[2] — Commendat H. eleemosynam; cf. v. 3. Mand. VIII, 10. Sim. I, 8; II, 5; V c. 3, 7; VIII c. 10, 3; IX c. 30, 5.

4. Et dixit pastori: Scio, vitam velle servum Domini et servaturum esse haec mandata et virginibus placiturum in puritate. 5. Et postquam rursus tradidit me, virgines vocavit et dixit iis: Quoniam gratum esse vobis habitare in domo huius vidi, ecce committo vobis et eum et domum eius, ne unquam secedatis a domo eius. Et cum audiverunt hoc verbum illae virgines, laetatae sunt.

4. Et dixit mihi ille angelus: Firma temet in hoc opere et dic omnibus hominibus magnalia Domini; habes enim gratiam in hoc opere. Et quicunque ambulabit in his mandatis, vivet et beatus erit in vita sua; qui autem neglexerit ea, non vivet et erit miserabilis in vita sua. 2. Et dic omnibus, ut possint bonum facere; semper faciant bonum, quia eos decet. Ego autem dico omnibus hominibus, ut a vexatione salventur. Etiam is, qui inops est angustia pressus in rebus ad vitam necessariis, magno in supplicio et cruciatu est. 3. Quae anima cum salva facta fuerit, magnum gaudium ei parabis eo, quod eam salvavit. Nam par est afflictio eorum, qui ita se habent, cum iis, qui in vinculis sunt. Multi enim cum non possint perferre, supplicia afferunt sibimet ipsis. Qui autem novit afflictionem eius, qui ita se habet, nec salvat eum, magnum peccatum admittit et fit occisor eius. 4. Facite igitur bonum, ut mercedem accipiatis a Domino; sin morati fueritis facere bonum, consummabitur structura turris, et vos exclusi eritis e structura et alia turris non aedificata est; propter vos enim intermisit structuram turris. Sin non festinaveritis facere bonum, consummabitur structura turris et excludemini cum bonis (operibus) vestris. 5. Quae cum dixisset mihi, surrexit e lecto et dixit mihi [locus corruptus] illi pastori et illis virginibus et abiit. Deinde dixit mihi, se pastorem et virgines in domum meam missurum esse in saecula saeculorum. Amen.

3. ***in vincula est***] Cf. Rönsch, Itala 1869 (ed. II 1875) p. 410 sq.

4. ***structura turris***: add ***et vos de structura reprobemini***: *Iam alia turris non aedificatur* L[2] cf. A | ***et excludemini*** om L[2] — *consummetur*] Cf. Vis. III c. 4, 2; c. 5, 5. Sim. IX c. 5, 1.

5. ***domum meam***: add ἀμήν L[2], cf. A.

Index
locorum Sacrae Scripturae et librorum apocryphorum[1]).

Barnabae epistula.

1) Ubi signum * prostat, aut locus S. Scripturae disertis verbis allegatur aut locus patrum apostolicorum ad locum biblicum tam prope accedit, ut mihi aeque atque ille literis mutatis exprimendus esse visus sit.

Clementis epistula I.

Clementis epistula II.

S. Ignatii epistulae.

S. Polycarpi epistula.

Martyrium Polycarpi.

Epistula ad Diognetum.

Pastor Hermae.

Index vocabulorum memorabilium.

Barnabae epistula.

Clementis epistula I.

Clementis epistula II.

S. Ignatii epistulae et Martyrium [1]).

1) E = Eph. M = Magn. T = Trall. R = Rom. Ph = Philad. S = Smyrn. P = Polyc. A = Martyrium. in. = inscriptio.

S. Polycarpi epistula et Martyrium [1]).

1) Numeri puri ad epistulam referendi sunt. Litera M significat Martyrium.

Epistula ad Diognetum.

Pastor Hermae.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

1. IN PROLEGOMENIS.

In p. I lin. 17 pro ***suspicari licet*** lege ***nonnulli suspicati sunt.***
— p. XLI linea infima deleatur comma post *Herbst.*

2. IN TEXTU ET IN NOTIS.

In p. 2 not. 2 post ἔμφυτον adde: Cf. Const. ap. VIII c. 12 (Clericus, Patr. apost. 1724 I 405): *νόμον δέδωκας αὐτῷ* (sc. *τῷ ἀνθρώπῳ*) *ἔμφυτον, ὅπως οἴκοθεν καὶ παρ' ἑαυτοῦ ἔχοι τὰ σπέρματα τῆς θεογνωσίας.*
— p. 12 not. 12 adde: *κομιεῖται*] Cf. Col. 3, 25.
— p. 28 not. 5 pro *Ier. 4, 3* lege *Ier. 4, 3. 4.*
— p. 31. 33 Barn. 10, 4 pro ***non sibi*** lege ***sibi non.***
— p. 33 not. 7 pro *aqud* lege *apud.*
— p. 41 not. 10 pro *Matth. 22, 23. 24* lege *Matth. 22, 43. 44.*
— p. 52 not. 1 c. 18 adde: *ὁδοὶ δύο*] Cf. Testam. XII patr. X c. 1.
— p. 61 not. 3 adde: *ἐν τοῖς νόμοις τοῦ θεοῦ ἐπορεύεσθε*] Cf. Dan. 9, 10.
— p. 62 not. 3 pro *Tit. 2, 2* lege *Tit. 2, 4.*
— p. 70 not. 2 adde: *τὰς κενὰς καὶ ματαίας φρ.*] Cf. Os. 12, 1.
— p. 96 c. 28, 4 pro ἤ lege ἥ.
— p. 96 sq. c. 30, 1 pro ἀγιασμοῦ lege ἁγιασμοῦ.
— p. 134 not. 2 c. 58 post *ζῇ κτλ.* adde: Simile iuramentum legitur in Ascensione Iesaiae c. 3, 13, quam O. Gebhardt nuperrime e codice Parisiensi publicavit (*Zeitschrift f. wiss. Theologie* ed. Hilgenfeld 1878 p. 330—353). Dicit enim propheta: *ζῇ γὰρ κύριος ὁ θεός μου καὶ ὁ ἀγαπητὸς αὐτοῦ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ λαλοῦν ἐν ἐμοί, ὅτι κτλ.*
— p. 158 not. 2 adde: *τὸ ἔξω ὡς τὸ ἔσω κτλ.*] Cf. Act. Phil. c. 34 (Act. apost. apocr. ed. Tischendorf p. 90), ubi hoc effatum Domini allegatur: *ἐὰν μὴ ποιήσητε ὑμῶν τὰ κάτω εἰς τὰ ἄνω καὶ τὰ ἀριστερὰ εἰς τὰ δεξιά, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν μου.*
— p. 194 c. 6, 2 pro *Χσιστῷ* lege *Χριστῷ.*

In p. 194 c. 6, 2 et p. 200 c. 13, 2 pro *ἐπισ-κόπῳ* dirime *ἐπι-σκόπῳ*.
— p. 224 inscr. pro *Θεφόρος* lege *Θεοφόρος*.
— p. 247 not. 2 post *φρόνιμος κτλ.* lege: Matth. 10, 16. Sensus est: constans etc.
— p. 274 c. 7, 6 pro *φευδοδιδασκαλίας* lege *ψευδοδιδασκαλίας*.
— p. 330 not. 5 adde: *ὅρια πατέρων*] Cf. Prov. 22, 28: *μὴ μέταιρε ὅρια αἰώνια, ἃ ἔθεντο οἱ πατέρες σου*. Clem. ad virg. II c. 15: ***hi sunt limites, quos non mutant, qui recte in Domino conversantur.***
— p. 330 not. 1 c. 12 adde: *παράδεισος τρυφῆς*] Cf. Const. ap. VIII c. 12 (Clericus, Patr. apost. 1724 I 405).
— p. 341 not. 2 pro *πολυευσπλαγνία* (Sim. IX c. 6, 1) lege *πολυευσπλαγχνία* (Sim. VIII c. 6, 1).
— p. 342 not. 4 post *ἰσχυρῷ ῥήματι* adde: cf. Sap. 18, 15. Hebr. 1, 3.
— p. 344 not. 2 post *δοξάζειν κτλ.* adde: Mal. 1, 11.
— p. 362 sq. not. 4 adde: *οὐχ εὑρέθη*] Peccata quidem isti devitaverunt, operum autem bonorum non fuerunt studiosi. Cf. Sim. IX c. 29, 1. 3.
— p. 366 not. 2 adde: *ἀποστάντες θεοῦ ζῶντος*] Cf. Hebr. 3, 12.
— p. 366 not. 3 post *πορεύονται κτλ.* adde: cf. Ier. 3, 17; 7, 24; 9, 14; 16, 12. II Petr. 2, 10; 3, 3. Iud. 7. 16. 18.
— p. 389 not. 2 Mand. II post *ζήσῃ τῷ θεῷ* adde: cf. Prov. 14, 27: *πρόσταγμα κυρίου πηγὴ ζωῆς*.
— p. 420 not. 5 adde: *οἱ ἀμπελῶνες . . . χερσοῦνται*] Cf. Prov. 24, 30. 31.
— p. 423 not. pro *ὡς ἐπ* lege *ὡς ἐπί*.
— p. 430 not. Mand. XII pro 4, 6. 7 in fine notae lege 6, 2. 3.
— p. 481 c. 1, 16. 17 pro ***virgas aridas*** lege ***virgas virides***.
— p. 500 v. 9 pro *θανατώθη* lege *θανατώδη*.